UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...

Herlet, Johann Georg

Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.


urn:nbn:de:hbz:466:1-37853

Visual Library

Th. 2911.

J. VI
N3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ISAGOGE
SIVE
INTRODUCTIO
AD
VITÆ SPIRITUALIS
PERFECTIONEM,
Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum Pastoribus perquàm utilis, & specialiter accommodata:

AUTHORE
F. FRIDERICO HERLET,
Niderlaurano Francone, Canonico Regulari S. Ordinis Præmonstratensis, in Cellâ Dei Superiore propè Herbipolim Professo, SS. Theol. Doctore.

Cum Licentiâ Superiorum.

SULZBACI,
Typis JOANNIS HOLST.
Sumptibus JOAN. CHRISTOPHORI LOCHNERI Bibliopolæ Norimb.
ANNO M DC. XCIII.

Collegii Soc. Jesu Paderborna 1697
dono p. Klopp

ISAGOGE
INTRODUCTIO
VITAE SPIRITUALIS
PERFECTIONEM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Reverendissimis, Prænobilibus, & Amplissimis Dominis

DOMINIS INSIGNIUM FRANCONIÆ Cœnobiorum Præsulibus, Abbatibus & Præpositis,

DOMINIS SUIS PLURIMUM OBSERVANDIS.

SAcratissimas Cœnobiorum vobis concreditorum fores pulsat hic Libellus meus, Reverendissimi, Prænobiles & Amplissimi Præsules; nec repulsam timet apud eos, quos novit Hospitalitatem adeò sibi habere commendatam. Qui enim peregrinos libenter, & ambabus ut ajunt, ulnis suscipiunt, cur Domesticum excluderent? sed fortassis ad-

miramini, quâ ratione Domesticum vestrum appellare ausim, qui è Prœli angustiis nuper emergens, vix lucem aspexit? verùm si penitiùs eum inspicere dignemini, non peregrinum, sed domesticum, & in domibus vestris natum, nutritum & educatum deprehendetis: quia nihil aliud in cunctis pagellis suis continet, quàm quæ egomet in Cœnobiis vestris laudatissimè observari sæpiùs vidi, ac propterea ad Nominis vestri Commendationem, & plurium imitationem descripsi. Ingenuè enim profiteor, nunquam me pedem in Cœnobia vestra intulisse, quin eundem semper retulerim cum ingenti consolatione animi & ædificatione; ita ut in veritate mihi usurpare licuerit illud Jacob Patriarchæ *Genes.* 28. & cum eodem exclamare: *verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam! Non est hic aliud nisi Domus Dei, & porta cœli!* Nec hoc mirum: vidi enim ibi non in somnis, sed vigilans Angelos Dei ascendentes ad cœlum, per Actus virtutis Religionis & Charitatis; descendentes verò ad proximum

per

per compaſſionem & Zelum Animarum. Aſpexi ibi Angelos in carne viventes ſine carne: Sic enim Religioſos homines nuncupare conſuevit S. Chryſtomus *homil. 56, 57. & 58. ad populum*, dum ait: *Ad ipſos abeatis Angelos illos, ad virtutis civitatem eamus, Sanctorum tabernacula; videamus ſpiritualia caſtra* &c. Conſideravi ibidem Auguſtinos, Benedictos, Bernardos, Norbertos & Brunones, ſed intra murorum ambitus latitantes, ſoli Deo & Angelis familiares, mundo autem vix cognitos.

Permittite igitur, Reverendiſſimi, Prænobiles & Amplisſimi Præſules, ut tam veſtra quàm concreditorum veſtrorum præclara opera & virtutes, quas profunda Humilitas veſtra hactenùs intrà domeſticos parietes tenuit abſconditas, meus hic libellus palàm loquatur & divulget. Protrahatur lucerna ſub modio poſita; ut ſæculares etiam, qui in domo Dei ſunt, quæ eſt Eccleſia, videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui

in cœlis est. Deriventur fontes vestri foràs, & in plateis aquas vestras dividite; ut indè hauriant universi. Sic ad majorem Dei honorem & Gloriam, nec non ad Sacrorum Ordinum vestrorum incrementum, per hunc meum libellum tanquam publicum virtutis vestræ Præconem, fieri animitùs precor & exopto, in festo die omnium Sanctorum Sacri Ordinis mei, & vestri, qui est 13. Novembris. Anno 1692.

Reverendissimarum, Præ-
nobilium & Amplissima-
rum Dominationum ve-
strarum,

Servorum minimus

F. Fridericus Herlet,
Professus in Cellâ
Dei Superiore.

Censu-

Censura Rev. D. Ordinarii.

Isagogen sive introductionem ad vitæ spiritualis perfectionem, compilatam ab Adm. R. P. Friderico Herlet Niderlaurano Francone SS. Theol. Doctore Can. Regul. S. Ord. Præmonst. in Cella Dei Sup. propè Herbipolim professo, quam Adm. R. P. Caprasius ab Annunt. B. M. V. Ord. Carmel. ad S. Barbaram strictioris observantiæ diligenter perlegit, & quod orthodoxæ fidei, bonisque moribus contrarium esset, nihil, multum verò, imò totum, quod Regularem ad vitæ perfectionem dirigere & perducere possit, invenit, in lucem publicam edi posse, censeo. Datum Herbipoli 23. Maij 1692.

Adamus Salentinus Bartholomæi,
SS. Theol. D. Celsiss. Herbip.
Consil. ad S. Joan. Evang. Can.
Cap. Libr. Censor.

CARMEN

In Nomen Authoris,

Qui nuper sæcularis Sacerdos, Parochus, & Decanus Ruralis, posteà Seminarii Ducalis Herbipoli Regens, ac Reverendissimi & Celsissimi Principis Herbipolensis Consiliarius in spiritualibus nominabatur GEORGIUS; nunc verò S. Ordinem Præmonstratensem in Cellâ Dei superiore professus vocatur FRIDERICUS.

QUi visus nuper vibrare GEOGRGIUS arma:
Totus pacificè nunc FRIDERICUS agit
Qui quondam sublimis equo, vectusq; quadrigâ;
Nunc humilis semper cernitur ire pedes.
Turgida Grandiloquus nuper qui verba tonabat:
Nunc linguæ didicit ponere fræna suæ.
Qui sibi commissos multâ cum laude regebat:
Nunc raro exemplo prætulit ipse regi.
Quos alii manibus prensant utrisquè favores,
Respuit, & mundo mortuus esse cupit.
Eximios fortuna cui spondebat honores,
In montem Christo cum fugiente fugit.
Scilicet Excelsi tanta est mutatio dextræ,
Induat ut Cygnum, qui modò Corvus erat.
Ergò qui potuit veterem sic ponere pellem,
An non hoc alios ritè docere potest?
Macte animo Friderice! tibi meliora parantur:
Post humilem Cellam Cœlicâ Regna patent.

Mag-

Magnificos alii titulos sectentur honorum:
Cellula parva tibi jam paradisus erit.
De cellâ facili conscendes tramite Cœlum,
Moleque depositâ promptior Astra petes.

Chronodisticha.

EXVIS aLta; CVpIs sæCLo FrIDerICe Latere;
ast te VIrtVtIs toLLet In astra DeCVs.

FeLIX qVI potVIt faLLentIa spernere sæCLI
gaVDIa, & eLeCto sVbDere CoLLa IVgo.

Accinebat Patri suo spirituali in signum veri, sinceri ac filialis affectûs.

F. Sigismundus Hauck,
Sac. & Can. Ordin.
Præmonstrat. in Cellâ
Dei professus.

INDEX SUMMARIUS.

In quo non paginarum, sed Doctrinarum numerus signatur.

In Parte I.

Declaratur Statûs Religiosi
- Quidditas num. 1
- Divisio & varietas 3
- Antiquitas 6
- Jucunditas 9
- Utilitas 12. & seq.
- Idea 37
- Finis 32

Et obviatur Tyronum tentationibus ordinariis 28

In Parte II.

OStenditur, quomodò Tyrones ad Finem & Perfectionem in suo statu tendere debeant, saltem remotè 36

Primò quidem *declinando à malo*, per emundationem conscientiæ â peccatis in sæculo commissis 49

Et fugam deinceps omnium peccatorum mortalium 54

Atq; etiam venalium pleræ deliberatorum 55

Observationem non solùm Præceptorum Dei & Ecclesiæ, sed etiam Regularum & Statutorum 57

Demùm per acquisitionem tantæ in Conscientiâ puritatis & teneritudinis, quæ minimæ etiam Regulæ vel Constitutionis transgressionem reformidet 45

Quæ

Quæ puritas & teneritudo Conſcientiæ acquirenda eſt

Per
- Crebram SS. Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſuſceptionem n. 60
- Examen Conſcientiæ Generale & particulare 62
- Peritiam pugnandi contra tentationes 67
- Extirpationem malorum Habituum 78
- Edomationem paſſionũ inordinatarum 81
- Maximè Paſſionis
  - Amoris 84
  - Iræ 88
  - Triſtitiæ 91
- Mortificationem Carnis 94
- Cuſtodiam ſenſuum
  - Viſûs 97
  - Auditûs 102
  - Tactûs 105
  - Guſtûs 110
  - Odoratûs 117
- Frænationem Linguæ 118

Secundò *Faciendo Bonum*, ſivè per exercitium bonorum operum vocationis ſuæ Ordinariorum 125

Qualia opera ſunt

Erga Deum
- Oratio 126
- Adoratio 136
- Devotio 140
- Laus Dei in Choro &c. 144

Erga Proximum
- Converſatio Charitativa 159
- Miniſteria Fratribus exhibenda &c. 166

Præſtan-

Præstando ea semper
- Integrè & totaliter 170
- tempore præscripto ibidem
- ferventer ibid.
- cum animi hilaritate ibid.
- Decorè & modestè ibid.
- Ex motivo Charitatis 178

Porrò Media *Primi generis* ad hoc bonorum operum exercitium necessaria sunt, quæ removent impedimenta Charitati in Deum resistentia, cujusmodi sunt peccata, de quibus suprà.

Media *Secundi generis* sunt, quæ efficiunt statum animi quietum, pacatum, & ab omnibus perturbationibus liberum;

Cujusmodi sunt

- Humilitas 189
- Paupertas voluntaria 204
- Castitas 206
- Obedientia 211
- Amoris proprii extirpatio 227
- Affectûs inordinati erga consanguineos depositio 229
- Memoriæ & Phantasiæ evacuatio 231
- Sensuum exteriorum strictior custodia
- Solitudo 234. (233

Media *Tertii generis* sunt, quæ præstant adjumentum pro elevatione animi ad Deum, & illius conjunctione sivè Unione cum Deo; qualia sunt

- Lectio spiritualis 236
- Colloquia spiritualia 239
- Meditatio 243

In

In Parte III.

Ostenditur, quomodò *Professi* obligentur tendere ad perfectionem 250

Ac inprimis quomodò perficere se debeant

Circa charitatem { intensivè 273 & extensivè 254. & seq.

Deinde circa media ad charitatem perfectam obtinendam necessaria, videlicet

Circa { Puritatem Conscientiæ 261; Humilitatem 263; Paupertatem 269; Castitatem 271; Obedientiam 273; Edomationem Passionum 276; Moderationem Intellectus 279

Item circa elevationem & unionem cum Deo ex parte Intellectûs,

Per { Meditationem 281; Aspirationem 282; Contemplationem 285

Et ex parte voluntatis per juge Charitatis exercitium 287

Ut verò Charitas sit undequaque perfecta, debet se etiam extendere ad proximos 289

Per varios Actus { internos 292 & externos ibid.

Maximè per Animarum Zelum 293. & seq.

Qui in vitâ mixtâ potissimùm se exerit

Per { Correctionem Fraternam 296; Prædicationem verbi divini 300; Catechizationem 301; Sacramentorum administrationem 303; Aliasque Functiones Parorhiales 304

Quamvis autem Parochiale officium sit admodùm grave 306

Non tamen est refugiendum ei, qui vocatur legitimè 307

Antecedenter tamen se per media accommodata sufficienter ad id disponere debet 310. & seq.

Præ-

Præmonitio.

Ad Magistrum & Directorem Novitiorum.

UT hæc ad vitæ spiritualis perfectionem Introductio facilior accidat, poterit ordo sequens observari: primò Tyronibus statim à primo sui ingressûs die usq; ad solennem Investitionem præscribantur pro materiâ quotidianæ Meditationis & Lectionis, quæ tractantur in primâ parte usq; ad partis 2. §. 2. n. 54. exclusivè.

Secundò post Investitionem præscribantur Novitiis per dimidium annum legenda, meditanda atq; etiam memoriæ mandanda, quæ traduntur de puritate & teneritudine Conscientiæ acquirendâ, incipiendo à §. 2. c. 1. part. 2. num. 54. *inclusivè usque* ad c. 2. num. 125.

Tertiò per alterum medium annum præscribantur similiter legenda, meditanda, & memoriæ mandanda, quæ tractantur de secundo Novitiorum munere à c. 2. part. 2. num. 125. *usque ad* part. 3. num. 248. *Circa finem verò Novitiatûs & ante Professionem*

nem poterunt examinari Novitii, quomodò non solùm memoriter aut speculativè, sed in praxi & ipso opere ac Conversatione didicerint declinare à malo, & facere Bonum. *Ut certius possit de ipsis formari judicium vel admissionis vel dimissionis.*

Quartò Factâ Professione præscribantur legenda, meditanda, & practicanda usque ad S. Ordinem Presbyteratûs, quæ tractantur part. 3. à n. 248. *usque ad finem libri.*

Ad Lectorem.

QUas in hoc libello cernis Doctrinas Asceticas, collegeram ex SS. Patribus Augustino, Hieronymo, Basilio. Ephrem, Bernardo, & aliis spiritualibus Magistris, easq; ordinaveram pro materiâ quotidianæ Meditationis, tam mihi quàm aliis serviturâ. Verùm ut pluribus prodessem, illas, uti vides, in hanc formam & methodum redegi; quatenus tibi servire possent pro Concionibus, Exhortationibus, Conferentiis & Colloquis spiritualibus, meditationibus &c. Propter quod etiam singulas doctri-

nas

nas ſuis certis numeris diſtinxi. Tu iſto labore meo fruere, &, ſi fructuoſus tibi exiſtat, Deum lauda, & pro me precare; ad cujus purum ac perfectum Famulatum promovendum hæc ſcripſi. Vale

Ad Zoilum.

QUid enim, ſi quis legens contempſerit? Hodie Confeſſiones Beati Auguſtini nemo contemnit. Forſitan, dum ipſe viveret, aliquis legens non pro magno duxit. Rupertus de Gloria & honore Filii hominis lib. 12. *Scilicet*

Invidiæ morbo præſens malè judicat ætas:
Judicium melius Poſteritatis erit.

PARS

PARS PRIMA
De
Statu Religioso in genere.

§. 1.

Quid sit Status Religiosus.

1. DIcitur Status Religiosus à *Religione*, virtute inter morales præcipuâ; quia homines statum Religiosum professi, per Actus virtutis Religionis, cujusmodi sunt *Votum, Oratio, Devotio, Adoratio, Laus Dei in Choro, Sacrificium* &c. totos se Deo & ejus cultui addicunt, consecrant, devovent & religant. Dicitur enim juxta Lactantium *lib.* 4. *divin. Instit. c.* 28. Religio à *religando*; eò quod *nos omnipotenti Deo religet ac devinciat*; ut inquit S. Augustinus *lib. de verâ Relig.* Appellatur etiam *Status Regularis*, à Regulâ certâ, quam Professores illius tenent, & ad eam observandam voto se adstringunt, dicentes v. g. *voveo Conversionem morum meorum, & emendationem vitæ secundùm Evangelium Christi, & Regulam S. Augustini.* Omnis quippè Religiosus Status

certam & peculiarem habet Regulam, fini ſuo, propter quem à Deo excitatus, & à Fundatore inſtitutus fuit, accommodatam. Quæ quidem Regula vel inſpirata fuit à Deo immediatè Inſtitutori ; vel per ſanctum aliquem Angelum tradita fuit, ſicut refertur de Regulâ S. Pachomii; vel ab alio quodam Sancto porrecta fuit; uti refert Laurentius Surius 6. *Junii*, & ex eo Nebridius *in antiquar. Monaſtico*, S. Auguſtinum apparuiſſe Divo Norberto de Regula deliberanti, & porrectâ ſuâ Regulâ dixiſſe: *Quem vides, Auguſtinus ego ſum, Hipponenſis Epiſcopus. Ecce habes Regulam, quam ego conſcripſi: ſub quâ ſi benè militaverint Conſratres tui, Filii mei, ſecuri adſtabunt in extremi terrore Judicii.*

Quamvis autem ceſſantibus Eccleſiæ perſecutionibus cum multiplicatione Familiarum Religioſarum multiplicarentur & Regulæ, ita ut eſſet reperire Regulam aliam S. Antonii, aliam Ephraimi, aliam Epiphanii, Baſilii, Equitii, Auguſtini, Cæſarii, Columbani, Leandri, Benedicti, Iſidori &c. Imò quivis ferè novi Monaſterii Conſtructor novam & diſtinctam ſuis Alumnis Regulam præſcriberet; uti refert Caſſianus *lib. 2. Inſtit. c.* 3. Nihilominùs in Eccleſiâ Latinâ primas ſemper tenuerunt Regulæ SS. Auguſtini & Benedicti; ita ut in Concilio Mediolanenſi prohibitum fuerit Abbatibus & Monachis ſeu Regularibus quibuscunq; anno 1288. aliam Regulam tenere quàm S. Auguſtini, vel S. Benedicti. Sanè Regula S. Patris Auguſtini, poſtquàm ex Affrica fuit translata in Europam, & à

pluribus

pluribus Summis Pontificibus, Innocentio II. Paschali II. Eugenio IV. Benedicto XII. Sixto IV. Pio V. &c. non solùm approbata, sed etiam commendata & deprædicata, tantos fecit in Ecclesiâ Catholicâ progressus, ut hodie numerentur quadraginta quinq; diversi Ordines Religiosi, qui Deo sub eâ militent; uti ex Pennoto refert Nebridius *in antiquar. monastic. epistolâ* 129.

2. Quod si Status Religiosus spectetur *secundùm rem*, definiri potest, quod sit *stabilis, & ab Ecclesiâ approbatus in communi vivendi modus, tendentium ad Christianæ Charitatis perfectionem, per vota perpetuæ paupertatis, Castitatis & Obedientiæ.* In quâ definitione exprimitur imprimis scopus & finis omni Religioso Statui communis, qui est Charitatis Christianæ perfectio; Nam juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 186. *a.* 2, *Status Religionis est quædam disciplina vel exercitium ad Perfectionem veniendi. Et Ipsa Perfectio Charitatis est Finis Status Religionis; & ideò qui statum Religionis assumit, tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat Charitatem perfectam.* Deindè eximuntur & declarantur etiam media congrua & maximè opportuna pertingendi ad Charitatis perfectionem, quæ sunt Paupertas, Castitas & Obedientia, Deo per votum promissa. Quæ quidem media Statui Religioso tam sunt necessaria atq; essentialia, ut nè quidem per Auctoritatem Summi Pontificis ab eo tolli possint, hac scilicet ratione, ut quis manens Religiosus, sit liber ab istis tribus votis,

ficut declaravit Innocentius Papa III. *in c. cùm ad monaſterium 6. de ſtatu Monachor.* cujus verba ſunt: *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habendâ proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare. Quia Abdicatio proprietatis, ſicut & Cuſtodia Caſtitatis adeò eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Undè inſigniter falluntur, qui ad perfectionem aſpirant, & tamen in Paupertate, Caſtitate ac Obedientia perficere ſe negligunt; cùm finis abſq; mediis obtineri non poſſit: ſicut econtrà eos proximiùs ad perfectionis apicem accedere videmus, qui in tribus prædictis virtutibus magis quotidiè proficiunt.

§. 2.
Quotuplex ſit Status Religioſus.

3. DIviditur Status Religioſus primò in duas ClaſſesReligioſorum; quarum prima continet eos, qui propriæ tantùm perfectioni ſtudent, & proximis præter Orationem ac boni exempli odorem nihil impendunt. Quales fuerunt Monachi Sanctorum Antonii, Hilarionis, Ephraimi, Pachomii, ac quotquot vixerunt anteSanctum Baſilium & Euſebium in monaſteriis extra civitates & oppida poſitis; Nam de Euſebio Vercellenſi Epiſcopo ſcribit S. Ambroſius *ſerm. 81. & alibi.* Quod primus in Occidentis partibus conjunxerit vitam Monaſticam cum Clericali, ſivè contemplativam cum activâ; Et de S. Baſilio ait Breviarium Romanum, quod Epiſcopus factus, Monachos ſecum in civitatem intro-

introduxerit, & *solitariæ atq; activæ vitæ utilitates præclarè simul conjunxerit.* Altera Classis comprehendit eos Religiosos, qui propriæ suæ saluti & perfectioni ita incumbunt, ut Proximis etiam prodesse studeant. Qui tamen iterum in tres Ordines subdividuntur; Nam Quidam eorum Christi Ecclesiam defendunt armis contra Paganos & Infideles; uti faciunt Religiosi milites Teutonici, & Melitenses. Alii vacant operibus misericordiæ tantùm corporalibus, ac per ea juvant miseros, redimendo v. g. captivos à jugo & servitute infidelium, sicut facit Ordo B. Mariæ de mercede Redemptionis Captivorum à S. Petro Nolasco institutus; aut ministrando infirmis, sepeliendo mortuos &c. uti faciunt Servitæ seu Fratres misericordiæ. Alii econtrà operibus misericordiæ spiritualibus se dedunt, & proximorum salutem æternam procurare satagunt, docendo & catechizando ignorantes, prædicando, exhortando, Sacramenta administrando, & morituros ad beatum vitæ exitum disponendo. Qui in corpore Juris & Summorum Pontificum Bullis communiter nominantur *Canonici Regulares, Clerici Regulares, Clerici Professi, Clerici Religiosi*; uti videre est in *c. Dudum* 18. *q.* 2. *c. præsens. dist.* 32. *c. observandum. 15. q.* 2. & apud Signium *de statu ac Ord. Canon. lib.* 1. *c.* 2. Atq; horum Religiosorum status est perfectissimus, utpotè Instituto vitæ Christi in terrâ conversantis maximè conformis, qui *cæpit facere & docere. Actor. 1.* Undè S. Thomas 3. *part. q.* 40. *a.* 1. *ad* 2. ait: *Vita*

Activa, secundùm quam aliquis prædicando & docendo contemplata aliis tradit, est perfectior quàm vita, quæ solùm contemplatur; & ideò Christus talem vitam elegit. Et 2. 2. *q.* 188. *a.* 6. *Sicut majus est illuminare, quàm lucere solùm: ita majus est, contemplata aliis tradere, quàm solùm contemplari. Ergò summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum. Secundum autem gradum tenent illæ Religiones, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones.*

4. Deniq; ex his Clericis Regularibus aliqui proximorum saluti docendo, prædicando, & Sacramenta Pœnitentiæ atq; Eucharistiæ administrando ita incumbunt, ut tamen parochias sæculares non suscipiant, nisi fortè per accidens, & ob defectum aliorum pastorum. Alii verò vi Instituti sui & ex fine intrinseco suæ vocationis parochias sæculares administrant, & curam Animarum ruri in pagis ac oppidis tanquam pastores exercent. Sicut Henricus Wagnereck *in c.* 1. *de Capellis monachor.* notavit, dicens: *Ordo Præmonstratensis ex instituto suo Administrationem Parochiarum exercet.* Et Aubertus Miræus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis Canonicus ac Sigillifer *in præfat. Chron. Præmonstrat. Præter Cæterorum Religiosorum Cætuum morem, hoc Præmonstratanis Canonicis penè proprium ac perpetuum est, ut parœciis seu curis pastoralibus tùm in urbibus tùm in pagis præfecti, cogitationes omnes suas actiones q; in procu-*

procurandâ suorum salute subditorum defigant. Familia ergò Norbertina cœtus est, non Monachorum propriè, sed Canonicorum Ordinis S. Augustini. Ejus vita neq; in solâ contemplatione, neq; in solâ actione, sed in utrâq; simul posita est; nec suæ tantùm, sed & alienæ salutis curam gerit. Habent ferè singula hujus Instituti Monasteria parœcias sibi annexas plurimas, quibus Præfecti seu Pastores è numero Religiosorum dari solent. Quod uti huic Ordini inter Cœteros penè est proprium, sic & afflictæ Dei Ecclesiæ in hac tantâ bonorum Pastorum inopiâ quàm maximè commodum. Jure itaq; Norbertina Monasteria, fœcunda Parochorum Seminaria quis nuncupet. Sed de his fusiùs suo loco.

§. 3.

Cur Deus voluerit plures & diversos esse in suâ Ecclesiâ Status Religiosos.

PRima causa est Ecclesiæ militantis *splendor, dignitas & gloria*; ut scilicet tanquam Castrorum Acies benè ordinata, diversis militum Christi signis & Ordinibus præfulgeret. Secunda est Ejusdem Ecclesiæ *utilitas*. Nam sicut in uno corpore plura sunt membra, ut, quod unum præstare nequit, alterum exequatur: ita in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, Deus plures ordinavit hominum Religiosorum cœtus, ut, quia omnes non possunt omnia præstare, aliqui tractent opera misericordiæ corporalia, alii spiritualia; aliqui in verbo & doctrinâ strenuè

laborent, alii Orationi & Divinis Laudibus vacent; ſicut in primitivâ Eccleſiâ DEUS poſuit *quosdam Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, Alios verò Evangeliſtas, Alios autem Paſtores & Doctores. Epheſ.* 4. Tertia cauſa eſt, ut ſatisfieret diverſis hominum deſideriis, complexionibus & inclinationibus. Nam aliqui ſolitudinem amant, alii Societatem & plurium conſortium: Alii delectantur pſalmodiâ, alii ſtudiis literarum, alii aliis exercitiis. Quarta cauſa eſt *neceſſitas Eccleſiæ militantis*; ut videlicet novis hæreſiarchis & adverſariis exurgentibus novæ recentesq; Copiæ opponantur, armis convenientibus inſtructæ; & in veteranorum, tepeſcentium ac deficientium operariorum locum alii novi & ferventes ſubſtituantur. Sicut de S. Ignatio Societatis JESU Fundatore teſtatur Breviarium Romanum, quod conſtans fuerit omnium ſenſus, etiam pontificio confirmatus oraculo, Deum, ſicut alios aliis temporibus ſanctos viros, ita Luthero, ejusdemq; temporis hæreticis Ignatium & inſtitutam ab eo Societatem objeciſſe. Et de S. Norberto ſcribit Aubertus Miræus *in epiſt. dedicat. Chron. Præmonſt. Uti Simoni olim Mago Simonem Petrum Apoſtolorum Principem, Ario Athanaſium, Neſtorio Cyrillum, Joviniano, Vigilantio Elvidio Hieronymum, Pelagio & Mani Auguſtinum, ſic Tanchelino Norbertum oppoſuit.* Quod etiam confirmat Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ*, dicens: *Clericorum Candidæ Militiæ Ordo hoc Duce* (Norberto) *ſurrexit difficillimis Eccleſiæ temporibus*

ribus, quando Sacramentariorum & Adamitarum hæresis passim increbuerat: Cui sternendæ novum velut Alciden hunc misericordiarum Pater præparavit, qui novos milites in castra educeret, hostem imminentem gladio spiritûs profligaret. &c. Quibus aliam Ecclesiæ necessitatem adjungit Joannes Antonius à Gurnetz, Congregationis Oratorii Ordinis Presbyter *in Lacâ partheniâ c.* 43. his verbis: *Malo Socordiæ Parochorum latè grassanti, & in Orbem infeliciter diffuso, Deipara per S. Norbertum atq; ejus Ordinem Candidum succurrit. Equidem Princeps Instituti Norbertus Canonicum ac Monasticum vitæ genus conjungens, contemplatricis & practicæ exercitationis studiis Alumnos suos informabat, quò in omnem partem Ecclesiæ (quæ conditio tunc erat remissa temporum) Divinis Laudibus ardentissimâ Charitate promendis, prædicatione verbi Dei, & Parochiarum solicitâ administratione, fructibus præclaris redundantibus, citò mutatis in melius moribus, alia Ecclesiarum facies ubiq; resplenderet. Quod ita per eos factum est.* &c.

§. 4.

De Origine Monachorum.

6 FUit Status Monasticus adumbratus jam & præfiguratus in lege Naturæ, & Moysis: Nam quod Deus olim dixit ad Abraham *Genes.* 12. *Egredere de terrâ tuâ, & de Cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Et quod Regius Psaltes ait ad

animam Fidelem *psalm.* 44. *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Hoc in novâ Lege Evangelicâ videmus quotidiè fieri à Monachis, & quibusvis bonis Religiosis. Imprimis verò Monasticam vitam adumbrarunt illi, de quibus S. Paulus *Hebr.* 11. ait: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* Unde S. Hieronymus *epist.* 13. *ad Paulinum* ait: *Nos habemus propositi nostri Principes Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios, & ut ad Scripturæ authoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces Filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus* &c Et S. Chrysostomus Monachorum Principem vocat Joannem Baptistam *homil.* 1. *in Marc.* dicens: *Sicut Sacerdotum Principes sunt Sacerdotes Apostoli, sic Monachorum Princeps Joannes Baptista est. Et homil. de Joanne Baptistâ. Considerate, Monachi, dignitatem vestram. Joannes vestri Princeps est Dogmatis: Ipse Monachus statim ut natus, in Eremo vivit, in Eremo nutritur.* Præcessit igitur in illis sanctis viris prævia aliqua delineatio & adumbratio Statûs Monastici in Ecclesia Christi per SS. Apostolos instituendi: Nam Joannes Cassianus, qui *lib.* 1. *Instit. c.* 20. ait, *Eliam & Elisæum in Veteri Testamento fundasse primordia Professionis Monasticæ*, antecedenter *c.* 4. dixerat, *Petrum & Paulum Authores vitæ Monasticæ esse.* Et *lib.* 2.

c. 5.

c. 5. scribit, in primordiis Fidei paucos quidem sed probatissimos extitisse Monachos, qui à S. Evangelistâ Marco Alexandriæ Episcopo Normam acceperunt vivendi. Deniq; *collat. 18. c.* 4. dicit, *Cœnobitas descendisse ab Apostolis.* Eusebius etiam *lib.* 1. *demonstrat. c.* 8. refert, quod jam à temporibus Apostolorum *Ecclesia duplici viâ vitaq; distincta fuerit, quarum una excelsa sublimiorq; communi vitæ ratione, non nuptias, non sobolem, non possessiones, non opes requirens aut curans, totam se supra humana vulgariaq; extendit: Cujus sectatores tanquam mortali vitâ perfuncti, corpore hærente quidem in terrâ, sed animâ per cogitationes translatâ in Cœlum, quasi Dii quidam reliquorum vitam ab alto contemplantur.* &c. Multa & mira de Essenorum vel Essæorum Religiosâ vitâ, Novitiatu, Professione, Votis & communi vitâ tradunt Philo *lib. de vita contemplat.* Porphyrius *lib. 4. de abstinent.* Josephus *lib. 2. Belli c.* 2. & Solinus *de Mirabilib. Mundi c.* 45. Quos Esse nos fuisse in primitivâ Ecclesiâ Monachos à S. Apostolis & Marco Evangelistâ institutos docent S. Hieronymus *lib. de scriptorib. Ecclesiast. in Marco*, Sozomenus *lib.* 1. *hist. c.* 12. Nicephorus *lib. 2. histor. c.* 15. Beda *in præfat. in Marc.* Cassianus *lib. 2. Instit. c.* 5. & alii. S. Bernardus *in Apologiâ ad Guilielmum* mores quorundam Monachorum irreligiosos deplorans, tandem exclamat: *Cur adhuc vivo, videre, ad id deveniisse Ordinem nostrum, Ordinem scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo cœpit*

Eccle-

Ecclesia; cujus Apostoli Institutores; cujus Hi, quos Paulus tam sæpè Sanctos apellat, Inchoatores extiterunt! Deniq; S. Dionysius Apostoli Pauli discipulus mentionem Monachorum facit *in lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia c.* 6. dicitq; eos vocari Monachos *à puro Dei famulatu, individuaq; ac ſingulari vitâ, promiſſione ac voto firmatâ.*

6. Atq; hæc de Origine Statûs Monastici. Quod verò ejus propagationem attinet, sciendum est, quod propter frequentes Tyrannorum persecutiones cœperit valdè diminui Monachorum numerus; nam plurimi illorum ad necem abripiebantur; aliqui verò Monasteria deserentes, & ad montes ac sylvas confugientes, ibidem in speluncis & cavernis latitabant; uti notat Baronius *Ad annum Christi* 328. Cessantibus verò persecutionibus S. Antonius *divino afflatus Numine dispersos per solitudinem Monachos in unum collegit, & in diversis locis, tanquam in diversis alveariis apum examina, distribuit.* Quod fecit cum tanto successu, ut illo adhuc sæculo, aut paulò post Monachis replerentur Palæstina, Syria, Asia minor, Ægyptus, Cappadocia, Pontus, Armenia, Mesopotamia, & Boreales Regiones. Undè S. Hieronymus *epist 7. ad Lætam. De Indiâ, Perside, Æthiopiâ Monachorum quotidiè turmas recipimus.* Ruffinus *lib. 2. de vitis patrum c. 5.* ait, in unica Urbe Oxyrincho, quæ sita est in Thebaide, fuisse simul viginti millia Monialium, & decem millia Monachorum, ita ut essent *plura monasteria, quàm domus; & nec portæ ipsæ civitatis, nec turres, aut ullus omninò angulus Monachorum*

nachorum habitatione vacaret. De Serapione habetur in vitis patrum *lib. 7. c.* 43. quod sub ejus directione fuerint decem millia Monachorum. Et de Abbate *Or* refert Palladius *in Lausiacâ*, quod fuerit pater trium millium Monachorum. De Pachomio autem refertur *in ejus Actis*, quod universim & in pluribus monasteriis gubernaverit septem millia Monachorum; in eo autem Monasterio, ubi habitabat, numeraverit viros mille quadringentos.

Idem S. Antonius occasio fuit, quod Monachismus ex Oriente fuerit derivatus & propagatus in Occidentem. Quamvis enim non defuerint anteà viri sancti, qui vitam religiosam agerent privatim, & tempore persecutionis latèrent in montibus, speluncis & cavernis terræ, viventes in paupertate & castitate; nihilominùs vitam cœnobiticam seu communem sub directione unius Præsidis accepit primùm Roma à S. Antonio per S. Athanasium Episcopum Alexandrinum tunc in Urbe exulem. Qui sanctitatem & vitæ rationem S. Antonii verbis & scriptis ibidem divulgans, plurium incendit animos ad vitam Monasticam amplectendam, non solùm virorum, sed etiam fœminarum, inter quas facilè prima fuit S. Marcella; de quâ S. Hieronymus *epist. ad Principiam. Nulla eo tempore nobilium fœminarum Romæ noverat propositum Monachorum. Exemplo & imitatione ejus* (Marcellæ) *nata crebra virginum monasteria* &c. Additq;, indè secutam esse innumerabilem Monachorum multitudinem; ita *ut pro frequentiâ*

servi-

servientium Deo, quod priùs fuerat ignominiæ, esset jam gloriæ. Porrò à Romanâ Ecclesiâ tanquam disciplinæ promptuario mutuatæ sunt vitæ monasticæ Institutum omnes aliæ Occidentales Ecclesiæ ; ut inquit Baronius *ad annum Christi* 328.

§. 5.

De Origine Canonicorum Regularium.

7. Dicitur in Concilio Romano *sub annum Domini* 1122. *A principio surgentis Ecclesiæ duos Ordines cœpisse notissimum est; unum, qui activæ; alterum qui contemplativæ vitæ deserviret: unum, qui laboraret verbo & doctrinâ; alterum, qui vacaret orationi. Ille est Ordo Clericorum; hic Monachorum.* Cœpit ergò Status Canonicorum seu Clericorum Regularium cum ipsâ nascente Christi Ecclesia, & ab ipsis Apostolis non tantùm est institutus, verùm etiam observatus & practicatus, ita ut S. Apostoli fúerint reipsâ Clerici Regulares. Patet primò ex eo, quod S. Augustinus *lib.* 17. *de civitate c.* 4. dicat, Apostolos præter vitam communem habuisse votum paupertatis. Ejus verba sunt: *Dixerunt Potentes illi: Eccè nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi illi voverant.* Quæ etiam est sententia D. Thomæ 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. Undè Bellarminus *lib. de Monach. c.* 5. Apostolos vocat *primos Christianorum Monachos*; intelligens nomine Monachorum *Regulares*, seu vitam Religiosam voto firmatam profitentes. Nam certum est, Apostolos

los non tenuisse vitam solitariam & purè contemplativam, uti faciunt Monachi propriè dicti. S. Urbanus Papa etiam & Martyr, qui vixit & pontifex factus est anno Christi 226. testatur, vitam communem ab Apostolis introductam durâsse in Clero usq; ad sua tempora; sicut videre est in ejus epistola, relatâ *in c. scimus. 12. q. 1.* ubi etiam addit: *Quicunq; vestrûm communem vitam susceptam habet, & vovit, se nihil proprium habere, videat, nè suam pollicitationem irritam faciat.* &c. Patet secundò ex eo, quod summi Pontifices passim fateantur, S. Augustinum non instituisse Ordinem Canonicorum Regularium; sed eum ab Apostolis institutum, ac temporum injuriâ collapsum, à S. Augustino fuisse reformatum, & pristino nitori restitutum. Ita testatur Paschalis Papa II. *in diplom. ad Priorem S. Frigdiani,* dicens: *Vitæ Regularis propositum in primitivâ Ecclesia cognoscitur ab Apostolis institutum. Quam B. Augustinus tam gratanter amplexus est, ut eam suis Regulis informaret.* Eugenius Papa IV. *in Bullâ, quâ Canonicos Regulares ad Basilicam Lateranensem restituit,* sic ait: *Hujus profectò Sacri Ordinis & sancti Propositi post sanctos Apostolos primùm in Alexandrinâ Ecclesiâ Marcus Petri Discipulus fuit Institutor & Conditor; ac glorioſus Doctor Augustinus divinis Regulis decoravit; & sanctæ memoriæ Urbanus Martyr & Summus Pontifex generalis decreti ordine reformavit; & Gregorius Augustino Anglorum Episcopo velut plantationem sacram in Commisso sibi populo præcepit institui.*

Bene-

Benedictus Papa XII. *in Bulla generalis Reformationis Canonicor. Regular.* inquit: *Inter Religiones alias in agro Ecclesiæ plantatas, ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, à Christi glorioſis Discipulis in primitivâ Ecclesiâ ſacris Inſtitutionibus ſtabilitam, gerentes præcipuè Charitatis affectum*, &c. Sixtus Papa IV. *in privileg. Canonicor. Regul. Ecclesiæ Lateran.* inter cœtera hæc habet: *Dudùm adverſus Regulares Ordines, ad illum præcipuè Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini eò libentiùs noſtræ mentis oculos convertimus, quò Ordo ipſe in naſcentis Ecclesiæ ſanctâ inſtitutione, ac primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum norma traditionibus q. fundatus, & ſacris inſtitutis ac Divinis Regulis eloquiisq. præmunitus exiſtit.* Deniq; Pius V. *in motu proprio ſuper præcedentiâ inter Canonicos Regulares & alios Religioſos anno* 1570. ait: *Canonici Regulares S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis, qui ab Apoſtolis originem traxerunt, quiq. ab eodem S. Auguſtino eorum Reformatore iterum per reformationis viam mundo geniti, meritò prætendere poſſunt, ſe omnes alias perſonas Regulares in Proceſſionibus & aliis Artibus publicis præcedere debere.* &c. Hæc de Origine Canonicorum ſeu Clericorum Regulariũ.

8. Continuavit autem hoc Apoſtolicum Inſtitutum in Judæâ & Hieroſolymis S. Jacobus Apoſtolus, primus civitatis illius Epiſcopus; à quo proindè hodiedum quidam Clerici Regulares nomen trahentes, profitentur ſe *Canonicos Sancti Jacobi*: ſicut Clerici Alexandrini vocant ſe *Canonicos S. Marci*, qui idem Inſtitutum introduxit

duxit in Ecclesiam Alexandrinam ; uti eorum habet traditio. In Occidentem conatus est canonicam vitam Regularem invehere S. Urbanus Papa & Martyr, circa annum Christi 226. sed fortè sine effectu, ob temporum injuriam, & quotidianarum persecutionum furores. Nam S. Ambrosius *serm.* 81. & 69. ait, Eusebium Vercellensem fuisse primum in Occidente, qui in suâ Ecclesiâ instituit Clerum Regularem. Quem secutus S. Martinus, eam vitæ rationem introduxit in Galliam; Et S. Augustinus in Affricam: Nam tale vitæ genus non fuisse usitatum in Africanâ Ecclesiâ ante S. Augustini tempora, patet ex obstaculis & difficultatibus, quas S Pater perpessus est in illius inductione; uti videre est *in serm. 1. de vita suorum Clericor.* Nam cum decrevisset, nullum deinceps ordinare in Clericum, nisi vitam regularem teneret, coactus fuit postea mutare suum decretum; sicut ipse fatetur dicens: *statueram nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere: aut si vellet discedere à proposito, rectè ei tollerem Clericatum, quia desereret sanctæ Societatis promissum. Ecce in conspectu Dei & vestro muto Consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt.* Sanctum Augustinum æmulatus est ejus discipulus, Gelasius Papa, Valerii Episcopi Hipponensis filius, uti multi viri eruditi docent; uti & S. Prosper Rhegiensis Episcopus in Gallia Narbonensi. Patricius etiam Hiberniæ Apostolus, & Sancti Martini ex sorore nepos,

atq; ab eo in Clericum ordinatus, cùm â Cœleſtino Papa mitteretur in Hiberniam ad opus Evangelii, erectis ibi trecentis Eccleſiis regularem vitam, quam à ſuo Avunculo S. Martino didicerat, in Clerum introduxit circa annum Chriſti 431. Quem ſecutus S. Gregorius Magnus, Auguſtino Anglorum Epiſcopo in mandatis dedit, Canonicum Regularem Ordinem tanquam plantationem ſacram in populo ſibi commiſſo inſtituere; ſicut Auctor eſt Eugenius Papa IV. *in privileg. Eccleſ. Lateran.* Quod factum eſt circa annum Chriſti 601. In Germania circa annum 813. & 817. graviter laboratum eſt in Conciliis Moguntino & Aquenſi pro communi & regulari vita Clericorum, adnitentibus Carolo Magno & Filio ejus Ludovico Pio. Quo tempore etiam Canonici regularem vitam profeſſi, dicti ſunt primùm *Canonici Regulares*; uti docet Langhecrucius *in ſpec. lib. 1. c. 21.* Anno deindè circiter 1080. ſtrenuè laboravit in vitâ Canonicâ Regulari conſervandâ vel potiùs reducendâ Ivo Præpoſitus S. Quintini Bellovaci, ac poſteà Epiſcopus Carnotenſis; quem Petrus Bleſenſis propterea nominat *Alterum Eſdram, ac ſpiritalis Hieruſalem Reædificatorem.* Item Arnulphus ſivè Ruffus, ex Abbate factus Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui Regularem diſciplinam in Clerum invectam aut reductam ſanguine ſuo conſignavit, à Clericis ſuis clanculò occiſus circa annum Chriſti 1105. uti refert Nauclerus *Chronolog. vol. 2. gener. 37.* Poſt quem anno 1120. ſurrexit S. Norbertus;

bertus; qui cùm fruſtrà & irrito conatu primùm ad meliorem vitam reducere laboraret ſuos Concanonicos ſæculares in Eccleſiâ Collegiatâ Sanctenſi, ac deindè omnem ſe operam perdere vidit in reformandis Canonicis Regularibus Eccleſiæ S. Martini in ſuburbio Laudunenſi, quibus à Gelaſio Papâ præfectus erat; Novam Canonicorum Regularium Congregationem inſtituit in Præmonſtrato Diœceſis Laudunenſis; quæ mox *multâ refulgens gloriâ meritorum, & gratiâ redolens ſanctitatis, palmites ſuos extendit à mari uſq; ad mare.* Undè Robertus Arboricenſis Epiſcopus *lib. de tuend. cœlibatu tom. 2.* ait, S. Norbertum fuiſſe à Deo deſtinatum, *ut lapſus Ordo Canonicus S. Auguſtini ſuas detergeret ſordes, ſuorumq; Aſſeclarum exemplo meliorem indueret formam.*

§. 6.

Statûs Religioſi Jucunditas.

9. DE ſpirituali Statûs Religioſi gaudio & animi jucunditate S. Auguſtinus intelligit illud *Pſalmi 132. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum.* Ait enim: *Iſte dulcis ſonus Monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt Fratres, qui habitare in unum cupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum. Ex voce hujus Pſalmi appellati ſunt & Monachi.* Sententia D. Laurentii Juſtiniani eſt, quod *conſultò Deus gratiam Religionis occultaverit hominibus. Nam ſi cognoſceretur ejus felicitas, omnes ad eam*

concurrerent. Carolus V. Imperator, postquàm abdicato Imperio incluſiſſet ſe monaſterio, ingenuè faſſus eſt, ſe plus voluptatis uno die percepiſſe in ſuâ monaſticâ ſolitudine, quàm in Imperio perceperit ex omnibus ſuis victoriis & triumphis. B. Petrus Damiani poſt geſtatam ſtatûs Religioſi dulcedinem, ægerrimè fuit indè abſtractus, & è clauſtro ad dignitatem Cardinalatûs pertractus. Undè abdicato rurſûs eo officio, priſtinam Clauſtri jucunditatem & dulcedinem redimere voluit centum annorum pœnitentiâ per ſummum Pontificem impoſitâ; quæ talis erat, ut, ſi viveret centum annis, quotidiè Pſalmum *miſerere* centies abſolveret, & præterea centum ictus ad ſingulos pſalmos corpori ſuo infligeret. Quam ipſe pœnitentiâ tam promptè & avidè ſuſcepit atq; executus eſt, ut eam intra unius anni ſpatium totaliter adimpleverit, abſolvens illo anno tres milliones & ſexcenta millia Pſalmorum, cum ſummâ ictuum corpori ſuo inflictorum centies majori. Quis unquam ſæcularis aut mundanus homo vitam etiam voluptuoſiſſimam tanti emit, quanti hic ſanctus vir vitæ Regularis dulcedinem ſemel guſtatam redemit?

10 Cauſam hujus dulcedinis & jucunditatis primam dat S. Chryſoſtomus *lib. 3. adverſus vituperat. vitæ monaſt.* dicens: *Religioſi converſatione cœleſti electâ nihil ab Angelis differunt: Nam ſicut inter hos nulla eſt æqualitas (neq; enim aliis benè, aliis malè eſt, ſed omnes in eadem pace, gaudio, gloriaq; degunt) ſic & inter illos. Nemo ſiquidem paupertati exprobrat, nemo de divitiis gloriatur.*

riatur. Meum & Tuum, quod cuncta invertit & perturbat, eliminatum est: Omnia ibi communia, & mensa, & habitatio, & vestes. Et hoc quid mirum? Cùm & illis anima una eademq; sit. Omnes eâdem nobilitate nobiles, eâdem servitute servi, eâdem denique libertate sunt liberi: Una illis voluptas, una cupiditas, spes una est. Commune existimatur, quod cuiq; tam triste quàm jucundum acciderit: Mœror quippè facilius fertur atq; evanescit, dum cuncti laborant ac dolent; lætitiaq; major occasio reperitur, cùm non tam de propriis quisq; bonis, quàm de alienis exultat. Et S. Basilius in Constit. Monast. c. 19. Perfectissimam ego vitæ communionem illam appello, à quâ privata omnis rei cujusq; exclusa possessio est & eliminata; itemq; undè dissensio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abest & rixæ; Contraq; universa communia, animi, mentes, corpora, eaq;, quibuscunq; necessariò ad victum cultumq; utimur; communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum exantlatorum coronæ: ubi multi unus; & unus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto quid est tandem quod jure æquiparari possit? Quid eo beatus dici? Quid hac conjunctione, unitate & necessitudine aptius excogitari? Quid mutuâ inter se animorum morumq; contemperatione gratiosius fingi? Homines ex diversis Nationibus ac Regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeò in unum veluti coaluisse, ut in pluribus corporibus unus

modò animus esse videatur, vicissimq; plura corpora mentis unius instrumenta cernantur. In his quì infirmâ corporis valetudine est, is complurium animos imbecillitatis suæ participes habet. Qui verò animo æger est & affligitur, ei complures præsto sunt, à quibus curetur, â quibus assiduè erigatur. Hi æquali jure inter se alii aliorum & famuli sunt, & Domini, & invictâ libertate accuratissimam inter se sibi serviunt servitutem. &c.

11. Alteram jucunditatis & dulcedinis in vitâ Regulari causam dat Imperator Theodosius apud Ruffinum *in vitis patrum lib. 3. n. 19.* cùm enim quodam die ignotus ad Eremitam quendam veniſſet, & apud eum panis fruſtum comediſſet, hauſtumq; aquæ bibiſſet, tandem se manifeſtans dixit: *Beati estis vos Monachi, qui securi ac liberi à negotiis sæculi, tranquillâ & quietâ perfruimini vitâ, & solummodò de salute Animarum vestrarum habetis solicitudinem, quomodò ad vitam æternam & ad Cœlestia præmia pervenire possitis. In veritate enim dico tibi, quia in Regno natus sum, & nunc in regno dego, & nunquam sine solicitudine capio cibum.* Undè S. Sophronius, qui antè fuit Monachus, ſed poſteà ex monaſterio ad Cathedram Hieroſolymitanam patriarchalem protractus invitus, amiſſam animi quietem & tranquillitatem deplorat his verbis: *Quàm cordi mihi nunc est amissa quies, & longè amabilior, quàm tunc erat! Heu viri venerabiles, quàm suavis mihi nunc est illa vita mediocris! longè dulcior videtur, ex quo de stercore & terrâ, de multâ & ineffabili humilitate ad*

Solium

Solium pontificale evectus sum, quàm antè. Sed ita est, Patres: Deperdita sanitas à nullo melius agnoscitur aut ferventius expetitur, quàm ab infirmis. Quid sit tranquillitas, post tempestatem sentitur. Meritò proin & ego cum Miserabili Job memoriâ pristinorum Bonorum meorum excitatus proclamo: Tranquilla & quieta hæc vita erat, & navigatio sine metu fluctuum; Quis constituet me secundùm menses dierum antiquorum, quibus me DEUS servabat inafflictum? quando splendebat lucerna ejus super caput meum, vivebamq; vitam quietam & influctuosam; cùm vindemiabam racemos silentii; cùm virebam surculis serenitatis; cùm imperturbationis delectabar palmitibus; cùm interioris libertatis jucundabar floribus; cùm securitatis coronabar calicibus; cùm serenæ paupertatis navigabam mare; cùm humilis Casæ delectabar pulchritudine. &c.

§. 7.

Statûs Religiosi securitas.

12 QUàm pauci ex hominibus sint salvandi, non obscurè indicant figuræ in Lege Naturæ, & Mosaicâ. Prima legitur *Genesis 7.* & 1. *Pet.* 3. ubi in Diluvio generali dicuntur solùm octo homines servati & salvati ab interitu. Secunda habetur *Genes.* 19. ubi ex quinq; civitatibus igne consumptis non nisi quatuor personæ à flammâ devorante sunt liberatæ; & una ex his, antequàm ad locum refugii pertingeret, in statuam salis fuit conversa. Tertia legitur

Numer. 14. ubi ex tot millibus Ægypto per Mare rubrum egressis solùm duo viri, sclicet Josue & Caleb, ad Terram promissam perventuri prædicantur; reliquis omnibus propter peccata gulæ, murmurationis, Idololatriæ, fornicationis, ambitionis & inobedientiæ exclusis; quod & ita contigit. Clarissimè verò eam salvandorum hominum paucitatem significat Christus in Evangelio *Matth.* dicens: *Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et *Matth.* 20. *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Item *Matth.* 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et *Luc.* 13. ubi cùm ad Christum diceret quidam: *Domine, si pauci sunt, qui salvantur,* Ipse respondit: *Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.*

Quod autem tam pauci sint salvandi & plurimi damnandi, causa non postrema est *Mundus* cum suis voluptatibus, divitiis & honoribus. Nam de possessoribus divitiarum ait Christus *Matth.* 19. *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum Cœlorum. Et iterum dico vobis, facilius est Camelum per foramen acûs transire, quàm divitem in regnum Cœlorum.* Et *Luc.* 16. *Mortuus est dives, & sepultus est in Inferno.* Undè S. Joannes *1. epist. c. 2.* hortatur mundum fugere, dicens: *Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum,*

non

non est Charitas patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et *ibidem c. 5. Mundus totus in maligno positus est.* S. Jacobus etiam *c. 4.* ait: *Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicunq; ergò voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Et *c. 1.* dicit: *Religio munda & immaculata apud Deum hæc est, immundatum se custodire ab hoc sæculo.* In quem proindè locum S. Thomas commentans, subdit:

Mundus non mundus, qui mundos polluit: Ergò Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

Et S. Augustinus *tract. 38. in Joann. si delectat te mundus, semper vis esse immundus.*

13. Qui ergò vocati sunt de mundo & mundanorum consortio ad statum Religiosum, meritò id inter summa (post Creationem, Redemptionem & per Baptisma Sanctificationem) Beneficia numerare debent; sicut Christus à suis Discipulis agnosci & numerari voluit *Joann. 15.* dum ait: *De mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos* &c. Nam in statu Religioso tot & tanta damnationis pericula non inveniuntur; sicut benè declarat S. Chrysostomus *lib. 3. adversus vituper. vitæ monast.* dicens: *Nihil horum penitùs in monasteriis invenies. Sed quanquam procella tanta fluctusq; tanti desæviunt; soli, qui in monasteriis degunt, in tranquillo portu & securitate summâ residentes, velut è Cælo ipso cæterorum naufragia prospectant: Namq; apud*

Monachos ex ingenti multitudine vix pauci lapsi sunt. In vitâ sæculari & plura sunt & paratiora nauffragia; quia & plura sunt, quæ perturbent: in Monachorum autem vitâ profectò & fluctus tanti non sunt; sed contrà penitùs serenitas summa & tranquillitas, & studium longè excellentius adversùs eam fluctuum rabiem. &c. Et S. Bernardus *homil. de quærente bonas Margaritas.* In Religione *Homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs.* Item *in epist. ad Fratres de Monte Dei: Cellæ & Cæli habitatio cognatæ sunt; quia sicut Cælum & Cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. Quod geritur in Cælis, hoc & in Cellis. Quidnam est hoc? Vacare Deo, frui Deo. Nec jam Spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti, è Cellâ in Cælum longa & difficilis via invenitur. A Cellâ in Cælum sæpè ascenditur: Vix autem unquam è Cellâ in infernum descenditur; nisi, sicut dicit Psalmista, descendant in infernum viventes, videlicet nè descendant morientes. Moriens autem vix aut nunquam aliquis è Cellâ in infernum descendit: quia vix unquam aliquis nisi Cælo prædestinatus in eâ usq; ad mortem persistit.* Quapropter cum S. Arsenius adhuc in palatio Imperatoris constitutus oraret Dominum, dicens: *Domine dirige me ad salutem, venit ei vox, dicens: Arseni, fuge homines, & salvus eris.* Quâ auditâ *descendit ad Monachalem vitam;* uti habetur in vitis patr.

part.

part. 2. Ac posteà iterum audivit: *Fuge, tace, quiesce: hæc enim sunt radices, non peccandi*; quæ in omni Religione benè constitutâ reperiuntur.

§. 8.

Boni Religiosi beata Mors.

14 QUod Homines sæculares moriantur subindè tam illubenter, invito animo, difficulter, atq; etiam aliquando infeliciter, oritur præcipuè ex duabus causis. *Prima est*, quod agglutinati sint animo & adhæreant Bonis suis temporalibus, quæ possident domi vel ruri; aut quod adhæreant suis charis amicis v. g. uxori, prolibus &c. aut quod constituti sint in honoribus & dignitatibus; aut quod perfruantur deliciis & voluptatibus; à quibus per mortem violento modo abstrahi debent & separari, non sine vehementi dolore & reluctatione. Undè *Eccli.* 41. dicitur: *O Mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis*! tam amara scilicet, ut multos erumpere faciat in illa verba Regis Agag morientis: *Siccinè separat amara mors*! 1. *Reg.* 15. Hæc autem tam violenta & dolorifera à Charis in morte avulsio non reperitur in Bono Religioso; utpotè qui jam pridem exuit omnem inordinati amoris affectum erga consanguineos & amicos, quando illos cum sæculo reliquit; Insuper omnes rerum temporalium possessiones per votum paupertatis à se abdicavit; Uxore & prolibus per votum Castitatis se ipsum privavit; hono-

honorifica officia & dignitates per Humilitatis virtutem calcavit; ac prætereà ſtatim à primo ſuæ converſionis die uſq; ad finem vitæ converſationem amplexus eſt jejuniis, vigiliis, laboribus, humiliationibus, aliisq; mortificationibus aſperam & carni moleſtam; ut propterea mortis nuntius ipſi potiùs accidat gratus & expectatus, tanquam afferens finem cunctarum afflictionum, miſeriarum, laborum, & moleſtiarum; juxta illud *Eccli.* 41. *O mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti!* Undè S. Chryſoſtomus *homil.* 14 *in* 1. *ad Timoth. Moriuntur ſanè Religioſi; non enim immortali ſunt corpore: ſed illi mortem non exiſtimant mortem. Indè gratiarum actio ſequitur, ſequitur & gloria, ingensq; lætitia; cùm optet unusquisq; tali ſe exitu donari, ſic exire certamine, & à laboribus ſudoribusq; quieſcere, ac deniq; Chriſtum videre. Porrò ægrotanti non adſtat Uxor crinibus ſolutis; nec pueruli, imminentem flentes orbitatem; nec famuli expirantem importunis precibus pulſantes, ut ſe cuipiam commendatos relinquat: Sed his impedimentis omnibus ſolutus animus, tantummodò cogitat, quomodò cum majore gratiâ extremum Deo ſpiritum reddat.*

14. Altera cauſa eſt, quod mundanis hominibus in horâ mortis occurrat vita ſua præterita malè tranſacta, plurimis & gravibus peccatis onerata, ac propterea malè ſibi conſcia; utpotè quam conſequi aliud non poteſt niſi juſtiſſima ſcelerum omnium pœna, jam jam per Chriſtum Judicem infligenda. Dicitur enim *Hebr.* 9.

Statu-

Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem Judicium. Ut scilicet referat unusquisq; prout gessit. 2. *Corinth.* 5. Undè quidam ait: *Non timeo mortem; timeo, quæ fata sequuntur.* Et de Chrysorio quodam refert S. Gregorius *lib.* 4. *dialog. c.* 38. quod in angustiis mortis comprehensus exclamaverit: *Inducias vel usq; manè, Inducias vel usq; manè!* S. Cyrillus Alexandrinus *in orat. de exitu animæ* ait: *Quis terror, quis tremor, quod certamen, quæ vis animam manet à corpore secedentem?* quando scilicet recordatur multitudinem suorum peccatorum, & paucitatem operum bonorum.

Verùm neq; hæc timoris & trepidationis causa reperitur in Bono Religioso. Nam si talis forsitan peccata, etiam multa & gravia, in sæculo & ante Religionis ingressum comisisset; hæc tamen illi in morte amplius nocere non possent, utpotè jam pridem per frequentatum pœnitentiæ Sacramentum, & elicitos quotidiè Actus contritionis atq; Amoris Dei, uti & per solennem Ordinis professionem, nec non per opera satisfactoria diu noctuq; exercita, penitùs quoad culpam & pœnam abolita & deleta. Communis est enim SS. Patrum & Theologorum, Thomæ Aquinatis *in 4. dist.* 4. *q.* 3. *a.* 3. Antonini in Summâ *part.* 3. *tit.* 16 *c.* 3. *§.* 3. atq; aliorum apud Rosweidum *in vitâ S. Antonii Magni Notat.* 78. sententia, quod Professio Religiosa sit quasi *secundus* Baptismus, & quoad remissionem pœnæ temporalis eidem æquiparetur. Undè cum dæmones objicerent S. Antonio peccata quædam ante pro-

professionem monasticam commissa, Sancti Angeli eum defendentes responderunt, non debere eos narrare delicta, quæ jam essent Christi bonitate sopita; sed illa tantùm proferre eos debere, quæ Antonius commisit ab eo tempore, quo factus est Monachus; uti in ejus vita *cap.* 37. refert S. Athanasius. Et de Osberno Monacho scribit S. Anselmus *lib. de similitud. c.* 191. quod spiritibus malis illi in agone delicta ante Religionis ingressum patrata objicientibus responderit Angelus Custos, ea omnia in Professione fuisse abolita.

16. Deindè Bonus Religiosus toto illo tempore, quo in statu suo Regulari strenuè & ferventer Deo militavit, ingentem sibi meritorum cumulum congregavit per frequentatos quotidie Paupertatis, Obedientiæ, Humilitatis, Mortificationis, Charitatis in Deum & Proximum, aliarumque virtutum supernaturalium Actus. Quorum memoria & recordatio ipsi procul dubio magnam in horâ mortis afferet animi consolationem, pacem, & tranquillitatem. Quia sicuti *aperire Judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat; & videre eum, quem contempsisse se meminit, Judicem formidat:* ita è contrà, *qui de suâ spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit; quia lætus Judicem sustinet; & cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloriâ retributionis hilarescit;* ut inquit S. Gregorius *homil. 13. in Evangelia.* Sic de S. Hilarione Monacho scribit Hieronymus *in ejus vita*, quod mortis instantis timorem &

trepi-

trepidationem fugaverit memoriâ & recordatione vitæ suæ religiosè transactæ, dicens: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis serviviſti Christo, & mortem times?*

17. Et cur timeret sibi Bonus Religiosus in morte, per quam conjungendus est Christo Dei Filio in Cœlis, cujus Minister fidelis fuit in terris? ait enim ipse *Joann.* 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Cur sibi timeret Bonus Religiosus habere Judicem illum, quem semper sequi in vitâ religiosâ studuit, & se illi conformare atq; assimilare in voluntariâ paupertate, perfectâ obedientiâ, profundissimâ Humilitate; & cujus non tantũ præcepta, sed etiam consilia conatus est adimplere? cum quo fuit quodamm odò confixus cruci. *Galat.* 2. & propter ipsum mortificatus totâ die. *Roman.* 8. ac semper mortificationem JEsu Christi in Corpore suo circumferens? 2. *Corinth.* 4. Cur deniq; mortem timeret Bonus Religiosus, per quam est associandus tot beatis Monachorum & Anachoretarum Choris, quorum austeram vivendi normam, insignes virtutes, egregia facinora, & heroicas de suâ carne mundo & dæmone victorias frequenter in vitâ legit, deprædicari audivit, admiratus fuit, & imitatus?

§. 9.

Boni Religiosi Judicium Finale.

18. QUàm tremendum & horrificum in fine mundum futurum sit universale Judicium,

cium, testatur multis S. Scriptura Veteris & Novi Testamenti. Fusius autem id describit & pertractat Ipse futurus Judex Christus *Matth. 24. & 25.* Item *Luc. 21.* & alibi. Uti & Discipulus ejus Joannes *in Apoc. c. 6.* Cujus verba sunt: *Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus & liber absconderunt se in speluncis & in Petris montium; & dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab irâ Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Porrò in tanto Judicii instantis pavore & terrore non pavebunt Sancti Apostoli, sed intrepidi assidebunt Judici Christo, ac cum illo reliquos judicabunt; sicut indicat ipse Christus *Luc. 21.* quando recensitis terrificis signis & prodigiis in Cœlo, aëre, mari & terrâ futuris subdit: *His autem fieri incipientibus, respicite, & levate Capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* Et *Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël.* Quod autem Christus his verbis promisit Apostolis, hoc ad omnes Bonos Religiosos, qui relictis cunctis secuti sunt Christum, extendunt SS. Patres, Gregorius Nazianzenus *orat. 1. in Julian.* Augustinus *lib. 10. de civit. c. 5.* Cyrillus *in c. 60. Isaiæ.* Hieronymus *epist. 28.* Gregorius Magnus *lib. 10. Moral. c. 17.* Anselmus *epist. 10.* Bernardus *in illud Matth. 19.* Ecce nos *reliquimus omnia.* Et alii

apud

apud Cornelium à Lapide *in cit. c. Matth.* undè S. Hieronymus Heliodorum monachum sic alloquitur: *Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis: & tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt, adducetur & cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt: tunc tu rusticanus & pauper exultabis & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus! Ecce Judex &c.* Refert etiam Nebidrius *in antiq. monast. epist. 142.* quod S. Augustinus apparens Divo Norberto & Regulam suam ei porrigens, dixerit: *Ecce habes Regulam, quam ego scripsi: Sub quâ si benè militaverint Confratres tui, Filii mei, securi adstabunt in extremi terrore Judicii.* Deniqúe venerabilis Beda *homil. in Natali S. Benedicti* ait: *Nemo putet, duodecim tantùm Apostolos tunc esse judicaturos, sciendum namq; est, omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, Judices cum eo venturos.*

19. Causæ verò tanti Privilegii in Religiosis & prærogativæ afferuntur à Cornelio *supra* ex D. Thomâ *tract. contra retrahentes à Religione c. 6. & 7.* sequentes: *Prima* est, quia conveniens & dignum videtur, ut de mundo judicent illi, qui in vitâ superiores mundo extiterunt. *Secunda*, quia Religiosi velut Aquilæ quædam cœlestium Bonorum aspectu, & terrestrium despectu, cœteros homines transcenderunt: undè convenit, ut eorum Principes sint & Judices.

Tertia est, ut Religiosi, qui doctores fuerunt mundi, etiam examinent & judicent mundum, an is juxta doctrinam traditam vixerit & ambulaverit. *Quarta* est, ut Religiosi, qui á mundo pro fatuis & deliris sunt habiti, vicissim mundum fatuitatis arguant & condemnent. Quod fiet *tunc*, quando *Justi stabunt in magnâ constantiâ adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum: mundani autem* & Religiosorum ofores *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra sê, pœnitentiam agentes, & præ angustiâ spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodò computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergò erravimus* &c. *Quinta* causa assignatur à S. Bernardo *serm* 8. *in Psalm. Qui habitat* Qui Paupertati voluntariæ Religiosorum attribuit hoc privilegium, dicens: *ô familiaritatis gratiam! ô honoris culmen! ô fiduciæ privilegium, ô prærogativum securitatis perfectæ! Quid enim tam pavendum, quid tam plenum anxietatis & vehementissimæ solicitudinis excogitari potest, quàm judicandum adstare illi tam terrificio Tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto Judice sententi? Felix Paupertas voluntaria omnia reliquentiũ, amsequentium te &, Domine Jesu! Felix planè, quæ tam securos, imò tam glorioſos facit in illo singulari fragore Elementorum, & in illo tre-*

tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine Judiciorum!

§. 10.

Boni Religiosi Præmium.

20. AUdivit S. Joannes vocem de cœlo dicentē: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Apoc.* 14. & *c.* 22. inducit Christum dicentem: *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundùm opera sua.* Laboribus ergò & operibus bonis in hâc vitâ susceptis commensurabitur merces & præmium in, alterâ vitâ, ac consequenter quò plura & nobiliora sunt opera, copiosior & nobilior erit merces. Quia verò Religiosi homines diu noctuque se dedunt bonis ac sanctis operibus, & quidem talibus, quæ in Evangelio leguntur à Christo Dei Filio exercita adeoque Divinæ Majestati sunt gratissima, cùm Ipse dicat: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Joann. 8.* Consequens etiam est, quod eorum merces & præmium sit futurum in cœlis copiosum & magnum. Sicut declaravit Christus *Matth.* 19. dicens: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.* Quamvis enim

omnes sint vitam æternam obtenturi, qui mandata Dei observant, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Nihil omius eam pleniùs, abundantiùs & glorioſiùs poſſidebunt illi, qui Divinis Mandatis addiderunt insuper Evangelica Consilia, & relictis omnibus imitati sunt Christum, ut Eidem fierent simillimi; Uti prædicta Evangelii verba explicant S. Hieronymus, Beda, D. Thomas, & Alii apud Cornelium a Lapide *in Matth.* 19. ubi etiam addit, Christum hac gnome: *Erunt novissimi Primi*, significare voluisse, *Pauperes voluntarios in cælo fore primos. Sic Christus in cælo est primus*; quia *in terra fuit novissimus, juxta illud Isaiæ 53. Vidimus eum despectum, & novissimum virorum. Proxima Christo est S. Virgo; quia post Christum inter homines fuit novissima. Sequuntur Apostoli, de quibus ait Paulus: puto, quod Deus nos novissimos ostendit: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium per ipsema.* 1. *Corinth.* 4. Oriebatur autem hic despectus in Christo & Apostolis, ac quotidè ad huc oritur in Religiosis apud mundanos ex paupertate eorum: Quia *Amici divitum multi:* verùm *etiam proximus suo pauper odiosus erit. Prov.* 14. & *divitiæ adduntamicos plurimos, à paupere autem & hi, quos habuit, separantur. Fratres hominis pauperes oderunt eum; insuper & amici procul recesserunt ab eo. Prov.* 19. Paupertati igitur quia in hac vitâ conjunctus est despectus; utrumque in alterâ vitâ sequitur abundantior gloria; sicut de S. Martino canit Ecclesia: *Martinus Pauper*

per & modicus cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur.

21. Atque hinc SS. Patres & Doctores passim dicunt, Bonis Religiosis præparatam esse à Deo Coronam sivè aureolam Sanctorum Martyrum; eò quod Religiosa vita sit Martyrium incruentum; & *verus Monachus sit vivus Martyr*, teste Cassiano *Collat* 18. *c.* 7. & S. Ephrem *serm. de patientiâ.* ubi ait, se posse cum Monachis suis Martyrem esse absque ullis tormentis materialibus; quia vita Monastica est in se Martyrium, continens plurima instrumenta spiritualia, quibus voluntas & Judicium proprium, atque etiam caro mactantur incruento modo & mortificantur. Quæ Martyrii Instrumenta recenset S. Hieronymus *epist. ad Rustic. Monach.* dicens: *Non facias, quod vis. Comedas, quod juberis. Vestiare, qiod acceperis. Operis tui pensum persolvas. Subuiciaris, cui non vis. Lassus ad stratum venias; & necdum expleto somno surgere compellaris. Passis injuriam taceas. Credas tibi salutare quidquid Præpositus præceperit; nec de Majorum sententiâ judices* &c.

22. Ut verò ad particularia magis descendamus, Bonus Religiosus est Martyr, & Martyribus cruentis æquiparatus, *primò*, quia totum se quoad Corpus & animam ac secundùm omnes suas tam materiales quàm spirituales potentias & vires obtulit, dicavit, consecravit, devovit & mancipavit Famulatui seu Servitiô Dei per omne tempus vitæ suæ; ita ut non amplius sibi vivat, sed Deo. Hac enim de causâ S.

Hieronymus Paulam monialem sanctis Martyribus annumerat, quando in illius Epitaphio Filiam Eustohium ita alloquitur: *Gaudeas; Mater tua longo Martyrio coronata est. Non solùm enim effusio sanguinis in Martyrio reputatur; sed devotæ quoq; mentis Servitus immaculata quotidianum Martyrium est.* Undè Ecclesia in Martyrologio Romano ad diem 26. Januarii ait, Sanctam Paulam esse *longo Martyrio coronatam.* & S. Cyprianus Martyr *lib. de exhortat. Martyrum c. 12. inquit: Non solùm animadversos & interfectos divinæ pollicitationis manent præmia; sed etiam, si ipsa passio Fidelibus desit Fides tamen integra & invicta perstiterit, & contemptis ac relictis suis omnibus Christum se sequi Christianus ostenderit, ipse quoque â Christo inter Martyres honoratur.*

23. *Secundò* Bonus Religiosus accensetur Martyribus, quia talis animo lubenti patitur persecutiones detractiones contumelias irrisiones & similia, non ob aliam causam, quàm propter Christum, eò quod se non mundo, sed Christo & vitæ illius se conformet; juxta illud *Joann. 15. si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* Et *Ioann. 16. In mundo pressuram habebitis.* Unde S. Gregorius *homil. 35. in Evangelia* ait: *Mori à persequente, Martyrium est in aperto: Ferre autem contumelias, oditntes diligere, Martyrium est in occultâ cogita-*

tione

tione. Et S. Climacus *grad.* 4. *Beatus, qui propter Deum quotidiè maledictis & convitiis lacessitus, sibi vim fecerit. Hic enim Martyribus parem confidentiam & gloriam merebitur.* De S. Martino Episcopo, qui persecutiones magnas patiebatur partim à domestico Clerico suo Brictio, partim ab Episcopis quibusdam, teste Severo Sulpitio *in ejus vitâ c.* 20. Ecclesia canit in ejus Festo: *ô Sanctissima Anima, quam etsi gladius persecutionis non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit.* Quod si insuper accedat Gratiarum Actio erga Deum, & Beneficentia erga Persecutorem, tunc multò gloriosius redditur hoc Martyrium; sicut testatur S. Chrysostomus *homil.* 8. *in epist. ad Coloss.* dicens: *Nihil est animâ illâ Sanctius, quæ in malis Deo agit gratias: reverà nihil distat ab animâ Martyris; similiter & ipsa & illa coronatur. Si ergò dolores tulerit, & gratias egerit, coronam accipit Martyrii.* Item *homil. de Davide & Saule. Ea res pro Martyrio tibi imputabitur, si insidias molientem, & ad tantam profectum malevolentiam inter benè meritos numeraveris, non desinens orare pro illo, Deum obsecrando, ut illi fiat propitius.*

24. *Tertiò* Bonus Religiosus est verus Martyr ob Paupertatem, quam Deo vovit, & exactè observat. *Quid* enim *sibi vult, quod eadem promissio facta est Pauperibus, & Martyribus, nisi quia verè Martyrii Genus est Paupertas voluntaria?* inquit S. Bernardus *serm.* 1. *de Omnibus Sanctis.* Et S. Chrysost. *homil in c.* 6. *Epist. ad Hebræos. Sunt & aliæ oblationes, quæ sunt holocaustomata*

Martyrum : Ibi & anima & Corpus offeruntur: Illa Sacrificia odorem ſuavitatis habent maximum. Potes & tu, ſi volueris, tale Sacrificium offerre. Quid enim, ſi non igne comburatur corpus ? Sed alio igne poteſt, utpotè Paupertatis, voluntariæ tribulationis. Cùm enim liceat delecosè digere ; ſi eligatur laborioſa vita & amara, mortificansq; corpus, nonnè holocauſtum eſt ? Mortifica ergò corpus tuum, & crucifige ; accipies & tu hujus Martyrii coronam.

25. *Quartò* Bonus Religioſus eſt Martyr propter votum perpetuæ Caſtitatis. Nam *parcitas in ubertate, Caſtitas in juventute Martyrium eſt ſine ſanguine* ; ut inquit S. Bernardus *in ſentent. parvis.* Et juxta S. Hieronymum *epiſt 8. ad Demetriad. Habet & pudicitia ſervata Martyrium ſuum.* Undè S. Ambroſius *lib. 1. de Virginibus.* ait quod non ideò laudabilis ſit virginitas, quia & in Martyribus reperitur ; ſed quia ipſa Martyres facit, nempè per enecationem corporeæ delectationis ; Uti explicat S. Thomas.

26. *Quintò* Bonus Religioſus eſt Martyr propter votum obedientiæ, per quod mactat proprium Judicium & voluntatem. Nam *inhærere frangendæ voluntati, Martyrium eſt* ; ut inquit S. Theodorus Studita *ſerm.* 93. Et juxta S. Bonaventuram *in Dieta Salutis tract. 4. c. 2. Eſt obedientia quoddam nobile genus Martyrii, & palma triumphalis ; quia decollat hominem, & amputat ei propriæ voluntatis caput.* Undè religioſiſſimus Thomas Kempenſis *ſerm. 11.*

da

ad Novitos : Omnis Religiosus in Obedientiâ vivens, paratus suam voluntatem frangere, atq; Prælato suo humiliter nitens obedire, iste veraciter in spiritu Martyr efficitur; quamvis materali gladio in collo non feriatur. Quando igitur aliquis vestrûm audit præceptum sibi contrarium à Prælato imponi, & tamen paratus est obedire, si tunc etiam vim sibi inferre conatur, atq; murmurationem insurgentem compescit & necat, tunc gratissimũ Deo Sacrificium in Arâ cordis immolat, & cum Martyribus de hoste, victor sui ipsius factus, strenuè triumphat.

27. Denique Bonus Religiosus est Martyr propter tolerantiam & perpessionem plurimarum molestiarum, asperitatum, incommoditatum & mortificationum in vitâ religiosâ diù noctuque occurrentium, & tam corpus quàm animam affligentiũ. *Genus Martyrii est, spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius*; inquit S. Bernardus *serm. 30. in Cantica.* Et S. Chrysostomus *homil. in c. 6. Epist. ad Hebr. Si eligatur laboriosa vita & amara, mortificansq; Corpus, nonnè holocaustum est? Mortifica ergo Corpus tuum, & crucifige; accipes & tu hujus Martyrii Coronam.* Cæsarius Cisterciensis *lib. 8. c. 19.* dicit quod *Crux Monachorum* sit *rigor Ordinis*; *tum propter Vigilias & Orationes, tùm propter Jejunia & Castigationes, tùm propter silentium & opera manuum, tum propter Carnis continentiam, & Vestimentorum stratiq; duritiem.* Ut ita Religiosi non sint Martyres qualescunque, sed *crucifixi*; Utpotè

qui *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Galat.* 5. Et cum Apostolo *ibidem* c. 2. dicere possunt : Christo confixi sumus cruci. Undè & à SS. Patribus vocantur *Crucifixi* ; uti videre est apud S. Bernardum *Epist.* 236. Basilium *in Constitut. monast. c* 21. Ephremum *tract. 2. paræn. 1.* Macarium, Theodorum Studitam, Cassianum &c.

§. 11.

Vocatio ad Statum Religiosum.

28. TRes sunt vocationum modi, quibus homines ad Statum Religiosum incitantur; uti videre est apud Cassianum *collat.* 3. *c.* 3. & 4. *Primus ex Deo est ; Secundus per hominem ; Tertius ex necessitate.* Non quod duo posteriores non sint ex Deo ; Sed quod in primo modo Deus vocet hominem solus & quasi immediatè ac proximè ; in reliquis verò duobus utatur operâ alicujus vel hominis inducentis, vel casûs fortuiti & adversi, qui sit fortuitus respectu causarum secundarum, non tamen respectu Dei cuncta prævidentis & ad hominum spiritualem utilitatem dirigentis ; Nam respectu Dei, cujus Providentia in suâ dispositione non fallitur, & qui omnia præordinat ad finem bonum, antequàm fiant, nihil potest esse fortuitum aut Casuale. Primus ergò modus contingit, quando inspiratio Divina homini immissa excitat eum ad Statum Religiosum amplectendum;

dnm; ſicut excitavit S. Antonium, quando ingreſſus Eccleſiam audivit ex Evangelio: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da Pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Hoc* enim *præceptū Domini* arbitrans *ſpecialiter ad ſe directum, cum ſummâ illud cordis compunctione ſuſcepit, confeſtimq; renuntians cunctis, ſecutus eſt Chriſtum, nullâ exhortatince neq; Doctrinâ hominum provocatus*; ut inquit Caſſianus *ſuprà.*

29. Secundus Vocationis modus contingit tunc, *cùm vel exemplis quorundam Sanctorum, vel monitis inſtigati* afficimur ad ſtatum Religioſum. Quomodò S. Auguſtinus *lib. 8. confeſſ. c. 6.* fatetur, ſe poſt propoſitam S. Antonii per Potitianum vitæ rationem mirabiliter exarſiſſe erga Inſtitutum Monaſticum; Et *ſerm. 1 de vita Clericorum* ait, ſe omnes, qui Clerici volebant ordinari, ſtuduiſſe exemplo Apoſtolorum propoſito & verbis efficacibus inducere ad vitam communem ac regularem amplectendam.

30. *Tertius* modus dicitur *neceſſitatis*. Quia Deus illos, apud quos nec bonæ inſpirationes, nec hominum Spiritualium exhortationes, neq; etiã Sanctorum exempla proficiunt, ſubindè ex merã ſuã bonitate & miſericordiã per infelicẽ aliquem caſum ſolet ad Statum Religioſum vocare, v. g. per mortem Chaorum, perſecutionem potentis Adverſarii, Paupertatem, vel aliam neceſſitatem. Quem tertium vocandi modum Caſſianus

nus vocat *violentam vocationem* ; probàtque, Religioſæ vitæ tunc acceptationem non oriri ex deſperatione (ſicut imprudenter quidam loquuntur) ſed ex Dei miſerentis diſpoſitione. Etenim *Abbati Moyſi nihil defuit ad perfectæ Beatitudinis meritum, quod metu mortis, quæ ei propter homicidii crimen intentabatur, impulſus ad Monaſterium decurrit. Quia ita neceſſitatem converſionis arripuit, ut eam in voluntatem promptâ animi virtute convertens, ad Perfectionis vaſtigia ſumma pervenerit.* Paulus primus Eremita fugiens Decii & Valeriani perſecutionē, caſu ſpecum ingreſſus, cum aliquamdiu inibi latuiſſet, cœpit ſolitudine delectari, & quod priùs neceſſitate fecerat, deinceps Voluntate per omnem vitam tenuit. Paulus, ſimplex dictus, ob uxorem in adulterio deprehenſam auffugiens, reliquit illam & domum; ac veniens ad S. Antonium, factus eſt Monachus. S. Romualdus, fundator Ordinis tam celebris; propter homicidium à patre ſuo patratum confugit ad quoddam Monaſterium, & occaſione hujus neceſſitatis Propoſitum Regulare arripuit. Undè S. Joannes Climacus *grad.* 1. ait: *Nè illa quidem renunciationum genera vituperemus, aut condemnemus q. caſu fiunt.* Sivè, ut, alii ver tunti. *Non contemnamus quoſdam, mundo renunciantes ſine ſapienti deliberatione. Sapè enim talis renunciatio meliori fine termiatur, quàm illa, quæ fuit deliberata. Vidi quoſdam euntes non rectâ intentione, ſed neceſſitate cōactos; qui deindè fuerunt capti à multâ Sapientiâ Abbatis & placitâ*

citâ conversatione Monachorum : Hi postmodùm receperunt Lumen à Deo, Lumen gratiæ, & pervenerunt ad altrum Statum. Semen cadens de manu agricolæ, ubi non vult, ulteriùs interdum germinat, quàm de industriâ germinatum.

Est ergò communis Doctrina Patrum & Doctorum Asceticorum, quod quilibet in statu vitæ semel arrepto, dummodò ab Ecclesia Catholicâ approbatus sit, permanere debeat. Ita enim jubet Apostolus 1. *Corinth. 7. Unusquisq; in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat.* Et suadet Cassianus *coll. 14. c. 5. & seq.* diens : *Hoc unicuiq; utile & conveniens est, ut secundum propositum, quod elegit, sivè gratiam, quàm accepit, summo studio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet ; Et aliorum quidem laudans admiransq; virtutem, nequaquam à suâ, quam semel elegit, professione discedat. Multis viis ad Deum tenditur ; Et ideò unusquisq; illam, quam semel arripuit, irrevocabili cursûs sui intentione conficiat.* Quod si quis putet, vel etiam certò sciat, se talem Statum, in quo est, ex motivo non spirituali, sed planè temporali suscepisse, is Consilium & Doctrinam sequatur Sancti Francisci Salesii, viri doctissimi, & in discretione spirituum expertissimi ; cui in Breviario Romano hoc tribuitur Encomium, quod *suis Scriptis Cœlesti doctrinâ refertis Ecclesiam illustrarit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum & planum demonstrat.* Is igitur *in Regulis suis part. 1. c. 1. p. 3* tradit hanc doctrinam : *Illud ante omnia vocato*

ad

ad Statum accurandum est, ut contentus Statu illo suo, quem sibi delegit, omninò degat: Sibiq; in eo etiam complaceat; quantumvis, si res illi integra foret adhuc, scivissetq; antea, quæ expertus est post, nunquam se illi mancipasset fortassis, conetur q; ex amussi omnem, quâ in eo obstringitur, obligationem hilari promptâq; mente explere. Hoc est enim, quod Apostolus monet Ephes. 4. Ut unusquisq; ambulet dignè vocatione, quâ vocatus est. Aliud agere vel cogitare dæmonis insensissimi hostis nostri periculosa tentatio est; quâ suggerendo nobis, quasi cæteri Status nostro meliores sint, & in quibus servire Deo perfectiùs propriãq; Salutem nanciscì faciliùs queamus, inquietudine mentem nostram conturbare conatur. Persistendum ergò cuivis in suo Statu necessariò est; nec mutatio illi alia vel expectanda, vel expetenda, nisi ut in eo se modis nũeris q; omnibus perficiat: esto, ad eum Vocatione non divinâ, sed humanâ potiùs atq; ex motivis magis terrenis quàm Cœlestibus pellectus, imo compulsus etiam à Parentibus & necessariis fuerit; quæ ipsa nihil ominùs illi instar divinæ vocationis sint. Nam Deus in vocatione proponit homini talia motiva, quæ prævidet fore idonea ad persuadendum, & se accommodat illius capacitati, atque ideò si quis altiora motiva non penetret, suggerit Deus magis vulgaria & temporalia. An non perfectus in religioso statu extitit S. Chrysostomus? verùm audi eum *lib. de compunct. Cordis c. 4.* sic de se loquentem: *Cùm constituissem mihi olim, civitatem relinquere, venireq; ad Habitacula*

bitacula Monachorum, multus eram in quærendo & investigando, ubi esset abundantia rerum necessariarum: & ultrùm possem habere panem singulis diebus recentem? Utrum etiam fortassis adstringeres ad vilitatem leguminum, aut ad labores duros, nempè ad fodiendam terram ferenda ligna & aquam, aliaq; id genus adminastranda gravia? Uno verbo, multa quæstio & cura mihi erat de inerti qui &c. Qui igitur Monasterium ingressus est ex intentione non adeò bonâ & purâ, is posteà prudentior factus, mutare debet intentionem & voluntatem; non Statum & vocationem.

31. Multò minùs autem inquietari debet, aut dubitare de suâ vocatione, qui ex bono & sancto fine permotus venit ad Monasterium, v.g. Ut fugiat peccata, & peccatorum occasiones, ac pericula Salutis, quæ in sæculari statu fuit expertus; aut ut satisfaciat pro peccatis suis in sæculo commissis; aut ut Christum perfectiùs imitetur &c. Nam quia hujusmodi fines & intentiones sunt supernatuales, non possunt à Naturâ vel dœmone oriri; uti docet S Thomas *part. 1. q. 111. a. 2. Et Opusc. 17. c. 10.* Item 2. 2. *q. ult. a. ult.* Qui etiam addit *citato opusc. 17. c. 10. Detur, quod Diabolus aliquem incitet ad Religionem intrandam: hoc opus bonum est, & bonis Angelis congruum. Unde est periculum, si quis ei in hoc consentiat: Sed vigilandum erit ut ei resistatur, cùm ad superbiam vel alia vitia inceperit ducere. Frequenter enim contingit, quod Deus utitur Malitiâ dæmonum in bonum Sanctorum. Sciendum*

dum tamen est, quod, si cui à Diabolo suggereretur, vel etiam ab homine, Religionis introitus, per quem aliquis accedit ad Christum sequendum, talis suggestio efficaciam non haberet, nisi interius trahatur â Deo; Et sic Religionis propositum, à quocunq; sugeratur à Deo est. Hæc ille, ex quibus Nicolaus Lancicius *opusc. degrectè tradu, cendâ adolescent. c.* 21. concludit, quod quæcunque occasio vel causa inducens hominem, ut sæculum relinquat, & Deo perfectiùs servire velit, aut ob alium spiritualem finem propriæ vel alienæ salutis aut perfectionis Statum Religiosum amplectatur, sit vera Dei vocatio.

Est igitur ordinariè occulta & tecta Diaboli deceptio, quando venit nobis cogitatio, quod sub prætextu majoris Perfectionis debeamus relinquere Statum Religionis, quem semel amplexi sumus, & transire ad alium strictiorem & magis austerum; Sicut benè advertit S. Bernardus *Epist.* 32. Chrysostomus *homil.* 6. *in Joann.* & Cassianus *Collat.* 14. *c.* 5. *& seq.* Verùm manifesta & aperta Diaboli deceptio est, cùm alicui etiam necdum professo & adhuc Novitio venit cogitatio, quod contradicentibus vel invitis Superioribus suæ Religionis debeat deserere Statum Religiosum & redire ad sæculum. Quamvis enim possit adhuc liberè egredi, & necdum sit obligatus manere in Religione; Ordinariè tamen periculosus est talis recessus à proposito arrepto ad sæculum. *Qui de Monasterio ad sæculum redeunt, à Societate Angelorum separantur, & Dæmonibus sociantur.* Qui san-

sanctam congregationem relinquunt, & ad sæcularem vitam descendunt, à Societate Dei elongantur, atq; Domino Diaboli subjugantur; inquit S. Bernardus *lib. de modo benè vivendi c. 20.* Et S. Ephrem *serm. qui incipit: Non decet eos &c. Si post renunciationem & abdicationem vitæ, in virtutis studio claudicare quis incepit, & sensim à rectâ viâ resilire, oculoq; retrorsùm cõvertere; hic & in vitâ præsenti erit exemplo; & post hanc vitam regno Cœlorum privatus, indignum se ipsum Sanctorum Choro reddet.* Addit Lancicius *suprà: Qui semel ad Religionem admissi sunt: eamq; ingressi, vult eos Deus perseverare in Statu Religioso: quem si deserant invitis Superioribus, etiam in Novitiatu, meo judicio sunt ex reprobis. Imò hoc est ipsius Dei judicium. Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Quæ verba iis, qui non perseverant in Religione, convenire dixerunt S. Antonius apud Athanasium in vita, & S. Bernardus epist. 1.* Vide de hoc latiùs tractantem, & exemplificantem Lancicium *opusc. cit. c. 18. n. 232. & alibi.*

§. 12.

De Fine Statûs Religiosi in genere, sivè de Perfectione.

32. COmmunis est Theologorum & Asceticorum sententia, quod Religiosi teneantur tendere ac conari ad *Perfectionem* tanquam ad suum Finem. Hic autem Finis seu Perfectio

generaliter loquendo nihil est aliud, quàm *puri & perfectior Dei famulatus, atq; cum Deo conjunctio*; uti colligitur ex S. Dionysio Areopagitâ *Eccleſiaſt. Hierarch. c. 6.* Propter hanc enim cauſam primi Religioſi tempore naſcentis Ecclesiæ Poſſeſſiones ſuas abdicârunt, nuptias fugerunt, à turbâ declinârunt & ſolitudinem elegerunt, ut puriùs ac perfectiùs Deo famulari & Ipſi ſe unire atque adhærere ſine impedimento aliquo poſſent; ſicut inſinuat Euſebius *lib. 1 demonſtrat c. 8* Quia ex verbis Chriſti *Matth. 13. & 19.* item *ex epiſt.* S. *Pauli 1. Corinth. 7 & 1. Timoth. 6.* collegerunt, quod homo cum talibus impedimentis diſtrahentibus, cujuſmodi ſunt poſſeſſio Bonorum temporalium, ſtatus conjugalis, tractatio ſæcularium negotiorum &c. non poſſit Deo purum & perfectum Famulatum præſtare, & toto illi corde adhærere. Similiter quia multi homines ſæculares prudentes & à Deo illuminati agnoverunt, Deum eſſe ob infinitam ſuam Bonitatem & Perfectionem dignisſimum, qui à nobis diu noctuque laudetur & colatur in terris, ſicut à Beatiſſimis Spiritibus laudatur & colitur in cœlis; ſimul tamen etiam ex alterâ parte viderunt & experientiâ didicerunt, ſe ob plurimas diſtractiones & obſtacula quæ in vita ſæculari quotidiè occurrunt, tam perfectum & frequentem cultum ac famulatum Deo impendere non poſſe, nec amplius ſibi licitum & integrum eſſe à ſæculari vitâ recedere; hinc magnam Bonorum ſuorum temporalium partem impenderunt cœnobiis ſeu domi-

bus
ædifi
larib
ſtrac
famu
func
præſ
in ch
& pl
citia.
latus
coru
tuer
que
3
debe
ordi
pera
nem
hibe
hom
phor
2. di
quàn
ſolùn
nem
ta al
ceſſu
lime
bere
me n
petet

bus

bus Religiosorum Hominum & Ecclesiis eorum ædificandis ac dotandis; ut hi ab omnibus sæcularibus curis, negotiis, gravaminibus & distractionibus liberi, Deo purum & perfectum famulatum die ac nocte exhiberent per opera & functiones in Ordine Religioso consuetas & præscriptas, cujusmodi sunt Laus Dei vocalis in choro, oblatio Sacrosancti Missæ Sacrificii, & plurium aliarum virtutum Actus sivè exercitia. Fuit ergò *purior & perfectior Dei famulatus atq; cum Deo Conjunctio* Finis Generalis eorum, qui Statum Religiosum primitùs instituerunt, & eorum, qui cœnobia fundarunt atque dotârunt.

33. Atque hinc conari quilibet Religiosus debet, ut opera & functiones suæ vocationis ordinarias ac quotidianas ritè & perfectè semper peragat, atque per exactam talium executionem Deo purum & perfectum Famulatum exhibeat. In his enim consistit perfectio cujusvis hominis Religiosi; sicut pulchrè declarat Alphonsus Rodericus *part. 1. de perfect. tract. 2. c. 2.* dicens: *Consideremus ergò & notemus, quàm tenui dispendio perfecti esse valeamus; cùm solùm quotidianis operibus, nulla alia extraordinem addendo, perfecti esse possimus. Si exquisita aliqua & extraordinaria opera, si mentis excessus, si raptus & contenplationes admodùm sublimes, ut perfectus dicaris, à te exigeremus, haberes quo te excusares, ac diceres, ad tam sublime negotium te evolare nec posse nec audere: aut si peteremus, ut quotidie ad sanguinem usq; te cæ-*

cæderes, ut quotidiè in pane & aqua jejunares, ut nudipes incederes, perpetuò cilicium gestares; jure obtenderes, pares tibi corporis vires non suppetere. At nihil horum à te exigimus; nec in hoc tua perfectio posita est; sed tantùm, ut quod agis, benè perfectèq; agas. Per eadem ergò, quæ agis, modò velis, perfectus esse potes: aliud ut præterà adjungas, non est necesse. Quis igitur ad perfectionem animum non applicet, viso, eam ita facilem & obviam & velut in manibus esse! Item *c. 1. n. 2. Certum & indubitatum est, omne nostrum & bonum & malum in eo esse, quod opera nostra vel bona sint, vel mala qualia enim illa futura sunt, tales erimus & nos. Ad particularia verò iam descendamus, videamusq;, quænam illa sint opera, in quibus omne nostrum bonum, profectus & perfectio consistit; non alia certè, quàm ordinaria, & ea, quæ quotidiè obimus, ut videlicet orationem illam, quam quotidiè peragimus, benè peragamus &c. In his, inquam, profectus & perfectio omnis nostra sita est; adeò ut, si hæc benè perfectèq; pertractemus, perfecti; si malè & imperfectè, imperfecti futuri simus. Hæc itaq; differentia est inter Bonum perfectumq; Religiosum, & alium imperfectum; non quod ille plura vel alia agat, quàm hic; sed quod functiones suas obeat cum perfectione.* Subdit verò *c. 2.* P. Hieronymum Natalem Societatis JEsu in visitatione provinciarum Hispanicarum identidem inculcâsse, ac omnibus ibidem Sociis inculcari præcepisse hanc doctrinam, scilicet, *omnem in spiritu profectus & perfectionis cardinem in eo potissimùm verti*

ni

ut Particularia, ordinaria, & quotidiè à nobis fieri solita opera benè riteq; peragantur. Eadem est Doctrina Cardinalis Joanis Bonæ, viri in Ascesi illuminatissimi, qui in *manuduct. ad cœlum c. 19.* ait, profectum & perfectionem nostram *non consistere in multis; sed in his, quæ quotidiè fiunt, perfectè obeundis.*

34. Est autem notandum, quod duplicia sint opera in Statu Religioso per Regulam & Constitutiones præscripta; Nam quædam habent se ut Finis principaliter intentus à Fundatore seu Institutore illius Statûs, & intendendus omnibus illius Professis. Qualia opera sunt Laus Dei in choro, cultus Latreuticus per Missæ Sacrificium Deo exhibendus, unio cum Deo per Actûs Intellectûs & Voluntatis, Procuratio Salutis Animarum per Catechesin, prædicationem, correctionem, Sacramentorũ administrationem. Alia verò opera & Exercitia habent se purè ut media vel necessaria, vel utilia ad functiones & opera principaliora, ut hæc puriùs, expeditiùs liberiùs, & perfectiùs fieri possint: cujusmodi media sunt Examen Conscientiæ quotidianum generale, frequens Confessio Sacramentalis, meditatio, & particulare, Stationes, jejunia, voluntaria paupertas, Obedientia, Castitas &c. Qui igitur hæc ultima Exercitia & opera quotidiè ritè peragit juxta modum & normam in Regulâ ac Cõstitutionibus præscriptam, is quidem propterà nondum est perfectus in suo Statu; sed tamen ad perfectionem tendit. Qui verò per ea media jam eo usque ascendit, ut etiam principa-

liora opera ritè peragat juxta modum in Regulâ & Statutis præscriptum, talis jam perfectus in suâ vocatione existit, eâ scilicet perfectione, quæ à Professis illius Statûs exigitur.

35. Porrò ex his manifestè liquet, quàm longè absint à perfectione, qui Exercitia, Functiones & opera suæ vocationis in Regulâ vel Constitutionibus præscripta quidem peragunt, sed defectuosè, obiter, luridè, perfunctorie & oscitanter. Graviùs errant, qui eadem ordinaria opera prorsùs intermittunt sine necessitate verâ & coram Deo excusabili; aut qui suis Superioribus tam diu sunt importuni & molesti, donec à talibus operibus, v. g. frequentatione Chori, ministerio Fratrum, labore manuali &c. planè eximantur & liberi declarentur. Quomodò enim tales *purum & perfectum famulatum* præstarent, qui opera illa, ad quæ Deus eos vocavit, & per quæ vult ab eis coli, præstare aut nolunt aut non nisi coactè, invito & tædioso animo luridè & obiter præstant? An non meritò dicitur eis Apocalypticum illud *c. 2. Habeo adversùm te quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; unde excideris, & prima opera fac: Sin autem; venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo. Et c. 3. Non invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergò habe, qualiter acceperis, & audieris, & serva?* Cùm enim adhuc essent in Novitiatu & Tyrocinio Statûs Religiosi; ferventes & exacti erant in operibus ordinariis suæ vocationis præstandis, & inchoato solùm, necdum verò absoluto

soluto pulsu, prompti ad ea accurrebant: Facti autem professi & sacerdotes, cùm deberent jam propinquiores esse perfectioni, & magis ad eam passibus contendere, remissi fiunt & tepidi in iis operibus, in quorum accuratâ tractatione & exactâ adimpletione omnis illorum perfectio consistit. Errant præterea, qui opera & functiones propriæ vocationis parvi pendentes aliena quædam & extraordinaria opera assumunt, atque ordinariis suis præscriptis Exercitiis ea anteponunt, imò totam suam perfectionem & culmen Sanctitatis in iis ponunt. Errant, inquam, tales graviter à viâ perfectionis: Nam providentissimus Deus, cujus semper perfecta sunt opera, quotiescunque virum aliquem sanctum in suâ Ecclesiâ excitat ad Religiosum Ordinem instituendum, simul eidem etiam inspirat, quibus specialiter operibus seu functionibus & exercitiis Novus talis Ordo vacare debeat. Undè qui posteà Deo vocante & dirigente ad hujusmodi Statum seu Ordinem veniunt, hi unicè conari & contendere eò debent, ut opera & functiones illius Ordinis proprias ac ordinarias ritè peragant eò, quod ad hæc & non ad alia sint à Deo vocati, & ad eorum debitam executionem acceperint, atque quotidie adhuc accipiant speciales gratias sivè auxilia vocationis, sintque in morte suâ de his, & non de aliis operibus judicandi. Alioquin dicetur illis in judicio, si neglectis propriæ vocationis operibus veniant cum alienis & extraneis sivè extraordinariis operibus sponte ac propriâ voluntate factis: *Quis*

quæsivit hæc de manibus vestris? Isaiæ 1. Et *Jerem. 6. ut quid mihi thus de Saba affertis, & Calamum de terrâ longinquâ?* offert enim Deo quasi de terrâ longinquâ, qui posthabitis operibus in suâ Religione præscriptis vult Deo placere per functiones & opera alterius Religionis, sivè per exercitia pietatis aliundè assumpta.

36. Debent verò etiam Novitii in hoc incumbere, ut remotè saltem tendant ad perfectionem, & opera Vocationis suæ ordinaria paulatim ritè ac juxta Regulas & constitutiones Ordinis peragere addiscant. Quia etiam de Novitiis sive Tyronibus intelligitur illud *Joann. 15. Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Item illud 2. *Petri 1. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quamvis enim Novitii necdum sint Religiosi Ordinis membra, & ideò nec votis nec præceptis obligentur specialibus illius Statûs, quem probant: Nihilominus debent se ejus disciplinæ Regulis & constitutionibus ita accommodare ac conformare, *nè in vacuum gratiam* vocationis *receperint. 2. Corinth. 6.* & nè à professione tanquam inutiles rejiciantur á Deo & hominibus. Solet enim Deus tepidis & negligentibus Novitiis subtrahere denuò gratiam Vocationis, quam ex merâ suâ Misericordiâ illis fuit largitus. Hac autem subtractâ generatur in illis quoddam fastidium & tædium, ita ut opera cæteroquin levia & minimè onerosa, videantur illis difficillima, & non amplius portabilia; ex quâ difficultate postea sequitur

animi

animi dejectio, desperatio, Religiosi propositi abjectio, desiderium revertendi ad sæculum. Unde *Apoc.* 3. dicit Christus cuidam: *Quia tepidus es, incipiã te evomere ex ore meo.* Et *Matth.* 25. dicitur de servo pigro: *Tollite ab eo talentum: inutilem servum ejicite.* Item *Matth.* 7. *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Denique *Luc.* 13. *succide illam* (arborem infructuosam) *ut quid etiam terram occupat?*

§. 13.

Causa Idealis sivè Exemplaris Perfectionis.

37. CReaverat Deus in principio *hominem rectum. Eccles.* 7. sivè formaverat & creaverat illum *ad Imaginem & similitudinem suam*. *Genes.* 1. Sed quoniam instabilis homo primævam Dei imaginem in se fœdaverat per peccatum, & à suâ rectitudine ita defecerat, ut brutorum ac bestiarum potiùs quàm Dei similitudinem circumferret, juxta illud *Psalm.* 48. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hinc Deus Optimus Maximus volens ex infinitâ suâ Bonitate & Misericordiâ restaurare in nobis Imaginem suam, misit in hunc mundum nobis Filium suum unigenitum, qui est *Imago Dei.* 2. *Corinth.* 4 & *Colloss.* 1. ut ad illum respicientes, imaginem Animæ nostræ reformaremus ad Similitudinem illius. Sicut testatur St. Basilius *in Constitut. Monast. c.* 2. dicens: *Omnis Actio,*

omnis item sermo Salvatoris Nostri Jesu Christi excolendæ pietatis virtutisq; obeundæ regula est. Propter hoc enim etiam naturam humanam susceptit, ut in se velut in tabulâ quadam veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamq; omnibus nobis ante oculos statutam, unicuiq; pro viribus imitandam ceù Archetypon proponeret. Neq; enim aliâ de causâ Ille corpus nostrum gerit, nisi ut, quoad fieri potest, ad imitanda vitæ ipsius studia nos conformaremus. Et *in Regul. fus. respons.* 43. *Christianæ vitæ limes eò pertendit, ut Christum imitetur, juxta proportionem assumptæ ab Eodem carnis, ex eo, quod ad vocationem cujuscunq; pertinet.* Item St. Clemens Alexandrinus *lib. 1. pædagog. c. 2. Deus verbum in figurâ hominis nobis est imago, in quâ nulla est Macula: Ei omnibus viribus tentandum est animam similem efficere.* Et St. Laurentius Justinianus *serm. in Festo Exaltat. S. Crucis. Hæc potissima Incarnationis verbi causa fuit, quatenùs per assumptum hominem documenta saluberrima tribueret Deus, quibus peccator homo amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, & cœlestem remearet ad Patriam.* St. Bonaventura *lib. de informat. Novitior.* ait *part. 1. c. 32. In omnibus virtutibus & bonis moribus propone tibi semper clarissimum speculum, & totius Sanctitatis Exemplar, scilicet vitam & mores Filii Dei, Domini Nostri Jesu Christi, qui ad hoc nobis de cœlo missus est, ut aperiret nobis viam virtutum, & legem disciplinæ suo exemplo daret nobis, & erudiret nos per semetipsum; ut, sicut ad imaginem e-*

jus

jus naturaliter creati sumus, ita ad morum ejus similitudinem per imitationem virtutis pro nostrâ possibilitate reformemur, qui ejus imaginem in nobis fœdavimus per peccatum.

38. Ad Christum ergò tanquam ad perfectionis Ideam & Exemplar respicere in operando debent, quotquot ad perfectionem tendere obligantur; & quò sunt Christo similiores ac conformiores in suis operibus, eò sunt perfectiores, aut perfectioni propinquiores; quia *perfectus omnis erit, si sit sicut Magister ejus. Luc. 6.* Undè Bartholomæus Riccius *in instruct. de modo rectè Meditandi part. 1. c. 7. Sic Christianus perfectionis studiosus omnes suas actiones tam internas quàm externas aptè debet conformare vitæ Christi, ut Angelorum hominumq. oculis appareat Alter Christus.* Et St. Gregorius Nyssenus *tractat. Quid sibi velit Nomen Christiani*, ait: *Christianus debet esse Imago Christi, & quasi Alter Christus*; ita scilicet, *ut, quicunq. Christianum viderit, Christum se videre putet*; uti subdit Cornelius à Lapide *in c. 23. proverb.* Nam *Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam Dei similitudinem, ad quam primitùs creatus est: In hac enim primævâ Dei similitudine consistit ejus felicitas.* Quod si igitur omnis homo Christianus vi suæ professionis & ratione Christianismi debet esse Imago Christi: quantò magis Religiosus, qui inter alios Christianos majorem profitetur perfectionem, debet hanc Christi in se Imaginem perfectius exprimere, ut possit dicere cum St. Paulo *Galat. 2. Vivo jam*

non

non ego, vivit verò in me Christus. Et 1. *Corinth.* 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quod enim Scriptura hortatur fidei ab omnibus, hoc utique specialiùs & principaliùs pertinet ad eos, qui non solùm præcepta, sed etiam Evangelica consilia debent observare. Dicitur autem sæpè in Scripturâ, quod debeamus Christum sequi & imitari, Christum induere, Christo conformari, ambulare sicut Christus ambulavit, portare imaginem Christi &c. Sic *Matth.* 19. dicit ipse Christus: *Si vis perfectus esse, sequere me.* Et *Roman.* 8. ait Paulus. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* Etc. 13. *Induimini Dominum Jesum Christum.* Item 1. *Corinth.* 15. *Primus homo de terrâ, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. Igitur sicut portavimus imaginẽ terreni, portemus & imaginẽ cœlestis* Et *Hebr.* 12. *Aspicientes in Auctorẽ Fidei, & consummatorem Jesum.* St. Joannes etiam ait 1. *Epist.* c. 2. *Qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, ambulare.* Idem hortantur SS. Patres, & fusiùs quidem St. Bonaventura *suprà lib. de Inform. Novitior. p.* 1. *c.* 32. dicens: *Describe tibi in corde tuo mores & Actus ejus. Quàm humiliter se habuit inter homines; quàm benignus inter discipulos; quàm modestus in edendo & bibendo; quàm misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia, & qui de ejus specialiter familiâ videbantur; Quomodò nullum sprevit vel horruit. Quomodo divitibus non adulabatur. Quàm liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus. Quàm verecundus in visu. Quàm patiens ad contumelias. Quàm*

mitis

mitis in responsis: non enim studuit se vindicare verbo mordaci & amaro, sed blando & humili responso alterius malitiam sanare. Quàm compositus in omnibus gestis suis. Quàm solicitus de Animarum salute. Quomodò seipsum præbuit exemplum omnis boni. Quomodò mulierum colloquia vitavit, causâ exempli: undè & discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritanâ loquebatur; eò quod insolitum videbatur in ipso. Item quàm patiens laboris & penuriæ. Quàm compatiens afflictionis. Quomodò condescendit infirmorum imperfectioni. Quomodò omne Scandalum cavebat. Quomodò peccatores non sprevit. Quomodò pœnitentes clementer suscepit. Quàm placidus in omnibus dictis suis. Quàm studiosus ad orationem. Quàm promptus in ministrando. Et alia multa ipsius Acta memoriæ tuæ propinqua sint; ut in omnibus factis & verbis tuis semper ad hunc quasi ad exemplar respicias, incedens, stans, sedens, comedens, tacens & loquens, solus & cum aliis. Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis ejus gratiam & fiduciam assequeris, & in omni virtute tuâ perfectior eris. Et hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare, undè vel provoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad amandum. Talia meditando & ruminando, tempus utiliter expendis; dum occuparis in bonis studiis circa ipsum Dominum Jesum Christum; & mores tuos emendas in formam vitæ ipsius & conversationis. Legitur etiam in vita S.Norberti de primis patribus nostris, quod *Christum ducem habere, & Scripturas Divinas sequi omnes satagebant.*

39. Por-

39. Porrò quia suprà diximus, perfectionem nostram consistere *in puro & perfecto Dei Famulatu, ac in conjunctione cum Deo*, facilè apparet, quomodò Christum in terris conversantem imitari, & eidem conformes fieri debeant, qui ad perfectionem aspirant. Nam *primò*, sicut Christus fuit ob omni peccato etiam minimo purus & immunis; sicut testatur Scriptura 1. *Pet.* 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et *Hebr.* 7. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus.* Propter quod etiam Adversariis suis audacter in faciem dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan.* 8. Ita Famulatus noster erga Deum ut sit purus, requiritur, ut conscientiam habeamus puram & mundam non solùm à peccato quolibet mortali (quæ puritas etiam in hominibus sæcularibus est necessaria.) Sed etiam à venialibus peccatis plenè voluntariis & deliberatis; quæ puritas in homine Religioso exigitur ut fundamentum perfectionis, sivè ut dispositio ad perfectum Dei Famulatum & conjunctionem seu unionem cum Deo. Undè in Scripturâ prærequiritur ad perfectè operandum *Psalm.* 33. *diverte à malò, & fac Bonum*, & Psalm. 36. *declina à malo & fac bonum.* Isaiæ 1. *Quiescite agere perversè, & discite benè facere.* Coloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induentes novum* &c. Quamvis autem peccata venialia hominem non constituant Dei inimicum, adeoque opera talis hominis, sola peccata venialia habentis etiam plenè voluntaria & deliberata,

berata, sint Deo adhuc grata; non tamen sunt famulatus tam perfectus & tam acceptus, qui exclusâ omni etiam levi aversione intimam cum Deo unionem & conjunctionem conciliet; sunt enim peccata venialia Dei quædam injuriæ & offensæ, quamvis leves, quibus Deus lacessitur; Charitatis fervor diminuitur; fiducia, securitas, pax & tranquillitas animi interturbatur; uti inferiùs patebit.

Secundò pertinet ad perfectum Dei famulatum, ut opera faciamus quoad substantiam simillima operibus Christi. Quod tamen est intelligendum non de operibus prodigiosis & miraculosis, quibus suam Divinitatem declarare & confirmare voluit; sed de aliis, quæ ad nostram in moribus instructionem & exemplum patravit. Nam cùm ipse de se dicat *Joan.* 8. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Et pater cœlestis de eo testetur *Matth.* 3. & 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Manifestum est, quod sit perfectus & placitus Deo Famulatus, si eadem vel simillima quoad substantiam opera facimus, qualia Christus fecit, & per ea Patri suo cœlesti complacuit. Talia autem sunt pleraque opera & functiones in Religioso Statu, maximè illo, qui vitam ex contemplatione & Actione mixtam profitetur. Ea enim opera Religionum Fundatores ex vitâ Christi acceperunt, & in Religiones à se institutas transtulerunt. Sic quia Christus Deum coluit per Actus virtutis Religionis, procidendo in genua *Luc.* 22. vel in faciem *Matt.* 26. & Deum adorando;

in

in oratione pernoctando *Luc.* 6. Hymnis eũ laudando *Marc.* 14. Sacrificium illi offerendo *Matth.* 26. & 27. Hinc Religioſorum quotidianũ & quaſi continuũ Exercitium eſt, Deum colere per Adorationem ſivè genu flexionem, Hymnorũ & humi proſtrationem & corporis inclinationem, Pſalmorum in Choro decantationem, incruenti Sacrificii Oblationem, Orationem &c. Deindè quia Chriſtus ſatisfecit Deo pro peccatis, offenſis & injuriis per homines ipſi illatis, atque Jus ejus læſum reparavit & compenſavit per opera ſatisfactoria, perpeſſionem variarum afflictionum & mortis; juxta illud *Iſaiæ* 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* &c. Ita Status Religioſus eſt inſtitutus, ut ſit Status perfectæ pœnitentiæ, in quo illius Profeſſores Deo ſatisfaciant pro omnibus ſuis peccatis, offenſis & injuriis Deo illatis antecedenter, & jus Dei à ſe læſum reparent per opera pœnalia, vel voluntariè ſuſcepta, vel aliundè injuncta. Undè St. Thomas *quodlib. 3. a.* 13. ait, quod *Religio ſit Status perfectæ pœnitentiæ, ita ut nulla ſatisfactio adæquari poſſit pœnitentiæ Religioſorum.* Et 2. 2. *q.* 189. *a.* 3. *ad* 3. dicit, quod Status Religioſus *excedat omne genus Satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, adeoq; in ſatisfactionem pro omnibus peccatis ſufficiat.* Præterea quia tota Chriſti vita & converſatio fuit quaſi continuum Humilitatis, Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ Exercitium; utpotè qui non habuit, ubi caput recli-

reclinaret. *Matth.* 8. Et non quæsivit voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum. *Joann.* 5. & 6. Quique humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem *Philipp.* 2. Hinc Religiosi exercentur in perpetuâ castitate, paupertate, Obedientiâ & Humilitate, ac laudabili æmulatione in his se invicem virtutibus antecellere contendunt. Deniquequia Christus venit non ministrari, sed ministrare. *Matth* 20. Et fuit in medio discipulorum sicut qui ministrat. *Luc.* 22. lavitque pedes discipulorum. *Joann.* 13. Insuper etiam per spiritualia misericordiæ & Charitatis opera proximis subvenit, ignorantes docendo, peccantes corrigendo, à peccatis illos liberando, & illorum salutem procurando oratione, exemplari conversatione, consilio, exhortatione & aliis mediis: Ita Religiosi non tantùm ministeria sibi corporalia exhibent, verùm etiam proximorum salutem promovere studeant bonæ vitæ exemplo, instructione in rebus ad salutem necessariis, prædicatione, Sacramentorum administratione &c. ut ita nihil aliud sit vita Religiosa, quàm imitatio & expressio vitæ, conversationis & operum Christi.

Tertiò pertinet ad perfectum Dei Famulatum, ut opera vocationis nostræ faciamus eo modo & ratione, sicut fecit opera sua Christus; id est, ut peragamus quotidiana nostra exercitia & functiones integrè, totaliter, accuratè & exactè, sine defectu alicujus partis vel circumstantiæ requisitæ, Christus enim nec minimum

deesse passus est in executione omnium operum sibi à Patre suo injunctorum; sicut ipse testatur *Joan.* 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Et *Joan.* 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me.* Item *Joan.* 14. *Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Undè Joanni Baptistæ ait *Matth.* 3. *decet nos implere omnem justitiam.* Et ad Patrem suum cœlestem ait *Joann.* 17. *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.*

Quartò deniquè requiritur ad perfectum Dei Famulatum, ut opera nostra quotidiana faciamus ex optimo Fine, scilicet ex motivo virtutis *Charitatis*, & per actualem Charitatem illa non solùm in principio referamus ad Dei Beneplacitum, Gloriam & Honorem, sed etiam prosequamur & perficiamus; ita ut inter operandum simus quasi continuò conjuncti & uniti Deo per Actus Charitatis; sicut Anima Christi fuit & manfit Deo semper unita per Charitatem. In hac enim Unione per Actus Charitatis cum Deo consistit illa *conjunctio*, de quâ St. Dionysius Areopagita *de Eccles. hierarch. c.* 3. ait, quod Religiosa vita *cum Uno conjungat, & cum Sacrâ Monade colligat.* Undè Didacus Stella *lib. de contemptu vanitat. Mundi. Part.* 2. *c.* 16. ait: *Sequi Christum est operari, quod ille operatus est, & eo modo, quo ipse operatus est, qui fuit cum amore, & propter amorem; qui modus est altissimus: id quod tu potes facere, quamquam non tam perfectè, sicut ipse.* Quibus paucis verbis omnia complecti-

plectitur, quæ hactenus dicta sunt fusiùs. Et Nicolaus Lancicius *opusc. 1. de rectè traducendâ Adolescentiâ. c. 14. n. 195. Sequela Christi consistit in imitatione ejus virtutum, & prorsùs in imitatione modi vivendi illius, quem tenuit in hoc mundo, qui situs est in operando omnia perfectissimè.* St. Thomas in Charitate hac actuali ponit finem Statûs Religiosi: ait enim *2. 2. q. 186. a. 2. Ipsa perfectio Charitatis est Finis Statûs Religionis. Et ideò ille, qui assumit Statum Religionis, tenetur ad hoc tendere & operam dare, ut habeat Charitatem perfectam.* Quod etiam suprà §. 1. fecimus, quando diximus, *Statum Religiosum esse stabilem & ab Ecclesiâ approbatum in communi vivendi modum, tendentium ad Christianæ Charitatis perfectionem.* Deniqúe Petrus â St. Audomaro *instit. monast. lib. 1. c. 5.* dicit: *cuiq; persuasum sit, non in rerum renunciatione consistere perfectionem, sed in virtute Charitatis. Ridiculi proindè sunt, qui de votis paupertatis, castitatis, obedientiæ, Habitu, ceremoniis, jejunijs, vigiliis, hymnis ac canticis, laboribus, lectionibus, & aliis observationibus Regularibus mirè sibi blandiuntur ac intumescunt; parum aut nihil de Charitate soliciti: siquidem viæ sunt illa, atq; consequendæ perfectionis instrumenta; non autem ipsa perfectio.* Est igitur conjunctio & unio per Actualis Charitatis exercitium cum Deo necessaria & principalis conditio ad perfectum Dei Famulatum.

40. Quoniam verò ad tam perfectum operandi modum, & jugem quasi cum Deo in operibus

ribus noſtris ordinariis unionem non poteſt unico ſtatim ſaltu perveniri : Hinc Magiſtri Spirituales tres diſtinguunt claſſes & ordines ſeu Gradus. Primum vocant gradum *Incipientium ;* in quo collocant Novitios & Tyrones, qui recenter à mundo converſi, Deo in Religione famulari incipiunt. Undè primus hic gradus integrum Novitiatûs ſivè Tyrocinii tempus à primo die ingreſſûs uſque ad diem Profeſſionis includit. Secundus Gradus dicitur *Proficientium* ; & comprehendit eos, qui poſt editam profeſſionem ſe perficiunt & diſponunt ad Dignitatem Ordinis Sacerdotalis, proficiuntque de die in diem in exercitio operum Ordinariorum ſuæ vocationis, & Famulatu Dei; ut in tempore presbyteratûs ſuſcipiendi inveniantur perfecti. Comprehendit igitur hic ſecundus Gradus totum illud temporis ſpatium, quod mediat inter profeſſionem, & Ordinis Sacerdotalis ſuſceptionem, Loquor autem hic de illis Religioſis, qui profeſſi ſunt vitam mixtam: Nam in profeſſis vitam purè contemplativam, non requiritur unquam perfectio, ſed tendentia ad perfectionem. Tertius Gradus eſt *perfectorum.* In quo debent eſſe omnes Sacerdotes, tenentes vitam ex contemplatione, & Actione mixtam, adeoque omnes Epiſcopi, Parochi, & Parochorũ cooperatores, Confeſſarii, Concionatores, & quicunq; ex officio vel profeſſione domi aut foris Animarũ ſaluti procurandæ incumbunt, ſivè ii ſint Clerici ſæculares ſive Regulares. Quia ad omnes tales Sacerdotes pertinet hierarchicas exer-

exercere Functiones,& alios purgare, illuminare,atque perficere;prout deCanonicis Præmonstratensis Ordinis habetur *in præfat. Statut. ad Religiosos* Undè Ludovicus de Ponte. *lib. de Christiani hominis perfect. tract* 1. *de Provident. c.*1. *de varietate Statuum. Postquàmex S. Dionysio Ecclesiast. Hierarch. c.* 5. & D. Thomâ 2 2 *q.* 184. *a.* 5. dixerat, *Episcoporum Statum requirere ab eis nõ solùm, ut perfectioni quærendæ studeant; sed ut eandem jam sint consecuti, & in Sanctitate, quam alios docere debent, sint perfecti*; Subjungit deindè: *Ad eundem Statum censetur pertinere eorum etiam Religiosorum Status, qui profitentur salutem & perfectionẽ proximorum promovere concionando, docendo, Sacras Confessiones excipiendo, aliaq; in bonum Animarum Ministeria exercendo, quibus ipsos Episcopos in eorum Officio adjuvant.* Quando ergò dicitur communiter, non requiri à Religiosis, ut sint perfecti, sed ut ad perfectionem tendant, verissimum est de Religiosis vitam solùm contemplativam professis: Fallit autem in aliis, quorum vocatio est docendo, prædicando & confessiones excipiendo perficere Fideles, & illorum salutem promovere. Fallit multò magis in Canonicis Ordinis Præmonstratensis, quorum est proprium Institutum, gerere curam Animarum,Parochias administrare,& populum ab Episcopis sibi commissum regere. Nam quia sunt Episcoporum Adjutores & Cooperatores, exercentes ex instituto vel ratione officii sui Functiones ipsorum Episcoporum proprias,

cujusmodi sunt purificare, illuminare & perficere Fideles; tenentur eandem cum Episcopis habere perfectionem. Alioquin *ab Immundo quid mundabitur? Eccli. 34.* Et ab imperfecto quid perficietur?

§. 14.

De Proprio & Speciali Fine Ordinis Canonici Præmonstratensis.

41. Quamvis omnes Religiosi Status conveniant in eo, quod spectent purum ac perfectum Dei Famulatum, & conjunctionem cũ Deo per charitatem perfectam: Nihilominus quævis Religio proprios insuper & speciales habet Fines, per quos ab aliis Religionibus differt, & ad quos obtinendos accommodata præscribit media. Et quidem Ordinem Canonicum Præmonstratensem quod attinet, S. Norbertus illius Fundator duos speciales sibi Fines proposuit, & à suis Sociis ac Filiis proponi & intendi semper voluit. Primus est, *ut à Clericis Cultus purus, immaculatus & devotus Deo in templis seu in choro & Altari semper exhibeatur.* Circa quod notandum, quod temporibus S. Norberti Devotio & fervor in Cultu Divino valdè defecerit in Clero tam Regulari, quàm Sæculari; sicut passim videre est apud Historicos, & in Conciliis eo sæculo celebratis. Cui malo ut mederetur D. Norbertus, cùm frustrà jam reformationem tentâsset primò in Ecclesiâ Sanctensi sive Xantensi, deindè in Laudunensi,

Novum

Novum Canonicorum Regularium Ordinem juxta Regulam S. Augustini anno 1120. instituit, in quo Divina Majestas novo cum fervore & ardore diu noctuque laudaretur. Quod factum est tanto cum successu, *ut certatim illius colonias ducere viri Principes variis in locis voluerint, & primis octoginta annis ab illius institutione supra mille & octingenta Monasteria numerata fuerint;* ut inquit Beyerlinck *in theat. vitæ human.* Unde Honorius Papa III. *Benefaciens Dominus Bonis & Rectis corde, dilectos Filios, Fratres Præmonstratensis Ordinis in vitâ Mandatorum ipsius inoffensè currentes tanquam populum acceptabilem sibi, numero & merito ampliavit. Nos igitur prædictos Frateres speciali prærogativâ dilectionis & gratiæ amplexamur, ut qui Domino jugiter offerentes suorum vitulos labiorum, non solùm nobis, sed etiam universali Ecclesiæ piis intercessionibus incomparabiliter suffragantur.* &c. Alludit autem Pontifex ad illud *Hebr.* 13. *Offeramus Hostiam Laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium Deo.* Præterea Innocentius II. anno 1138. Cœlestinus II. an. 1143. & Eugenius III. à 1147. dicunt, Canonicos Ordinis Præmonstratensis *majori studio Cunctipotentis Dei servitio inhiare.* Hadrianus IV. anno 1154 testatur, Præmonstratenses esse eos, *qui propensiùs in Dei Laudibus atq; servitio commorantes, sicut membra excellentiora in Christi Corpore numerantur.* Innocentius IV. anno 1248. dicit, eos *Dei Laudibus solicitâ diligentiâ deservire.* Alexander IV. anno 1256. ait, eos

Domino gratum impendere famulatum. Denique Clemens VI. an 1343 dicit, eos *sedulum & devotum Altissimo impendere famulatum.*

42. Alter Finis specialis D. Norberti fuit *conveniens & debita Parochorum maximè ruralium administratio, & alienæ Salutis hominum præcipuè rusticorum, plebeiorum ac rudium studiosa procuratio.* Scribit enim Antonius à Gurnez Congregat. Oratorii Ordinis Presbyter *in Lacâ Parthen. c.* 43. *Malum socordiæ Parochorum tunc latè grassatum, & in Orbem infeliciter diffusum fuisse.* Quapropter ut populus Christianus deinceps perpetuò haberet bonos, exemplares & doctos Animarum Pastores, S. Norbertus Ordinem suum cum approbatione Summorum Pontificum instituit ad hunc finem, ut in Ecclesia Dei esset perpetuum quodammodò Parochorum Seminarium; uti testatur Clemens Papa VIII. in Diplomate anno 1603. dicens: *Ad hoc Ordo vester est institutus, ut perpetuum sit in Ecclesiâ Dei virorum fortium seminarium, qui virtute Spiritûs atrium fortiùs impavidè intrent, eum ligent, & gladio Spiritûs (quod est Verbum Dei) ejus vasa, animas scilicet Diabolicâ fraude deceptas, vasa bellantia contra Dominum, vasa vinculis iniquitatis irretita atq. captiva diripiant, & ex vasis contumeliæ faciant vasa gloriæ.* Exprimit tam hunc secundum quàm primum Instituti Norbertini Finem præfatus Antonius à Gurnez his verbis: *Malo socordiæ Parochorum latè grassanti & in Orbem infeliciter diffuso Deipara per S. Norbertum, atq. Ordinem suum Candidum succurrit. Etenim*

Prin-

Princeps Instituti Norbertus Canonicum ac Monasticum vitæ genus conjungens, contemplatricis & practicæ exercitationis studiis Alumnos suos informabat; quò in omnem partem Ecclesiæ, (quæ conditio tunc erat remissa temporum.) Divinis Laudibus ardentissimâ Charitate promendis (en primum finem) prædicatione verbi Dei, & Parœciarum solicitâ administratione (en secundum finem) fructibus præclarè redundantibus, citò mutatis in melius moribus, alia Ecclesiarum facies ubiq; resplenderet. Quod ita per eos factum est: Nam ab initiis suis cum viri excellenti sanctimoniâ, divinisq; literis egregiè instructi undiq; accederent, illos ad Animarum lucra ac prædicationis officium, deniq; ad Pastoralia Munia, ruri ferè obeunda, quaquaversùm emittebant. Undè Aubertus Miræus *in Chron. Præmonstrat. præfat.* ait, *jure Norbertina Monasteria posse fœcunda Parochorum Seminaria nuncupari.* Et Nicolaus Crusenius Ordinis Eremitarum S. Augustini, Theologiæ Doctor, ac per Bohemiam, Austriam, Styriam &c. Apostolicâ authoritate Visitator Generalis, *in Monastic. Augustiniano Part. 2. c. 20.* refert, se in visitatione suâ deprehendisse, hoc esse apud Præmonstratenses particulare, quod *in omnibus ferè Orbis partibus Pastoratibus deserviant, maximo animarum fructu, dum ex Monasteriis tanquam ex scientiarum ac benè vivendi Seminariis Probatiores ad pastoratus dimittuntur* &c. Deniq; Matth. Galenus Cancellarius Duacensis *in Ep. dedicat. ad Origin. Monaster.* ait, *tot optimè administratus in hodiernum testari Pa-*

rochias, quam operam navaverit D. Norbertus abhinc plus minus quingentis annis Germaniæ tantùm non ſepultæ inſcitiâ.

43. Nè verò Finis unus impediret alterum, S. Norbertus imitatus eſt Davidem, qui ſuos milites diviſit in duas turmas, & infirmiorem ac minùs idoneam ad præliandum contra hoſtes turmam voluit remanere ad ſarcinas; fortiorem verò & robuſtiorem eduxit in Prœlium contra Amalecitas; ita tamen, ut in diviſione prædæ *æqua eſſet pars deſcendentis ad prœlium, & remanentis ad Sarcinas. 1. Reg. 30.* Similiter ergo Religioſos ſuos in quolibet Cœnobio dividi voluit in duas cohortes & turmas S. Norbertus, ita quidem ut Cohors *ætate, viribus, ſcientiâ, prudentiâ & ſpiritu Religionis debilior* ac infirmior remaneret domi quaſi ad ſarcinas, hoc eſt, intra Clauſtri ſepta ſe continens, Divino cultui diu noctuque vacaret, ac inſuper per quotidiana Exercitia Spiritualia, nec non per literarum ſtudia ad Animarum curam paulatim ſe diſponeret: Altera verò Cohors & *turma fortior, & in ſpiritu ac perfectione robuſtior, doctrinâque, prudentiâ, & aliis ad ſublime Regimen Animarum neceſſariis qualitatibus inſtructior*, foràs ad paſtoratus ſeu Parochias emitteretur. Noverat enim vir ſapientiſſimus, quod Ars Artium eſſet Regimen Animarum, & onus ipſis etiam Angelicis humeris formidandum; requirens virum ex omni parte perfectum, & in Charitate Dei ac proximi ſolidatum, qui aliis ita proſit, ut ſibimet non obſit; Quod officium Chri-

Christus à suis Apostolis usurpari prohibuit, *quoadusq; induerentur virtute ex alto. Luc. 24.* Undè ipse ad Parochias & Curam animarum noluit quemquam promoveri, nisi priùs domi intra muros per vitæ contemplativæ exercitia se perfeciſſet in tantum, ut ſine propriæ ſalutis diſpendio, & cum aliorum utilitate ac fructu poſſet exponi: quia non obtinetur ordinariâ viâ perfectio vitæ Activæ, niſi præceſſerit contemplativæ vitæ exercitatio; juxta illud S. Bernardi *ſerm. 18. in Cantic. En quanta priùs infundenda ſunt, ut effundere audeamus; primò quidem compunctio, deindè Devotio, tertiò pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò Orationis ſtudium, ſextò contemplationis otium, ſeptimò plenitudo dilectionis. Quam qui nondum adeptus eſt, periculoſiſſimè promovetur & Animarum regimen ſuſcipit, quantislibet aliis videatur pollere virtutibus.*

Quia autem frequenter accidit, quod ex conſortio & converſatione cum ſæcularibus hominibus diſſipetur ſpiritus, & quibusdam terreni pulveris ſordibus aſpergatur animus (neceſſe enim eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere; ut inquit S. Leo *ſerm. 4. de Quadrages.*) Hinc S. Norbertus Parochos ſuos voluit ſubindè reverti ad ſolitudinem Clauſtri, & ibidem per ſpiritualia exercitia ſpiritum ſuum renovare. Ita enim neceſſarium eſſe, docuit nos exemplo ſuo Chriſtus Paſtorum Animarum Princeps, quando non ſolùm ante initium ſuæ prædicationis ſeceſſit in ſolitudinem, exercitiis

vitæ

vitæ contemplativæ, Orationi scilicet, jejuniis &c. vacaturus. *Matth.* 4. Sed etiam posteà in Officio prædicationis actualiter constitutus, frequenter solitudinem repetiit, & ibidem Orationi se dedit *Matth.* 14. & *Marc.* 6. non quod ipse tali secessu opus haberet, sed ut nobis exemplum præberet.

Prætereà quia tutius est mori in Coronâ Fratrum precibus suis & exhortationibus ad Beatam Mortem adjuvantium; & ipsis etiam Parochianis atque Ecclesiis melius providetur per Ministros sanos & valentes, quàm per infirmos & debiles; voluit S. Norbertus Pastores seu Parochos sui Ordinis laboribus & senio debilitatos ac viribus exhaustos redire ad Claustrum; ut in eo per reliquum vitæ tempus per opera pœnitentiæ abstergant, quod fortè in tam periculoso & sublimi officio per negligentiam aut ignorantiam deliquerunt; seque hac ratione ad felicem mortem se disponant; memores aureæ illius sententiæ S. Augustini, dicentis, *Neminem post perceptum Baptismum, quamvis nullius peccati sibi esset conscius, absq; dignâ & competenti pœnitentiâ migrare hinc debere.*

44. Porro ex hoc duplici fine S. Norberti bene perspecto colligitur facilè, quæ sit obligatio eorum, qui se Norbertinos profitentur, & Instituto S. Norberti sunt incorporati; scilicet ut *primò* in Ecclesiâ & choro Deo cultum purum, sanctum & gratum diu noctuque alacriter exhibeant, atque illa omnia, quæ ad talem cultum ritè præstandum pertinent, probè addiscant.

Secun-

Secundò, ut aliis simul exercitiis pietatis, & literarum studiis se ita impendant, quatenus necessarias virtutes & scientiam Officio Pastorali competentem tempestivè & ante actualem curæ animarum susceptionem acquirant; atque sic præstò semper & in promptu sint, qui vel necessitate vel utilitate Ecclesiæ exigente possint tutò & sine propriæ salutis periculo, ac cum aliorum ædificatione exponi. Quæ si à Superioribus urgeantur, & à Religiosis subditis fideliter compleantur, largam Dei Benedictionem in omnibus experientur; sicut experti fuerunt Nostri Antecessores, in quibus adhuc primus fervor Norbertinus vigebat; quibus Divina Liberalitas tantam contulit benedictionem, ut in Ecclesiis, ubi antecedenter vix duodecim Alterius Ordinis Religiosi potuerunt sustentari, Fratres quingenti Præmonstratensis Ordinis commode fuerint sustentati; prout de Ecclesia S. Martini in Urbe Laudunensi testatur Hermannus Abbas S. Martini Torn. *An.* 1142. Et Beyerlink *in Theat. vitæ humanæ* refert, quod *unicum subindè Monasterium Ordinis Præmonstratensis mille Alumnos eduxerit in Ecclesiæ castra; nihilq; frequentius esset olim, quàm ut ducenti, trecenti, & plures in singulis Claustris inveniretur.*

Hæc de Fine, nunc ad media.

PARS

Pars II.

De Primo Gradu qui est Incipientium.

45. COmplectitur hic Gradus Tyrones & Novitios, docetq;, quidnam hi potissimùm toto sui Novitiatûs tempore præstare debeant, ut solida jaciant ad perfectionem fundamenta, quod illorum officium & munus, quis scopus seu terminus ab ipsis attingendus, antequàm ex Novitiatu dimittantur ad faciendam Professionem. Est autem duplex Novitiorum munus; *Primum* indicatus *Psalm. 33.* his verbis: *Diverte à malo.* Et *Psalm. 36. Declina à malo.* Item per Apostolum *Ephes 4.* ubi jubet *deponere secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.* Et *Colloss. 3.* ait. *Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro; expoliantes veterem hominem cum actibus suis.* Denique Isaias Propheta *c. 1.* illud sic describit: *Lavamini, mundi estote, aufferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè.* Consistit igitur primum Novitiorum Munus in eo, ut in illis *destruatur Corpus peccati, & ultra non serviant peccato, neq; deinceps regnet peccatum in mortali corpore eorum, ut obediant concupiscentiis ejus: neq; exhibeant membra sua amplius arma iniquitatis peccato. Roman. 6.* Nam teste S. Basilio *in Psalm. 1. Principum profectus est digressus à malo.* Et juxta Apostolum *2. Ti-*

Timoth. 2. Si quis emundaverit se ab istis (peccatorum sordibus) *erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

Porrò Terminus à Novitiis per hanc conscientiæ emundationem acquirendus, & ante Professionem obtinendus est *puritas, serenitas, & teneritudo conscientiæ* tanta, quæ non solùm refugiat & abhorreat omne peccatum mortale, atq; etiam quodvis veniale deliberatum & plenè voluntarium, sed etiam Regulæ vel Statuti sui Ordinis transgressionem quamcunque plenè voluntariam; ita quidem, ut talis Novitius, qui Professioni propinquus est, etiam clam & in occulto ac remotis arbitris nihil amplius contra Præceptum committere ausit.

46. Alterum Novitiorum munus declaratur ab Eodem Apostolo *Ephes. 4.* his verbis: *Renovamini spiritu mentis vestræ, induite & novũ hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & Sanctitate.* Et *Rom. 6. Existimate vos mortuos quidem peccato, viventes autem Deo in Christo IEsu Domino Nostro. Exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo. Sicut enim exhibuistis membra vestra iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationẽ.* Brevius Isaias Propheta *c. 1. Discite benè facere.* Et Psalmista: *Fac bonum. Psalm. 33. & 36.* Requirit ergò munus hoc à Novitiis, ut etiam discant, benè facere, sivè ut assuescant opera vocationis suæ ordinaria peragere juxta normam & modum in Regulâ vel Statutis præscriptum.

scriptum. *Minus est* enim *mala non agere ; nisi etiam quisq; studeat & bonis operibus insudare*; inquit S. Gregorius *homil. 13. in Evan.* Undè Christus *Joan. 15. Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Et St. Joannes Baptista *Matth. 3. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Terminus verò hujus muneris est *Promptitudo seu Habitus & Facilitas peragendi opera vocationis suæ ordinariu tempore præscripto, alacriter, cum animi hilaritate, & ex motivo charitatis erga Deum.*

47. Atque hinc colligitur primò, quantum laborem, industriam & conatum impendere debeant Novitii per totum Tyrocinii sui decursum, sivè ab ingressu Monasterii usque ad Professionem, ut hanc facilitatem, habitum & promptitudinem opera vocationis suæ ordinaria modo suprà dicto peragendi acquirant. Nam quò plures obsistunt vitiosi habitus in sæculo acquisiti, ad malè operandum inclinantes, aliaque impedimenta & obstacula bonarum actionum è vitâ sæculari allata, eò majori & fortiori conatu opus est ad inflectendam naturam vitiis assuetam, ut benè operari consuescat; sicut testatur Propheta Jeremias *c. 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas ; & vos poteritis benè facere, cùm didiceritis malum* ; indicans non impossibitatem, sed difficultatem. Unde S. Basilius *serm. de abdicat.* ita alloquitur Novitium : *Violentorum est Regnum Cœlorum, & violenti rapiunt illud. Quocirca si tibi in animo est rapere Regnum Dei, Violentiæ te dato ; Cervices*

tuas

tuas Christi Servitutis jugo submittito, & ejus loris collum tuum arctè circumquaque cohibeto; premat illud cervicem tuam; labore illud virtutis atterito, jejunando, vigilando, ipsum te omnibus subjiciendo &c.

48. Colligitur secundò, quàm multi reperiantur sæpè in monasteriis, qui, etsi plures à suâ Professione numerent annos, atque inter veteranos jam emeritos recenseri velint, hos tamen duos Tyrocinii Terminos nec dum excesserunt, imò nè attigerunt quidem, atque ideò per omnem vitam suam in infimo *Incipientium* Gradu subsistunt. Nam neque eam conscientiæ teneritudinem assequuntur unquam, ut Regulam & Statuta sua etiam in occulto & remotis arbitris transgredi reformident; Neque habitum & promptitudinem opera vocationis suæ ordinaria tempore præscripto, alacriter, cum animi lætitiâ, & ex Charitate erga Deum peragendi acquirunt; videmus namque, eos quotidiana sua Exercitia obire ut plurimùm coactè, oscitanter, luridè, & valdè defectuosè, atque etiam in illis frequentandis tantam adhuc experiri difficultatem, ut propterà crebrò se subducant, causam & ansam se absentandi quærant, & importunis sæpè precibus exemptionem apud superiores impetrare vel potius extorquere laborent. De quibus S. Basilius *suprà serm. de abdicat. Eorum, quos rectè & ex virtute videris vivere, æmulator esto. Opta, ut sis de numero paucorum: rara siquidem, quæ bona. Cave putes, eos omnes fieri salvos, qui se inter Cellas continent: neq; enim ita res habet. Quandoquidem*

sunt multi, qui ad honestæ vitæ genus se conferunt; rarissimi autem, qui ipsius jugum suscipiunt. Violentorum enim est Regnum Cœlorum.

CAPUT I.

De Primo Novitiorum Munere & Officio.

§. 1.

Qualiter Novitii Conscientiam suam debeant emundare à peccatis Mortalibus in sæculo Commissis.

49. PRimus Novitiorum labor esse debet, ut conscientiam suam emundent ab omni inquinamento peccatorum mortalium, si quæ forsan in sæculari vitâ & conversatione contraxerint, & per veram pœnitentiam necdum absterserint. Ratio *prima* est, quia opera cæteroquin ex objecto suo bona, & in Scripturis commendata, v. g. jejunium, Laus Dei, Eleemosyna, Martyrium &c. nullius sunt meriti & valoris apud Deum, si fiant in Statu peccati mortalis; uti colligitur ex 1. *Corinth.* 13. Undè Deus opera talia reprobat *Psalm.* 49. *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et *Eccli.* 15 dicitur: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Theologi etiam ea vocant *opera mortua*, quæ nunquam reviviscunt ad meritum; eò quod processerint ab animâ spiritualiter & peccatis mortua. *Secunda* Ratio est, quia perfectio Hominis Religiosi, ad quam Novitii etiam dispositivè

tivè saltem & remotè debent conari, regulanda est juxta vitam & conversationem Christi in terris, qui fuit Exemplar & Archetypon veræ perfectionis. Dicit autem Scriptura, quod is fuerit purissimus ab omni labe peccati. *Joann.* 8. *Hebr.* 7. & 1. *Pet.* 2. *Tertia* ratio est, quia perfectio consistit potissimùm in conjunctione & unione cum Deo per Charitatem: huic autem unioni contrariantur quævis peccata mortalia, utpotè quæ in Scripturis vocantur *Recessio à Deo. Daniel.* 9. *Aversio à Deo. Jerem.* 3. *Elongatio à Deo. Psalm.* 72. *Divisio à Deo. Isaiæ* 59. *Derelictio Dei. Jerem.* 2. &c. Constat autem, quod nihil sit tam contrarium unioni & conjunctioni, quàm recedere, se avertere, dividere, & elongare ab eo, cum quo fieri debet conjunctio.

50. Porrò hæc conscientiæ à delictis mortalibus emundatio, & à fermento veteri expurgatio non potest aliter fieri, quàm per Sacramentum pœnitentiæ. De quo Tridentinum Concilium *Sess.* 14. *c.* 2. ait, quod *lapsis post Baptismum sit ad salutem necessarium, ut iis nondum regeneratis ipse Baptismus*; scilicet *necessitate medii vel in re, vel in voto.* Quæ necessitas etiam in causa fuit, quod Patres dicti Concilii Doctrinam hujus Sacramenti per plura capita tam accuratè & fusè tradiderint. Et quidem *cap* 5. docent, quod pœnitentes primò debeant conari, ut Sacramento præmittant *diligentem sui discussionem*, ità ut priùs *conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverint.* Pro quâ discussione con-

ceditur Novitiis tempus illud bimestre, quod ab ingressu Monasterii usque ad diem investitionis intercedit, maximè verò ultimum decendium pro spiritualibus Exercitiis deputatum. Nam quia omnes ferè Religiosi Ordines exigunt à Tyronibus Generalem de omnibus totius vitæ peccatis Confessionem; meritò illis pro discussione conscientiæ tam laboriosâ & intricatâ conceditur longior & productior temporis mora.

51. Secundò requirunt *cap.* 4. ut Confessioni peccatorum præmittatur *contritio*, sivè *animi dolor ac detestatio de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero.* Quam contritionem dicunt esse duplicem: prima est *imperfecta*; quia non est Charitate formata & perfecta, vocaturque *Attritio; Et vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur communiter; estq; Donum Dei, & Spiritûs S. impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Altera est Contritio *perfecta Charitate*, sivè Actui Charitatis conjuncta, vel ex motivo supernaturali Charitatis elicita; quæ cùm sit Sacramentum in voto, pœnitentem Deo reconciliat, priusquàm ipsum pœnitentiæ Sacramentum in re suscipiat; sicut Baptismus in voto v. g. Martyrium vel Actus Charitatis supernaturalis justificat absque actuali

sulce-

susceptione Sacramenti Baptismi. Quamvis autem communis sit Theologorum sententia, quod Attritio supernaturalis descripta superiùs possit esse pars Sacramenti pœnitentiæ, etiam sine omni actu charitatis ; Nihilominùs quia non solùm Doctores aliqui ante, sed etiam post Concilium Tridentinum tenent, requiri ad omnem justificationem etiam in Sacramento Pœnitentiæ, Actum aliquem Dilectionis Dei, saltem minùs perfectum, juxta illud 1. *Joann.* 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et juxta Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 6. ut propterea à Pallavicinus Cardinalis *de Sacramento Pœnitentiæ c.* 12. *n.* 140. dicat, oppositam sententiam repugnare tum Scripturæ, tùm Patribus, tùm Divo Thomæ, tùm Concilio Tridentino, tùm rationi: Hinc tutiùs aget Novitius, & fructuosiùs, si pro majori conscientiæ suæ pace & tranquillitate conciliandâ, immediatè ante Sacramentum pœnitentiæ eliciat Contritionem perfectam & Charitate formatam, dolendo scilicet de Peccatis, & detestando ea, quia Deo summo Bono adversantur &c.

52. Tertiò exigunt Patres *cap.* 5. *integram peccatorum confessionem*; quæ integritas in hoc consistit, ut *à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem Conscientiam habent, etiamsi occultissima illa sint*, recensentur *singillatim* ; cum declaratione earum Circumstantiarum, *quæ speciem peccati mutant*; uti & probabiliùs earum, quæ intra eandem etiam speciem notabiliter malitiam peccati augent & aggravant; item cum expressione numeri

meri peccatorum certi, aut saltem probabilis, & verisimilis; prout is post diligentem conscientiæ discussionem sciri & cognosci potuit.

Debet autem à Novitiis in principio suæ conversionis & ante assumptionem sacri Habitus institui Confessio Generalis de omnibus totius vitæ peccatis; Idque ex tribus præcipuè causis: Prima est, ut Confessarius & Magister spiritualis intelligat, quibus præsertim vitiis & peccatis habituatis seu malis consuetudinibus Novitii fuerint hactenùs in sæculo irretiti; quibus tentationibus potissimùm infestati; quæ illorum ad malum propensio & inclinatio &c. Quatenùs deinceps in subsequentibus Confessionibus possit eos congruis & opportunis remediis juvare, & præmunire. Secunda causa est, ut Novitii, si fortè in sæculo confessiones aliquas feciſſent mutilas ob defectum necessariæ discussionis, aut invalidas ob defectum sufficientis Doloris & Propositi, aut quocunque ex capite defectuosas (quales, heu! plures à Juvenibus fieri solent) errorem commissum nunc emendent, & defectum suppleant. Tertia est, ut ex Generali Confessione cum tantâ diligentiâ & multorum dierum labore peractâ, major in Novitiis oriatur *Conscientiæ Pax ac serenitas, cum vehementi spiritûs consolatione*; prout ex Sacramento Pœnitentiæ dignè suscepto oriri solet, teste Tridentio *suprâ Cap. 3.* Familiare siquidem est Diabolo, quod Novitios inquietare, & in suo progressu turbare soleat, objiciendo eis & suggerendo quasi peccata vitæ

suæ

ſuæ ſæcularis non ſufficienter in confeſſione manifeſtaverint, aut non ſatis de illis doluerint. Quibus proindè tentationibus & animi inquietudinibus obviare poſſunt, ſi juxta directionem Magiſtri ſui Spiritualis inſtituant exactam Generalem Comfeſſionem de peccatis totius vitæ.

Porrò ut hoc negotium inſtituatur & tractetur cum majori facilitate & ultilitate, obſervanda ſunt ſequentia: *primò* concipiendum eſt vehemens deſiderium & ardentiſſimum propoſitum, Confeſſionem Generalem de totâ vitâ faciendi tam ſincerè, integrè & exactè, ac ſi futura eſſet ultima, & qualem quis in horâ mortis, coram Tribunali Chriſti Judicis, & ingreſſu æternitatis feciſſe ſe vellet; ita ut deinceps opus non ſit, ampliùs de repetendâ Generali Confeſſione cogitare. Ad quem finem ſervire poterunt meditationes de morte, incertitudine & brevitate vitæ humanæ, Judicio univerſali & Particulari, Inferno, Bonæ conſcientiæ tranquillitate & lætitiâ &c. *Secundò* petenda eſt à Deo Gratia & auxilium, quo adjuti poſſimus venire in cognitionem omnium peccatorũ mortalium, â primo uſu rationis pleno usque ad tempus præſens commiſſorum; & de illis ritè dolere, ea integrè confiteri, & fructus Sacramenti pœnitentiæ (qui præter remiſſionem peccatorum ſunt conſcientiæ pax & tranquillitas, perfectior ſtatus noſtri interni cognitio, & Spiritus pœnitentiæ ſeu Zelus Deo pro illatis injuriis & offenſis ſatisfaciendi) abundantiùs

consequi valeamus *Tertiò* sepositis omnibus aliis curis & negotiis inchoandum est Scrutinium sivè examen Conscientiæ circa facta, dicta, & cogitata contra Dei & Ecclesiæ Præcepta ; revocando in memoriam *loca*, in quibus viximus ; *Socios*, cum quibus conversati sumus; *negotia*, quæ tractavimus ; Et annotando breviter, distinctè ac ordinatè cum expressione speciei & numeri, quæ in examine occurrerint, ita quidem, ut peccata vel nunquam vel sub dubio Clavibus subjecta distinguantur ab aliis, quæ jam semel certò sunt in Cõfessione explicata; item ut peccata ex oblivione & bonâ fide omissa discernantur ab illis, quæ cum malâ fide & damnabili verecundiâ, aut cum dubiâ conscientiâ fuerunt omissa. *Quartò* post Confessionem Generalem ultimo Exercitiorum Spiritualium die, qui investitionem immediatè præcedit, ritè peractam, agendæ sunt Deo gratiæ pro infinitâ suâ Bonitate & Longanimitate, quâ nos peccatores hucusq, tolerare, & ad verâ pœnitentiam perducere dignatus est. Deindè renovandus est spiritus & propositum vitæ sanctioris posthac instituendæ. Charta etiam, quæ peccata inscripta continebat, statim est comburenda ; partim nè in manus aliorum incurrat; partim etiam nè per repetitam illius inspectionem pax conscientiæ & tranquillitas parta, iterum disturbetur; aut per renovationem specierum & imaginum aliquod periculum creetur. Quapropter verba illa *Philipp.* 3. *Quæ retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, exten-*

extendens me ipsum, censet S. Augustinus *in Psalm.* 89. Apostolum intellexisse de peccatis præteritis, quod ea post Sacramentum pœnitentiæ ritè susceptum oblivioni sint tradenda, saltem quoad eorum speciem & particulares circumstantias; nè videlicet ex recordatione eorum perturbetur pacatus & tranquillus conscientiæ status, ad profectum spiritualem maximè necessarius.

Quod si verò nihilominùs post Confessionem Generalem modo suprà dicto peractam oboriatur post breve vel longum tempus anxietas quædam animi & dubitatio, quasi unum vel alterum peccatum fuerit per oblivionem omissum, aut non satis explicatum, tunc servire poterit ad conscientiam quietandam Doctrina Sancii *in select. disput.* 41. *n.* 18. quam recitat & approbat Doctissimus Diana *tract.* 4. *de Sacram. resolut.* 107. his verbis: *Notanda est hic solemnis doctrina Joannis Sancii, quod nullus, etiamsi scrupulis non sit vexatus, post mediocrem adhibitam in discussione conscientiæ suæ perquisitionem, in ordine ad confessionem peccatorum efficiendam, teneatur ulteriùs de anteactâ vitâ cogitare. Quod si aliquid occurrat, non explicatum in confessione, poterit sibi persuadere, illud jam fuisse memoratum. Ita Sancius. Quod est valdè notandum, ad tollendos scrupulos.*

53. Denique requirunt Patres Tridentini *suprà c.* 8. ut pœnitens competentem pro criminum qualitate satisfactionem à Confessario injunctam humiliter acceptet, & fideliter adim-

pleat, partim propter integritatem Sacramenti, partim etiam, quia sic necesse est *ad præteritorum peccatorum vindictam seu castigationem, & ad novæ vitæ custodiam, ac infirmitatis medicamentum.* Non debet autem Novitiis esse satis, quod impleverint pro peccatis suis satisfactionem tantùm Sacramentalem à Confessario injunctam; sed insuper ex vehementi & ardenti zelo satisfaciendi Deo pro multiplicibus injuriis illatis, debent *crebris diversarum passionum angustiis patienter ducere vitam totam in pœnitentiâ;* ut inquit S Pater Noster *in Exhortat. ad Fratres*, exercendo videlicet opera pœnalia sivè afflictiva carnis, & tolerando patienter quæcunque adversa, sivè hæc proveniant immediatè à Deo, sivè à Superioribus, sivè ab æqualibus, aut inferioribus. Est enim Religio verus pœnitentium status, & Religiosi sunt *pœnitentes spontanei*; quia *quæ* alii *pœnitentes faciunt ex necessitate, à nobis fiunt ex voluntate*; inquit St. Basilius *epist. 1. ad Gregorium Theolog.* Undè St. Bernardus *epist. 49.* fatetur, se cum aliis secessisse in monasterium ad agendam pœnitentiam de suis peccatis. Verba ejus sunt: *Degentes in monasteriis, ad quæ nos nostra peccata compulerunt.* B. Petrus Damianus, Cardinalis, & Episcopus Ostiensis petebat instanter à Nicolao Papa II. ut abdicatis dignitatibus sibi liceret in monasterio deinceps vivere & agere pœnitentiam. Adducens enim plures Sanctos Patres, qui idem fecerant, subdit: *Horum igitur aliorumq; Patrum authoritate suffultus, Episcopatui in sanctis manibus*

nibus

nibus vestris irretractabiliter abrenuncio. Et quia pro innumeris peccatis meis non sum dignus in Ecclesiastică dignitate persistere; det mihi Divina Misericordia, eo ipso vitæ, quod restat, in luctu & pœnitentiâ permanere. Cùm Gelasius Papa I I. vellet S. Norbertum apud se retinere; Hic Pontificem *omni contentione obsecrabat, ut, quod vitæ reliquum erat, in pœnitentiæ operibus & Salute Proximi procurandâ pateretur exigere*; uti legitur in ejus vitâ. Deniqúe S. Petrus de Alcantara post mortem glorio us apparens dixit: *O felix Pœnitentia, quæ talem ac tantam mihi promeruit gloriam!* uti habet Breviarium Romanum.

Non tamen est necesse, ut quis in Statu Religioso pro Satisfactione suorum peccatorum exerceat opera quædam extraordinaria, & in suâ Religione inusitata; sed poterit quilibet abundè Deo satisfacere pro quibuscunque delictis, si usurpet mortificationes & afflictiones ordinarias in Regulâ vel Statutis præscriptas, v. g. si vigilias, jejunia, frigoris & caloris perpessionem, strati & vestium asperitatem, ministeria quotidiana Fratribus exhibenda, laborem corporalem, humiliationes, reprehensiones, obedientias molestas, aliaque carni & voluntati propriæ contraria perferat & Deo offerat in satisfactionem pro suis peccatis. Nam S. Thomâ teste *quodlib. 3. a. 13. & 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3. Religio est status perfectæ pœnitentiæ; ita ut nulla Satisfactio adæquari possit pœnitentiæ Religiosorum, qui se & sua totaliter Deo dant. Undè pro nullo*

peccato

peccato imponi poteſt homini pro pœnitentiâ, ut Religionem introeat. Excedit quippè omne genus Satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ; adeoq; in ſatisfactionem pro omnibus peccatis ſufficit, quod aliquis ſe totaliter Divinis obſequiis mancipet per Religionis ingreſſum.

§. 2.

Qualiter Novitii deinceps abſtinere debeant ab omnibus peccatis mortalibus.

54. DEpoſitâ ſemel peccatorum mortalium gravi ſarcinâ, Novitiis deinceps connitendum eſt, ut in gratiâ & Sanctiate per Sacramentum Pœnitentiæ recuperatâ perſiſtant firmi, & *in novitate vitæ ambulent;* neque in aliquod peccatum mortale ampliùs relabantur. Nimis enim horrendum, informe, abominandum, deteſtabile, execrandum, & cœlo terræq; inviſum monſtrum foret Religioſus, peccans adhuc mortaliter; cùm Deus etiam in ſæcularibus hominibus tantum malum non ferat, ſed morte & pœnâ æternâ puniat. Quapropter Novitius peractâ Confeſſione Generali dictum ſibi exiſtimet illud *Joann. 5. Ecce iam ſanus factus es: jam noli peccare; nè deterius aliquid tibi contingat.* Et illud *c. 8. vade, & jam amplius noli peccare.* Quod enim Hominum Religioſorum peccata poſt ingens Vocationis Beneficium aliosque plures ſpeciales gratias acceptas commiſſa ſint multò graviora peccatis hominum ſæcularium,

ſatis

satis indicant verba illa Dei apud Isaiam *cap. 5.* conquerentis: *Quid est, quod ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Et apud Jeremiam *cap. 11. Quid est, quod Dilectus meus in Domo meâ fecit scelera multa?* De sæcularibus ex ignorantiâ peccantibus potest intelligi illud *Luc. 12. Qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Sed de Regularibus verificatur illud: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Item illud: *cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Quapropter ad perfectiora feramur; non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis: Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est & maledicto proxima*; inquit S. Paulus *Hebr. 6.*

Et quam poterit habere excusationem Religiosus, peccans adhuc mortaliter in Statu tali, in quo omnis ferè præcisa & adempta illi est occasio ac materia peccandi graviter? De mundo ait S. Joannes 1. *epist. c. 5.* quod *totus in maligno positus sit.* Non est igitur adeò mirum, si homo sæcularis in mundo constitutus mortaliter aliquando peccet. Verùm in Statu Religioso non sunt talia malorum irritamenta; non adest societas perversa, quæ verbis & exemplis seducat; nullæ adsunt corporis voluptates & illecebræ; præcisa est omnis occasio gulæ; sua sensibus externis posita est stricta custodia;

non

non regnat ibi *Meum & Tuũ, frigidum illud verbum, & quidquid est malorum, in vitam nostram invehens innumeraq; gignens bella*, teste St. Chrysostomo *Orat. de S. Philogonio.* Econtrà reperiuntur frequentia & efficacissima in Religioso Statu remedia, quæ à peccatis mortalibus præservare possunt, veluti sunt inspectio & vigilantia Superiorũ, Patris Spiritualis instructio, capitula culparum, Fraterna correctio, quotidiana rerum spiritualium Meditatio & Lectio, colloquia & conferentiæ Spirituales, Examen conscientiæ Generale & particulare, Silentium, Solitudo, Sanctissimorum Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentatio, exemplaris conversatio eorum, qui ejusdem nobiscum intentionis & Instituti existunt. Taceo auxilia supernaturalia specialia, cuivis Religioso Statui à Deo annexa & præparata pro iis omnibus, qui ad talem Statum sunt vocati. Nullus igitur excusationis locus relinquitur illis Religiosis, qui mortaliter adhuc peccare præsumpserint. Quin imò non parùm aggravatur Malitia peccati talium ex eo, quod Monasteriorum Fundatores & Dotatores per hoc defraudentur optimo suo fine & intentione: Nam Fideles, quando Bona & possessiones suas impendunt Fundationibus & Dotationibus Monasteriorum, faciunt id ex eo fine & intentione, ut Religiosi exindè viventes non solùm præcepta Dei & Ecclesiæ observent, sicut & Sæculares observare tenentur; Sed ut præceptis insuper addant Evangelica Consilia, & per horum obser-

servationem Deo exhibeant perfectiorem famulatum. Si igitur Religiosi posteà ne quidem præcepta Dei & Ecclesiæ observent, sed contra illa mortaliter adhuc delinquant, procul dubio Fini & intentioni Fundatorum graviter repugnant, ac propterea sui peccati malitiam adaugent.

Sunt autem adhuc alia etiam motiva, quæ Religiosum Tyronem possunt ad fugam peccatorum mortalium impellere. *Primum* est, quod omne peccatum mortale sit gravissima Dei Summi Boni injuria & offensa; ita ut malitiam in se contineat moraliter infinitam, pœnâque infinitâ condignam, propter infinitam distantiam inter hominem offendentem & Deum offensum. Undè tantam injuriam Deus volens ostendere apud Jeremiam c. 2. exclamat: *Obstupescite cæli, & portæ ejus desolamini vehementer! duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt* &c.

Secundum est, quod omne peccatum mortale occidat animam peccatoris, privando eam vitâ spirituali & supernaturali, nempè gratiâ sanctificante, & vivificante. Nam *qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Tob.* 12. Et *peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem. Jacobi* 1. Scilicet *dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum. Eccl.* 21. Undè *Apocal.* 3. dicitur cuidam: *Scio operatua; quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Et de Filio prodigo ait Pater, *mortuus erat, & revixit Luc.* 15.

Ter-

Tertium est, quod peccatum mortale mortificet omnia præcedentia merita, ita ut coram Deo non reputentur ad præmium. Undè Deus *Ezechielis* 18. *Si averterit se justus à justitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Et *Eccle.* 9. *Qui in uno peccaverit: multa bona perdet.* Item St. Joannes *epist. 2. videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis; Sed ut mercedem plenam accipiatis.*

Quartum est, quod peccatum mortale faciat hominem Deo abominabilem, inimicum & detestabilem. Quia *similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus. Sapient.* 4. Propter quod opera peccatoris cæteroquin bona ex objecto suo non sunt meritoria præmii supernaturalis; uti constat ex *1. Corinth.* 13. ubi Eleemosyna, Fides & Martyrium pronuntiantur ab omni mercede seu præmio vacua; eò quod sint absque Charitate, quæ dignificare debet opera nostra, ut digna fiant præmio supernaturali. Nam *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Non potest autem Charitas stare cum peccato mortali; utpotè quæ vel est ipsa Gratia sanctificans seu justificans; vel saltem cum eâ ita conjuncta, ut cum eâ recedente abeat, & cum accedente veniat. *Trident. sess. 6. de Justificat. c. 7.*

Quintum est, quod omne peccatum mortale faciat hominem Gehennæ & æternæ damnatio-

tionis reum, ita ut, si peccator morte præventus, sine pœnitentiâ decedat ex hac vitâ, certissimè & infallibiliter futurus sit pabulum ignis infernalis; attestante ipso Salvatore Nostro *Luc.* 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Quod enim dicitur *Matth.* 5. de homine injuriante Patrem suum : *reus erit gehennæ ignis*; id de quovis mortaliter peccante accipi potest.

Sextum est, quod peccatum mortale non statim deletum per pœnitentiam, trahat post se alia plura peccata graviora, faciatque hominem paulatim ac sensim sinè sensu devenire in profundum & abyssum peccatorum. Solet enim Deus per subtractionem gratiæ & auxiliorum specialium recedere à peccatore, & illum sibi ipsi ac suis cupiditatibus relinquere; juxta illud *Psalm.* 80. *Non audivit populus meus vocem meam : dimisi eos secundùm desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.* Et *Rom.* 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* In qualia autem & quanta peccata præcipitet seipsum miser homo, si à Deo deseratur & sibi ipsi relinquatur, colligi potest ex verbis St. Pauli *Roman.* 1. Scilicet sicut lapis grandis & rotundus in summitate montis, si dimittatur, non cessabit currere, donec ad profundam & imam vallem pervenerit : ita homo peccator à Deo per subtractionem gratiæ & auxiliorum specialium dimissus & sibi relictus, suorum peccatorum pondere & gravitate devolvetur in abyssum malo-

rum. Undè David *Psalm. 37.* Deum orat: *Nè derelinquas me Domine Deus, nè discesseris à me.*

§. 3.

De venialibus peccatis fugiendis.

55. PEccata venialia, licet Charitatem non expellant, nec æternam mereantur pœnam in inferno, nec hominem Dei inimicum faciant; uti testatur Tridentinum *sess. 6. de Justificat. c. 11.* Attamen fugienda etiam sunt homini, maximè Religioso, & eorum diminuendus est numerus, quantum humana infirmitas permittit. *Primò*, quia quodlibet etiam minimum veniale peccatum est offensa quædam & injuria Dei; sicut ait S. Hieronymus *epist. ad Demetrid. Nonne ideò putes aliqua contemnenda, quia leviora: tam enim maxima, quàm minima à Deo imperata sunt; & contemptus uniuscujusq; præcepti præcipientis injuria est.* Undè Deus hanc sui injuriam & offensam gravibus pœnis in purgatorio igne punit; uti colligitur ex verbis Apostoli 2. *Corinth. 3. Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* De quibus S. Augustinus in *Psalm. 37. Quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè: quamvis salvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Et *serm. 41. de Sanctis: Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Cùm ergò Deus misericordissimus, & miserationes ejus sint super omnia opera ejus; nihilominus autem venialia peccata puniat pœnis tam acerbis, ut nulla eis

pœna

pœna possit in hoc mundo æquiparari, manifestum est, quod peccatum veniale sit Dei injuria & offensa non contemnenda.

Secundò, quia peccata venialia, licet Charitatem non destruant, fervorem tamen illius valdè diminuunt, faciuntque hominem in Dei servitio & bonorum operum exercitio tepidum, languentem & ignavum Qualis fuit ille, de quo Christus *Apoc. 2. Habeo adversum te, quod Charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; undè excideris & prima opera fac.* Et *Apoc. 3. Scio operatua* &c. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus.* Solent enim peccata venialia, maximè plenè deliberata, & perfectè voluntaria animum hominis reddere abjectum, timidum: pusillanimem, tristem &c. Fiduciamq; in Deum minuere, & serenum ac limpidissimum illud cordis gaudium, quod Deus in fidelissimos sui cultores liberaliter dimanat, auferre: quo deindè ablato suboritur in animâ languor quidam, tepiditas & socordia, ut rariùs & difficiliùs in actus Amoris erga Deum assurgat, eosque non nisi remissos eliciat.

Tertiò quia peccata venialia deliberatè & plenè advertenter commissa disponunt ac viam parant ad mortalia; Dicente Scripturâ *Eccli. 19 Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quamvis enim justi, dum in levia & quotidiana peccata cadunt, non propterea desinant esse justi; uti Tridentium declarat *Sess. 6. de Justificat. c.* 11. Neq; etiam venialia quomodocumq; multiplicata possint in se ipsis fieri mortalia: Nihilominùs

ominus voluntatem hominis paulatim inclinant & disponunt ad mortalia, sicut languor Corporis ad mortem. Undè S. Basilius *serm. de Abdicat.* ait: *Nullum sit erratum, quod parvi pendas; esto, quâvis illud tenuissimâ bestiolâ minutius sit.* Nam minimæ etiam bestiolæ, v. g. tinea vel teredo non minimum inferunt successivè damnum vestibus & lignis, ac consequenter integris ædificiis. *Propterea exhortor, initio ut caveamus, vel pusilla fugientes mala: nam magna ab his nascuntur;* inquit S. Chrysostomus *homil. 12. in epist. ad Roman.* Et *in Psalm. 6. Quando parvam aliquam animi perturbationem susceperis, nè eam neglexeris, quod parva sit; sed considera, quanta mala pariat: Nam si in domo parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus: non enim attendimus initium; sed ex initio finem considerantes movemur.* S. Ephrem *de morbo linguæ* ait: *Paulatim homines decipiuntur, & ex parvis principiis in magna crimina præcipites ruunt. Ex volucrum aucupio disce, quæ parva videntur, haud quaquam esse spernenda: Contingit enim, ut avis in laqueum incidens, parvulâ capiatur Ungviculâ, nec illi quicquam prosint alarum vires.* Idem est sensus communis aliorum SS. Patrum. Imò S. Antoninus 2. *part. histor. tit.* 15. §. 2. ait, Peccata venialia in principio dissimulata & neglecta integras tandem Religiones ad interitum perduxisse. Ejus verba sunt: *Religiones, quæ cum magno fervore & vitæ Sanctimoniâ initium habuerunt, minima negligentes tradi-*

tionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt usq; ad fundamentum, vota scilicet substantialia. Idem tradit S. Anselmus *epist. 6. ad Monachos*, dicens: *Certissimum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus; quia in Monasterio, ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis permanet; ibi pax inter Fratres. Ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo dissipatur paulatim & destruitur. Si ergò de virtute in virtutem velitis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere.*

Contingit autem hæc peccatorum venialium ad mortalia dispositio duobus modis. Primus est, quod venialia peccata, cùm sint quædam Dei offensæ & injuriæ, soleant impedire specialium Dei auxiliorum in animam influxum. Quamvis enim Deus nulli prorsùs homini deneget necessariam & sufficientem gratiam ad resistendum tentationibus, juxta illud Apostoli 1. *Corinth.* 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Nihilominùs quia per hoc generale & sufficiens auxilium tentationibus ingruentibus sæpè non resistimus; hinc Deus aliud quoddam specialius adhuc auxilium solet præparare illis, qui liberales erga ipsum se exhibent in operando, observantes non solùm præcepta, sed etiam consilia, quique cavent solicitè, nè vel in minimis ipsum deliberatè offendant. Quod speciale auxilium econtrà denegat iis, qui ita parcè & illiberaliter cum eo agunt opera supererogatoria nulla præstent,

sed insuper injuriis & offensis saltem levibus ipsum lacessant. Id quod expressè docent S. Hieronymus, Theodoretus, & Alii Expositoras in illud *Psalm. 17. Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Sivè juxta aliam versionem : *Cum benigno benignus eris, & cum liberali liberalis eris.* Qualis enim quisque se exhibuerit erga Deum, talem vicissim experietur Deum erga se, videlicet liberalis liberalem, parcus parcum, aversus aversum. Hoc autem speciali auxilio subtracto, quis non videt, hominem sic denudatū versari in magno periculo succumbendi per consensum tentationibus tam frequentibus & vehementibus?

Secundus modus est, quod per venialia peccata sensim ex parte hominis infringantur & debilitentur vires ad resistendum tentationibus. Nam ex frequentatione actuum venialiter malorum, maximè si cum plenâ advertentiâ fiant, assuescit homo paulatim repugnare Divinis Mandatis, & cedere tentationibus. Pudor quoque innatus & verecundia, quæ primitùs sentitur inter peccandum, proscribitur paulatim per actus frequentiores venialiter etiam solùm malos; conscientiæ remorsus sopitur & supprimitur; atque ita latè patens janua gravioribus peccatis aperitur. *Habet insitum quendam animæ pudorem atq; innatum; quem subitò calcare atq; projicere non potest, sed sensim ac paulatim ex negligentiâ perdit;* ut inquit S. Chrysostomus *homil. 87. in Matth.* dum videlicet post admissa aliquoties deliberatè peccata venialia fit liberior, effrons

effrons & impudens, dicitque: *peccavi; & quid mihi accidit triste? Eccl. 5.*

Deindè per peccata venialia tepescit paulatim Charitas, & fervor ejus diminuitur; pax, quies & tranquillitas animi interturbatur; Habitus virtutum naturales & acquisiti, qui magnam ad benè operandum facilitatem præstabant, per actus vitiosos cõtrarios debilitantur & deficiunt; contra vitiosi habitus quotidiè augentur & roborantur; qui licet ex actibus solùm venialiter malis sint generati, mihilominùs ad mortaliter etiam malos inclinant, si obiectum illorum sit ex genere suo malum.

56. Porrò quamvis cum illis gratiæ auxiliis, quæ communiter justis in hac vita dantur, non possit homo omnia peccata venialia collectivè sumpta per totum vitæ suæ tempus evitare, adeoque speciale id fuerit privilegium in Beatissimâ Virgine, quod nunquam venialiter peccaverit; uti docet Tridentinum *sess. 6. de Justificat. can. 23* Debet tamen Religiosus etiam Tyro & Novitius ad hoc conniti, *primò* ut saltem nunquam *ex proposito, deliberatè & cum plenâ advertentiâ* peccatum etiam minimum veniale admittat, etiamsi per illud propriam suam, vel aliorum vitam, honorem, aut famam conservare, imò totum mundum lucrari, aut convertere posset. Dixi, cavendum esse peccatum veniale *plenè* deliberatum *& perfectè* voluntarium; Nam quæ per subreptionem & semiplenè advertenter committuntur, nec ita sunt periculosa, nec omnia à nobis ordinariâ

viâ possunt vitari. Nam *in multis offendimus omnes. Jacobi. 2.* Et *non est homo justus in terrâ, qui non peccet. Eccle. 7.* Unde S. Ambrosius *lib. 1. Apolog. David. c. 2. Unusquisq; nostrûm per singulas horas quàm multum delinquit?* Et *lib de Bono mortis c. 2. Nulla dies sine peccato nostro præterit.* Item S. Augustinus *lib. de Naturâ & Gratiâ c. 36. Exceptâ Sanctissimâ virgine Mariâ, si omnes illos Sanctos, cùm hic viverent, Congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato? Quid fuisse responsuros putamus, nisi quod Joannes Apostolus: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est.* Et *epist. ad Seleuc. 108. Humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra subrepunt.* Hæc igitur venialia indeliberata, quæ nobis per incogitantiam ac furtivè quasi subrepunt, sufficere nobis debent ad clamandum quotidiè cum justis: *Dimitte nobis debita nostra* (nam hanc *justorum vocem esse & humilem & veracem*, testatur Tridentinum *Sess. 6. de justificat c. 11.* Deliberata autem & plenè voluntaria venialia debent ab homine Religioso esse aliena: *indignum enim prorsùs & à ratione alienum est, ut anima voluntariè delinquens copuletur Verbo Dei & Cælesti Sponso*; inquit S. Laurentius Justinianus *lib. de Cardinal. Operib. Christi.*

Secundò cavenda sunt Religioso Tyroni peccata venialia præcipuè illa, quæ majus & proximius causant vel inducunt periculum incidendi in mortalia. Cujusmodi sunt omnes aspectus curi-

curiosi formosarum facierum utriusque sexûs, colloquia otiosa sivè non necessaria cum mulieribus, contrectatio alienarum manuum extra necessitatem, excessus in cibo & potu, otium &c. Hæc enim & similia, licet in initio nihil admodum mali in se continere videantur, paulatim tamen ad enormia peccata latenter incautos perducunt.

Tertiò abstinendum est solicitè ab illis venialibus, quæ Hominem Religiosum magis dedecent & coram Sæcularibus eum magis prostituunt ac contemptibilem reddunt. Qualia sunt omnia mendacia, etiam jocosa, gloriatio & jactantia in verbis, joci illiberales & insulsi, verba minùs decentia & honestarum aurium offensiva &c. Talia enim semper horruerunt admittere Boni Religiosi. *In omni vitâ meâ sermo stultus non est egressus è labiis meis*; inquit S. Ephrem apud Gregorium Nyssenum. *In omni vitâ meâ neminem maledictis affeci. & omninò nullo cum homine Christiano contendi.* Et de Abbate Or refert Palladius in histor. Lausiacâ, *eum nunquam esse mentitum, nunquam jurâsse, neq; locutum esse nisi opus esset.*

§. 4.

De observatione Regulæ, & Statutorum.

57. TRia spectari possunt in Regulâ S. Augustini, quam Canonicus Ordo Præmonstratensis, cum aliis pluribus Ordinibus profitetur. Nam aliqua sunt *præcepti*, & obli-

gant sub mortali utpotè concernentia materiam votorum substantialium, aut necessariam cum iis habentia connexionem; nisi fortè parvitas materiæ excuset in iis, quæ admittunt parvitatem: Nam votum Castitatis eam non admittit. Alia habent vim *statuti* sive *ordinationis*, præscribentis dispositiones ad meliorem observationem votorum substantialium; veluti sunt jejunia, & austeritates regulares. Atque hæc ordinariè obligant tantùm sub veniali; nisi adsit contemptus; aut accedat præceptum rigorosum Superioris. Alia verò sunt *consilia* tantùm: ad quæ observanda non est obligatio sub culpâ aliquâ; Sed satis est ad evitandum peccatum, si non contemnantur ut inutilia, aut si contra eorum executionem animus firmo proposito non obfirmetur: Nam qui profitetur Regulam aliquam; non propterea vovet, se observaturum singula, quæ regula continet: Sed promittit, se victurum, moresque suos compositurum juxta directionem Regulæ; servando ea, quæ sunt ptæcepti, ut præcepta: quæ Statuti, ut Statuta; quæ consilii, ut consilia; Sicut docet S. Thomas *quodl.* 1. *a.* 20. & 2. 2. *q.* 186. *a.* 9.

58 Similiter Stauta Canonici Ordinis Præmonstratensis non stringunt sub aliquo peccato; *Sed sub obligatione pœnæ duntaxat; nisi contemptus, scandalum, vel quid aliud transgressionem vel mortalem vel venialem efficiat*; uti dicitur *in præfat. eorundem Statutorum.* Ubi tamen additur: *verùm sub hac declaratione tria*

Reli-

Religionis vota, & quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conservandum, aliaq; quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, nullatenus volumus comprehensa. Sed nec ad ea, quæ ex Romanorum Pontificum privilegiis, ordinationibus, atq; decretis; & ex conciliis, veletiam ex constitutionibus Juris communis, hiscè nostris statutis sunt inserta, hanc nostram extendi volumus declarationem.

59. Verùm ad hanc distinctionem tùm regularum tùm statutorum nullatenùs advertere debet, cui perfectio cordi est adeoque bonus Novitius æque ac professus non solet inquirere, vel attendere, num id, quod præscribitur, sub gravi, levi, aut nullo peccato obliget; Sed ipsi sufficit; qnod noverit præscribi, & juberi, ut adimpleatur: quia pro certo habet, quod, quidquid in Regulâ & Statutis præscribitur, sivè parvum sive magnum; Sivè ut præceptum, sivè ut consilium, id totum sit medium conducibile & proficuum ad perfectionem consequendam. Quod enim Regulæ quædam & constitutiones non obligent sub peccato, non est ideò, quod Fundatores Ordinum judicaverint, eas esse impertinentes, & inutiles ad finem vocationis: Sed quod noluerint onerare & gravare conscientias multitudine præceptorum. Undè qui minimas Regulas vel Statuta negligit, non solùm ad perfectionem Statûs & vocationis suæ non ascendet; sed paulatim majora audebit, & ipsa tandem substantialia vota infrigere non formidabit: Dicit enim Christus *Luc. 16.* *Qui in mo-*

modico iniquus est ; & in majori iniquus erit. Et *Eccl. 19. Qui spernit modica, paulatim decidet.* In observatione regularum omnis noster consistit profectus & progressus in Spiritu ; juxta illud *Proverb. 32. Custodi legem atq; consilium ; & erit vita animæ tuæ.* Quia regulæ & statuta sunt norma, Canon, & directio actionum nostrarum ; adeoque quò conformiores hæ sunt regulis & statutis nostris ; eò perfectiores censentur : â *Canonibus* enim dicimur *Canonici*, & â *regulis Regulares* : ut juxta has mores & actus nostros regulemus, & nec latum quidem unguem ab iis in operando recedamus: Sicut artifex in opere faciendo respicit semper ad regulam artis suæ, nè in parte aliquâ deflectat & aberret. Regulæ & statuta sunt *antemurale* civitatis nostræ spiritualis, nempè animæ : mandata autem sivè præcepta Dei & Ecclesiæ sunt ejus *munus*, quo cingitur, ambitur, & cõmunitur anima contra insultus tartarei hostis. Constat autem, quod murus tam diu integer & inconcussus persistat, quamdiù antemurale & exterius munimentum non sternitur & dejicitur. Econtrà si antemurale fuerit prostratum ; statim & immediatè hostis machinas suas convertit ad murum, ut eum jam suo præsidio denudatum concutiat ac prosternat. Undè Propheta Isaias. *c.* 26. descripturus fortitudinem Urbis Hierosolymitanæ, ait : *ponetur in eâ murus & ante-murale.* Econtrà *Threnorum* 2. describens devastationem ejusdem urbis Jeremias, ait: *Cogitavit Dominus dissipare murum*

filiæ

filiæ Sion luxit antemulare, & murus pariter dissipatus est. Eodem ferè modo quamdiù salva & integra persistit observatio Regularum ac Statutorum ; tam diù inconcussa etiam permanet observatio præceptorum Dei & Ecclesiæ : ubi verò Diabolus arietando perforavit, ac dejecit ante murale & munimentum Regularum & constitutionum ; in proximo jam est, ut machinas suas etiam convertat ad concutiendos & quatiendos muros præceptorum Dei Ecclesiæ : Undè *in præfat. Statutorum Canonici Ordinis Præmonstratensis, circa finem* dicitur : *Leges tam maturo judicio vobis præscriptas, necessarias, faciles, & sanctas. strictissimè & rigorosissimè observate : Scientes, quod vestra salus indè dependeat. Nemo vos decipiat : harum legum contemptores, suæ professionis sunt violatores ; & qui eas adimplere noluerit : regnum Dei non possidebit* ; Partim quia non vult adhibere media, per quæ ad perfectionem tenditur ; & consequenter non vult tendere ad perfectionem, quam tendentiam tamen omnes Religiosi Professi obligantur sub mortali : partim etiam quia per neglectum Regularum ac Statutorum paulatim deveniet ad neglectum & transgressionem Divinorum Præceptorum. *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt* : inquit S. Bernardus *de Ordine vitæ & morum instit.* Et teste S. Chrysostomo *homil.* 83. in Matth. *Citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.* Undè idem St. Bernardus *serm. contra vitium ingratitudinis*, ait, *si quos videmus apostatare à Deo,*

non

non putandum esse, quod tunc primùm inceperint deficere : quia ordinariè loquendo nemo repentè fit pessimus : Sed arbitrandum, eos *paulatim defeciſſe*, & in parvis & minutis anteà negligenter se gessisse. Quod verò de lapsu professorum à Religione & Deo apostatantium asserit S. Doctor ; verissimum etiam est de recessu Novitiorum à proposito suo Religioso deficientium ad sæculum. Quapropter ut in Religione perseverent, & ad gradum *proficientium* ascendere mereantur : ad eam conscientiæ puritatem & teneritudinem conari debent, quæ minimæ etiam Regulæ & Statuti transgressionem plenè voluntariam ac deliberatam refugiat & perhorrescat.

§. 5.

Medium primum ad puritatem & teneritudinem conſcientiæ acquirendam eſt frequentatio SS. Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ.

60 Quod Sacramenti Pœnitentiæ frequentatio non solùm conscientiam à peccatis præteritis emundet, & expurget : verùm etiam eam deinceps puram ac immaculatam conservet, imò etiam ab omnibus delictis præservet; patet *primò* exindè, quod pœnitens in examine & discussione conscientiæ, quæ confessioni debet præmitti, deveniat in exactam cognitionem & notitiam suorum defectuum; noveritque, quibus potissimùm vitiis laboret; con-

consequenter quid in se emendare ac corrigere, & à quibus abstinere debeat. Patet *secundò* exindè, quod per dolorem de peccatis ac seriam eorum detestationem iteratam pœnitens accipiat odium, horrorem & aversionem peccatorum majorem, ac magis radicatam & habituatam. Patet *tertiò*, quod pœnitens per firmum & efficax propositum non peccandi de cœtero in frequenti confessione iteratum fortiùs roboretur, obfirmetur, & præmuniatur contra tentationes & occasiones peccandi. Patet *quartò* ex eo, quod Confessarius intelligens statum pœnitentis, & propensionem illius ac inclinationem ad hoc illud vè peccatum, tanquàm prudens & peritus medicus soleat opportuna & proficua pœnitenti suggerere remedia, talesque injungere satisfactiones, quæ sint *non tantùm ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem; sed etiam ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum*; ut inquit Trident. *sess.* 14. *c.* 8. Patet quintò ex eo, quod Theologi cum S. Thomâ *q.* 85. *a.* 8. *ad* 1. doceant, per Sacramentum Pœnitentiæ conferri gratias actuales sivè auxilia specialia gratiæ, quibus homo juvatur ad peccata in futurum cavenda. Propter quas causas meritò prudentes Confessarii suos pœnitentes hortantur, & excitant ad frequentationem seu frequentem iterationem hujus Sacramenti; illamque non rarò pro satisfactione injungunt. Alii verò viri Sancti quotidiè illud suscipiunt; sicut B. Jordanis de Saxoniâ, Augustinianorum generalis in suâ historiâ de quodam refert,

refert, quod singulis diebus ante Sacrificium Missæ sit generaliter confessus, *eò quod nôsset, non tantùm maculas hoc lavacro detergi; sed virtutum etiam robur accrescere, & contra iteratos in eadem peccata lapsus gratiam in tempore subministrari.*

61. Quod verò etiam Sacramenti Eucharistiæ frequens susceptio plurimum conferat ad *puritatem conscientiæ* conservandam, manifestè testatur Trident. *sess* 13. *c.* 2. his verbis: *Sumi voluit Salvator noster Sacramentum hoc, tanquàm spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, Qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tanquàm antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Undè S. Thomas 3. *parte q.* 79. *a.* 6. *in corp. Per hoc, quod Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina. Alio modo, in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt Dæmones, repellit omnem Dæmonum impugnationem.* S. Chrysostomus *homil.* 45. *ad popul.* ait: *Hic Sanguis Dæmones procul pellit; qui cùm Dominicum Sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur.* Et *homil.* 45. *in Joan. Ut leones flammam spirantes, sic ab illâ mensâ discedimus, terribiles effecti Diabolo.* S. Cyrillus *lib.* 4. *in Joann. c.* 17. de hoc Sacramento dicit, quod *sedet sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroboret, perturbationes animi extinguat.* Et juxta S. Bernardum:

Hoc

Hoc Sacramentum minuit sensum in minimis; & in gravioribus tollit omninò consensum. Adeoq; *si quis non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.*

§. 6.

Medium secundum ad puritatem & teneritudinem conscientiæ obtinendam est examen quotidianum conscientiæ.

62. FUit hoc medium semper magni æstimatum à SS. Patribus & antiquis Monachis. S. Basilius serm. 1. de institut. Monach. ait: *completo jam die, omniq; opere tùm corporis tùm spiritûs absoluto, præclarè fiet, si diligenter unusquisq;, antequàm cubitum eat, cum animo suo conscientiam suam exquirat.* Et *serm. de Abdicat. Quæ singulis diebus feceris opera, ea vesperi tecum ipse commemora; & cu[illegible]is, quæ feceris pridie, conferto; studioséq; [illegible]ram dato, ut indies melior magis ac magis existas.* De S. Antonio Magno scribit S. Athanasius in ejus vita, quod discipulos suos instruxerit & admoverit, *ut rationem diei noctisq; facientes, si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent: sin autem nullus error eos decepisset, perseverantes starent in incepto.* S. Dorotheus *serm.* 11. ait, se modum examinandi quotidiè conscientiam accepisse à

Majoribus suis & Patribus antiquis. Ejus verba sunt: *Quo pacto per singulos dies, nos ipsos purgare, & propemodùm expiare debeamus, exactè docuerunt Majores & Patres Nostri; nempè ut vesperi sedulò quisq; perquirat & investiget, quomodò pertransierit diem illum: rursùs manè examinet, quomodo exegerit noctem illam; & pœnitentiam agat, & resipiscat coram Deo, si quo pacto (ut fieri potest) peccatum aliquod admiserit.* Quin & gentilibus aliquibus familare fuisse, quod suam conscientiam quotidiè examinarent, testatur Seneca. *lib. 3. de Irâ. c. 36.* his verbis: *Animus quotidie, ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cùm se ad quietem nocturnam recepisset, interrogaret animum suum: quod hodie malum tuum sanâsti? Cui vitio obstitisti? quâ parte melior es? desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet, sibi quotidie ad judicem esse veniendum. Quid pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis illi somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus, altus, liber, cùm aut laudatus est animus, aut admonitus; & speculator sui sercetus, cognoscit de moribus suis? utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cùm sublatum è conspectu lumen est, totum diem mecum scrutor; facta & dicta mea remetior; nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quarè enim quidquam ex erroribus meis timeam: cum possim dicere: vide, nè istud ampliùs facias; nunc tibi ignosco. In illâ disputatione pugnaciùs locutus es: noli posteà congredi cum imperitis;*

nolunt

nolunt discere, qui nunquam didicêre. Illum liberiùs admonuisti, quàm debebas; itaq; non emendâsti, sed offendisti: de cætero vide non tantùm, an verum sit quod dicis; sed etiam an ille, cui dicitur, veri patiens sit &c.

63. Est autem duplex examen conscientiæ in usu & praxi apud eos, quibus profectus suus cordi est. Primum dicitur *generale*, quo discutiuntur & examinantur omnes actiones, verba, & cogitationes à tempore ultimi examinis habitæ. Cujus ordinarium tempus apud plerosq; est vespertinum; prout suprà ex S Basilio audivimus. Cui aliqui superaddunt matutinum, ita ut per singulos dies Examina generalia duo instituant, unum manè post expletum Somnum, alterum vesperi post expleta negotia & labores; Sicut de Majoribus & antecessoribus suis refert S. Dorotheus. *serm.* 11. & S. Athanasius insinuat in vitâ S. Antonii suprà verbis illis: *rationem diei noctisq; facientes.* Cui laudabili consuetudini & praxi subscribunt etiam Statuta Canonica Ordinis Præmonstratensis, saltem quoad Sacerdotes. Nam de vespertino examine *dist.* 1. c. 8. *n.* 21. ut finito Completorio, *ad Examen conscientiæ peragendum, & ad quadrantem horæ producendum*, à Priore signum detur. De matuino autem examine à Sacerdotibus ante Sacrificium Missæ instituendo præcipiunt. *dist.* 1. c. 1. *n.* 9. ut *celebraturi juxta Apostolicum præceptum se ipsos probent; & excussis conscientiæ latebris, si quod peccatum mortale, vel de quo dubium est, repererint, quantumq; contriti sibi videantur*

tur, (nisi celebrandi urgeat necessitas, & tamen confessarii copia non habeatur) Sacramentaliter confiteantur. Quæ sui ipsius probatio, & latebrarum conscientiæ excussio nihil est aliud, quàm examen conscientiæ generale, tremendo missæ Sacrificio quotidiè præmittendum.

64. Porrò quinque numerantur communiter puncta pro examine conscientiæ generali observanda; quorum tamen duo priora non sunt propriæ illius partes; sed habent se ut dispositiones præviæ ad facilitandum & fructuosiùs peragendum ipsum examen. Primum est *gratiarum actio* pro omnibus beneficiis, communibus & specialibus, illo die & per totam vitam à Deo collatis: de quâ *homil. 72.* S. Chrysostomus *ad populum: Quisq; nostrûm, si fieri potest, per singulos dies intra se computet non tantùm communia beneficia, verùm etiam & propriè sibi collata; non tantùm promulgata & omnibus manifesta, sed etiam peculiaria, multosq; latentia: Sic enim continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere.* Solet autem hæc beneficiorum Dei recordatio, & pro iisdem gratiarum actio præmitti semper Examini conscientiæ, ut animus ex cognitâ earum magnitudine & multitudine incipiat agnoscere peccatorum suorum gravitatem & fœditatem; nec non enormem suam contra Deum ingratitudinem; magisque incitetur ad illius detestationem, & ad perfectiùs Deo serviendum.

Secundum punctum est *luminis supernaturalis petitio*, quo illustrati & irradiati possimus omnia

mnia noſtra peccata, imperfectiones & defectus noſtros ab ultimo examine admiſſos perſpicere & deprehendere: nè tenebris & caligine proprii amoris excœcati, dicamus nobis ipſis: *Dives ſum & locupletatus, & nullius egeo:* cùm tamen re ipsâ fortaſſis ſimus *miſeri, & miſerabiles, & pauperes, & cæci, & nudi. Apocal.* 3. Tanta ſiquidem intellectûs noſtri in propriis defectibus diſpiciendis eſt cœcitas; ut cùm aliorum mala etiam minima acutiſſimè videamus, non ſolùm propria noſtra occulta & interna non cognoſcamus, dicente Prophetâ Regio: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Pſalm.* 18. Et Apoſtolo 1. *Corinth.* 4. *Nihil mihi conſcius ſum: ſed in hoc non juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt; qui illuminabit abſcondita tenebrarum:* verùm etiam quæ externa ſunt, & oculis omnium expoſita, quæque alii manifeſtè in nobis cernunt eſſe peccaminoſa, indecentia, defectuoſa, & reprehenſibilia, nos pro talibus nequaquam habeamus; imò nonnunquam pro virtutibus reputemus, & ex illis laudem quæramus; ac propterea ſummæ injuriæ loco accipiamus, ſi ab aliquo etiam ſuperiore in talibus corrigamur vel admoneamur. Valdè igitur neceſſarium nobis eſt, ut à *Patre Luminũ* petamus illuminari dicentes cum Prophetâ: *Pſalm.* 17. *Deus meus, illumina tenebras meas; ut ſciam, quid deſit mihi.* Aut cum *Job. cap.* 13. *Quantas habeo iniquitates & peccata? ſcelera mea & delicta oſtende mihi.*

His præmissis sequitur tertium punctum, *ipsa scilicet discussio conscientiæ nostræ*; quæ est propriâ & prima pars Examinis; & consistit in hoc, ut nos reflectamus ad actiones, locutiones, & cogitationes nostras, à tempore ultimi Examinis habitas; easque conferamus cum præceptis Dei, Ecclesiæ, nec non cum obligationibus, Regulis & Statutis Ordinis nostri. De quâ discussione & Examinatione conscientiæ ait S. Chrysostomus *homil. 2. in Psalm. 50. Dicito in corde tuo, & in animâ tuâ: expendimus Diem, O Anima; quid boni fecimus? quid mali operati sumus? & si quid feciſti boni; gratias age Deo: si quid mali; de cætero nè facias.* Et *homil. 4.* in Genesin. *Rationarium nobis faciamus eorum, quæ accepimus, & quæ expendimus, quidnam utiliter & benè locuti simus, & quod otiosum verbum protulerimus; & iterùm quid utile per aures intromiserimus in animum; & quid nocere possit.* Item S. Bernardus *lib. meditat. c. 5. vitam tuam quotidianâ discussione examina: attende diligenter, quantum proficias, vel quantum deficias, qualis sis in moribus, & qualis in affectibus.*

Quartum punctum est *dolor de peccatis & defectibus admissis*, juxta illud *Psalm. 4. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Debet autem hic dolor elici ex motivo charitatis, ut sit contritio charitate informata & perfecta; quæ possit etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ abolere præterita peccata mortalia, si quæ forsan commissa fuissent; & simul animum ac voluntatem obfirmare contra

pec-

peccata in futurum; contritio enim perfecta & *compunctio super delictis præteritis delinit conscientiam, & corrodentium peccatorum dentes conterens, reducit ad spem veniæ: non solùm autem præterita, sed & futura repellit; nam & tentantia propulsat vitia, & nonnulla sic perimit, ut rarò aut nunquam erigere caput audeant venenatum.* Ut inquit S. Bernardus *serm. de altitud. & basi cordis.* Atque hinc communis est Magistrorum Spiritualium Doctrina, quod in Examine generali potissimam temporis partem tribuere debeamus *detestationi & dolori* de peccatis, tanquam puncto magis utili & principali; utpotè quod abolet peccata præterita, & præmunit contra futura. Erit verò contritio tunc remedium efficacius & magis fructuosum, si non in nudâ peccatorum detestatione & dolore subsistat; sed insuper ad vindictam & pœnam de peccatis sumendam procedat, sicut monet S. Chrysostomus *homil. 60. in Genes. dicens: neq; peccata, quæ nobis videntur parva, contemptim prætereamus; sed quotidie à nobis rationes repetamus & verborum & actionum, & pœnas de nobis ipsis sumamus; ut nos à futuro supplicio liberemus: Nam propter hoc & Paulus inquit: si nos ipsos judicaverimus, non utiq; judicabimur;* & S. Bernard. de vitâ solitariâ. *Discetemetipsum judicare, te ipsum apud te ipsum accusare; sæpè etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Manè præteritæ noctis fac in te exactionem; & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Vespere diei præteritæ rationem exige; & super veni-*

entis noctis fac indictionem, sic exolvat omne debitum Spiritus Deo, corpus Spiritui: ut si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tempore, non abeat impunitum, vel irrecompensatum.

Quintum punctum est *firmum propositum emendationis*, ex dolore consequens. Quod non tantùm debet in genere esse conceptum, (quale est: *me emendabo; corrigam vitam meam; fugiam hoc vel illud peccatum &c.*) quia generalia solùm proposita ordinariè nullum, aut exiguum habent fructum & effectum. Requiritur igitur propositum particularizatum & circumstantiatum, quod videlicet ad particulares circumstantias in hoc illovè loco, aut circa talem vel talem personam observandas descendit, & se extendit; mediaque idonea excogitat, vitium, aut defectum determinatum extirpandi. Præterea etiam in causas & radices peccatorum inquirit, quarè scilicet in hoc illovè genere impegerimus &c. Cui proposito subjungenda est brevis oratio sivè *imploratio gratiæ divinæ*, quâ efficaciter adjuti, fortiter in occurrentibus deinceps occasionibus exequamur, quod proposuimus; & difficultates quaslibet superemus.

65. Alterum examen conscientiæ dicitur *particulare*; quod instituitur circa vitium aliquod particulariter extirpandum; aut certam aliquam virtutem implantandam; aut opus aliquod ordinarium, officium, vel functionem ritè perfecteque obeundam. Circa cujus Examinis *materiam* sequentes Regulæ sunt tenendæ:

Prima

Prima est, ut non aggrediamur simul plurium vitiorum extirpationem; sed cum uno solo pugnemus; illoque planè & plenè devicto, ad aliud expugnandum nos accingamus; sicut docet S. Basilius *epist. ad Chilon. falle voluptates; ab eis te per gradus avocans, illarumq; singillatim exinaniens, ac obliterans consuetudinem; nè confertim, & velut agmine facto, in te unum omnes ad unum irritatæ cooriantur, turbulentamq; menti tuæ accersent tentationum intemperiem. Unam aliquam earum voluptatum prorsùs si contingeret evincere te; mox adversus alteram accingitor, adeoq; non intempestivam de singulis vitæ pristinæ illecebris consequêre victoriam.* Et S. Chrysostomus *homil. 28 in Joann. Vitia nostra tempore corrigamus, hoc mense unum, alio aliud, & ita consequenter meliores efficiemur.* Quod idem observandum erit in virtutum implantatione; ut scilicet non plures simul, sed unam singillatim inserere animo studeamus. Imò in unoquolibet vitio eradicando, aut virtute inserendâ, gradatim est procedendum: habet enim quælibet virtus suos gradus, per quos paulatim ascenditur ad ejus perfectionem: sicut & omne vitium habet suos gradus, per quos pedetentim pervenitur ad illius evacuationem & exinanitionem.

Secunda regula est, ut imprimis & ante omnia aggediamur vitium illud, quod nobis maximè præ cœteris est noxium, ac in nobis prædominans, animam graviùs sauciat; sicut monet S. Chrysostomus *homil. 11. in Genes.* dicens: *un-*

usquisq; operam det, ut vitium, quod sibi magis quàm cætera infestum sentit, ex animâ exsecet. Et S. Joannes Climacus *grad. 15. Is qui se uno quodam vitio amplius urgeri conspicit, contra ipsum & solum ante omnia se ipsum armet.*

Tertia est, ut in concursu vitiorum plurium in nobis atque gravium, aggrediamur & impugnemus præcipuè illud, quod est radix, fons, & scaturigo cæterorum. Cujusmodi est v. g. gula, sivè, gastrimargia, garrulitas, ira &c. Tradit hanc doctrinam Joan. Climacus *gradu. 8. circa finē.* S. Dorotheus *serm. 12.* Chrysostomus *homil. de malis à nobis avertend.* Cassianus *lib. 8. Instit c. 19.* Abbas Pinuphius apud eundem *collat. 20. c. 10.* Et suadet ratio: nam siccato fonte, & scaturigine obstructâ, necesse est sisti etiam fluxum rivulorum; & radice excisâ non possunt non arescere arboris folia & rami.

Quarta regula est, ut priùs & præ cæteris eliminentur vitia & defectus illi, qui sunt externi, & in oculos aliorum incurrunt, suntque cum scandalo aut offensione aliorum conjuncti. v. g. levitas in moribus, detractio, scurrilitas in loquendo, murmuratio &c. Quia hujusmodi vitia non tantùm nobis obsunt; Sed etiam communitati damnum adferunt, & plures peccare faciunt,

66. *Formam* Examinis particularis quod attinet, consistit ea in sequentibus: *Primum* est, ut manè post finem examinis generalis concipiamus firmum & efficax propositum, vitandi certum aliquod peccatum, quod extirpatum volu-

volumus; aut exercendi actum certæ alicujus virtutis, quam acquirere cupimus. Quod propositum tunc erit efficacius, si illud corroboremus aliquot rationibns & argumentis, propter quæ voluntas moveatur ad executionem: cujusmodi argumenta sunt honestas, utilitas & necessitas. Deindè multùm etiam juvabitur infirmitas nostra, si manè proponamus solùm usq; ad meridiem abstinere à tali vitio, aut exercere talem virtutem, in meridiano examine non extendamus propositum nostrum ultra vesperum, & finem illius diei.

Secundum est, ut in meridie & ante prandium ordiamur examen, sivè discussionnem conscientiæ, inquirentes, an, quando, qualiter quoties, in quibus occasionibus, propter quas causas per medium illum diem impegerimus contra propositum nostrum matutinum.

Tertium est, ut de lapsibus & defectibus in Examine deprehensis statim eliciamus actum displicentiæ, detestationis, & doloris; Firmumque ac efficax propositum cum novo fervore concipiamus, per medium reliquum diem usq; adExamen vespertinū à tali vitio abstinendi &c. Suadent verò Magistri spirituales, ut lapsus in Examine deprehensi; & eorum numerus in certâ ac peculiari chartâ vel libello semper annotentur; quatenùs posteà factâ collatione temporis pomeridiani cum matutino, diei cū die, hebdomadis cùm hebdomade, & mensis cum mense possimus faciliùs perspicere, quid & quantum profecerimus. Hanc enim temporis cum tempore

pore collationem velut efficax ad proficiendum in extirpatione vitiorum, & virtutum acquisitione medium suggerit S. Chrysostomus. *homil.* 11. *in Genes.* his verbis, *Scrutemur suam quisq; conscientiam, & rationem examinemus, & consideremus, quidnam in hac hebdomade probè actum sit, quid in alterâ, & quale augmentum fecerimus; quas in nobis affectiones correxerimus* &c. Item S. Basilius. *serm. de abdicat rerum. Quæ singulis diebus feceris opera, ea vesperi tecum ipse commemora; & cum iis, quæ feceras pridie, conferto, studioséq; operam dato, ut melior indies magis ac magis existas.* Et S. Bernardus *in Speculo Monachor. Comparanda est dies instans diei præteritæ; ut ex earum collatione suum deprehendere possit Monachus vel profectum, vel defectum.* Denique S. Dorotheus. *serm.* 10. *Perdiscat unusquisq; ubinam sit, quove in statu, quot jam milliaria peregerit, quantumque promoverit. Etenim non modò per singulos dies, verùm etiam per singulos menses & hebdomadas nos ipsos scrutari, rimariq; ac discutere, sedulò debemus, & dicere nobis ipsis: primâ hebdomadâ summâ vehementiâ ad talem passionem delapsus sum: nunc verò quomodò me habeo? num quidquam profeci? pari modo per singula temporum spatia dicendum; Anno præterito hac passione devictus sum; nunc verò quomodò me habeo? Atq; ad eum modum per singula vitia nos ipsos debemus inspicere, num aliquantulum profecerimus; vel in eisdem volutemur, aut certè ad deteriora lapsi simus.* Ut autem facilior & certior sit hæc er-

ratorum

ratorum & lapsuum nostrorum calculatio; proderit juxta doctrinam S. Ignatii (qui teste Antonio Gaudier, *de perfect. parte & sect. 5. c. 7.* hac præcipuè viâ particularis Examinis conscientiæ ad insignem vitæ sanctitatem, & animi puritatem ascendit) pro quâlibet hebdomadâ ducere quatuordecim lineas in chartâ quadam aut libello ad hunc usum parato, binas scilicet pro quâlibet die: in quarum unâ punctis formatis adnotentur lapsus nostri à tempore matutino usque ad meridianum examen commissi: in alterâ verò reliqui lapsus à meridie usque ad vespertinum examen admissii describantur, ita quidem ut linea posterior semper sit brevior priore; ut admoneamur, quod numerus erratorum debeat quotidie minorari & decrescere, prout videre est in appositio schemate, quod S. Ignatius in libello suo Exercitiorum Spiritualium exhibet.

Gula.



Alii ducunt lineas æquales, & æque longas; quas aliâ lineâ deorsùm in æqualiter ductâ interse-

terſecant, & in duas partes dividunt; ita quidem, ut majus ſpatium ſupernum contineat actus vitioſos, qui in principio ſolent eſſe plures & numeroſi: majus autem ſpatium infernum contineat actus virtutis oppoſitæ; qui in principio ſunt pauciores & rariores. Optima ſiquidem & maximè efficax ratio eſt vitia expugnandi, ſi virtutis oppoſitæ actus heroicos, intenſos, & frequentes eliciamus; quò magis enim radicatur & creſcit habitus virtutis; eò magis decreſcit ac deficit habitus vitioſus. Propter quod lineæ pro vitioſis actibus annotandis tunc fiunt breviores, quando virtutis oppoſitæ lineæ exiſtunt productiores; ut in Schemate appoſito cernitur.

Gula. *Temperantia.*



Quartum circa *Formam* obſervandum eſt, ut propter lapſus & errata in Examine deprehenſa ſumamus de nobis ipſis vindictam, & pœnam aliquam à nobis exigamus; prout ſuadet S. Chryſoſtomus *homil. 5. ad popul.* dicens: *Vis diſcere, quomodò vitium ſuperari poſſit? quomodò ab improbâ conſuetudine liberari liceat? Ego te docebo quendam modum, quem ſi tenueris ſuperabis omninò. Cùm videris te ipſum, vel alium quem-*

quemq; vel servorum, vel filiorum hoc malo captos & continuo commonefactos, nec correctos; jube non pransos cubare; & hanc tibiq; & illis damnationem impone; damnationem, non damnum, sed lucrum ferentem; talia enim Spiritualia & lucrum ferunt, & celerrimam correctionem.

Quintum est, ut materia Examinis particularis non facilè mutetur; sed tam diu uni alicui vitio extirpando insistamus, usque dum hoc planè devictum & funditùs sit eradicatum; dicentes cum Prophetâ *Psalm 17. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non convertar, donec deficicant.* [Non tamen est necesse ad plenam de vitio aliquo victoriam, ut nullam prorsùs titillationem aut motum illius sentiamus ampliùs; sed sufficit, illud à nobis esse eatenùs debilitatum; ut facilè & nullo negotio, dum se prodit & exsurgere tentat, à nobis reprimatur, & subigatur.

§. 7.

Medium tertium ad puritatem & teneritudinem conscientiæ obtinendam est peritia & dexteritas pugnandi contra tentationes diaboli, illasque superandi.

67. TRiplicis generis sunt tentationes: nam aliquæ nascuntur à *carne nostrâ*; & ab hac redundant in animam, quales communiter accidere solent juvenibus; ac iis omnibus, qui, cùm vitam agant quietam, & à laboribus corporeis vacu-

vacuam, bonâque & validâ sint corporis constitutione, carnem suam & corpus delicatè habent, farciunt, saginant &c. Contra quas tentationes non est remedium præsentius, quàm corporis mortificatio per jejunia, vigilias, labores, aliasque asperitates carni inimicas. Undè S. Hieronymus refert de S. Hilarione in ejus vitâ, quod, cùm à corpore juvenili & valido sentiret moveri sibi bellum, & tentationes excitari, illud compellaverit his verbis: *Equidem asselle, efficiam, ut non calcitres: avenam quippè lasciviæ illecebram tibi subtraham; ac non nisi paleis te pascam; fame sitiq; conficiam; gravi pondere opprimam; æstu & frigore indurabo; ut cibum potiùs quàm lasciviam cogites.*

Aliæ tentationes ortum habent *ab animâ nostrâ*; & ab hac redundant in corpus; quando scilicet species objectorum illicitorum per sensus externos olim haustæ, aut ex librorum obscœnorum lectionibus acceptæ, & in memoriâ ac phantasiâ nostrâ relictæ, datâ occasione repræsentant intellectui objecta illa prohibita aut periculosa, quorum imagines existunt. Quod tentationum genus tunc nos infestare potissimùm dignoscitur, quando magis confligimus cum fœdis imaginibus; quàm cum turpibus corporis motibus, quomodò S. Hieronymum in Eremo post debilitatam carnem conflixisse legimus cum imaginibus & speciebus olim Romæ haustis in sæculari vitâ. Contra quas tentationes præsentissimum sunt remedium Oratio ad Deum; seria occupatio intellectûs

ctûs & phantaſiæ ; ſpecierum ſæcularium plena evacuatio, aut earundem ſuppreſſio per frequentem librorum piorum lectionem; potentiarum cognoſcitivarum & rememorativarum ab evagatione cohibitionem &c. de quibus ſuo loco fuſiùs.

Aliæ deniqúe tentationes ortum ſuum habent à malo Dæmone, eas ingerente, & in nobis excitante; quæ dignoſci & deprehendi poſſunt ex ſequentibus ſignis.

Primò, ſi tempore valdè inopportuno ſe inſinuent & ingerant, nimirum tunc, cùm homo id minùs vult, & minorem habet occaſionem id cogitandi; v. g. ſub oratione ſtudii litterarum, miſſæ ſacrificio &c.

Secundò, ſi cognitiones occurrentes adeò ſint extravagantes, & alienæ, ut homo, qui tentatur, nihil prorsùs unquam viderit, audierit, aut cogitaverit eorum, quæ ſuggeruntur.

Tertiò ſi tentationes adveniant cum violentia quâdam, & cum turbatione phantaſiæ, offuſione tenebrarum &c. Nam *omnes Dæmones primò intellectum noſtrum obnubilare contendunt, atq; ita demùm ea, quæ ſibi amica ſunt, ſuggerunt*, ut inquit Joannes Climacus *Grad.* 15.

Quartò ſi homo ex rebus, quas introrsùm audit, eas advertat non tam à ſe, quàm ab alio dici & fieri. Hæc enim ſigna ſunt evidentiſſima, quod tentationes, quas patimur, non à carne noſtrâ oriantur, etiamſi in carne contingant; ſed à Diabolo motore & incentore proficiſcantur:

tur: contra quem proindè arma nostra sunt convertenda.

68. Noverit igitur tyro Spiritualis & Novitius, quod Diabolus sicut Dei, ita & hominis ad imaginem Dei creati sit hostis & adversarius infensissimus; nihil aliud quærens, sitiens & intendens, quàm Dei injuriam, & hominis æternam damnationem. Ad quam procurandam omnes vires & dolos & astus adhibet, ut incautum hominem ad peccatum tentando pertrahat. Undè in Scripturis vocatur *Satanas Matth. 4. & Luc. 22. Satanas expetivit vos, ut cribraret vos.* Et 2. *Corinth. 2. ut non circumveniamur à Satanâ: non enim ignoramus cogitationes ejus.* Significat autem Satanas latinè idem quod adversarius; undè S. Petrus 1. *Epist. c. 5. Adversarius vester diabolus, tanquàm leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Vocatur etiam *tentator* Matth. 4. & *seductor orbis.* Apocal. 12. *Serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem.* Est verò hic animarum nostrarum hostis & adversarius in tentando valdè exercitatus, vafer, callidus, impudens, & audax, multisque jam victoriis ab origine mundi huc usque reportatis, famosus, & insolens.

Ac quidem de peritiâ illius, astu, & calliditate testatur S. Leo magnus *serm. 7. de Nativitate.* his verbis: *Novit dæmon, cui adhibeat æstus cupiditatis; cui illecebras gulæ ingerat; cui apponat incitamenta luxuriæ; cui infundat virus invidiæ. Novit, quem errore conturbet; quem gaudio fallat; quem metu opprimat; quem admiratione*

tione seducat; omnium discutit dæmon consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus &c. De insolentiâ verò, audaciâ, & impudentiâ illius scribit S. Matthæus *cap.* 4. Dum fusè narrat, qualiter hostis hic infernalis non erubuerit, ipsum Unigentium Dei Filium in eremo jejunantem tribus vicibus aggredi, & ad gravissima contra Deum peccata sollicitare. Præcipuè autem & specialiter diabolus tentando persequitur Tyrones & Novitios, utpotè qui recenter è castris & cassibus illius elapsi, ad militiam & castra Christi evolârunt. Sperat enim hac ratione eos è fugâ retrahere, & crebrioribus ac importunis tentationibus fatigatos, ad mundum, undè exiverunt, reducere: sicut impius Rex Pharao cum omni exercitu suo persequebatur fugientes Israelitas, ut eos in servitutem retraheret, *Exod.* 14. Undè Sapiens monet Eccl. 2. *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.* Nec refert, quod quis in sæculo constitutus adhuc, vix ullas senserit diaboli impugnationes & tentationes: *Nam eos pulsare Diabolus negligit, quos quieto jure possidere se sentit;* ut inquit S. Gregorius lib. 14. moral. c. 12. Ast si quis castra & servitutem ejus deserens, ad libertatem filiorum Dei aspiret, & vitam spiritualem ordiatur; hunc diabolus furens & frendens insequitur ac persequitur multò sæviùs & crudèliùs, quàm Lœna raptorem catulorum suorum, aut Tyrannus mancipium auffugiens. Quapropter summoperè necessarium est, ut Novitius maturè sibi comparet

& acquirat valdè magnam contra tentationes diaboli pugnandi, easque superandi peritiam, & dexteritatem; quatenus sufficientibus armis spiritualibus ex omni parte instructus ac præmunitus, possit *stare adversus insidias diaboli, & omnia tela nequissimi ignea extinguere*; uti monet Apostolus *Ephes.* 6.

69. Porrò duplicis generis media à Magistris spiritualibus suggeruntur contra tentationes diaboli: aliqua enim usurpanda sunt, antequàm tentationes adveniant; ut ab his nos præservent. Aliqua verò sub actuali cum tentationibus conflictu sunt adhibenda. *Primum* itaque medium ante pugnam & ante tempus tentationum usurpandum est, ut nunquam otiemur aut feriemur ab omni opere; sed semper occupationi alicui laudabili & honestæ intenti simus, quæ nos ita exerceat, sollicitos habeat, & labore distineat, ut tempus & spatium nullum supersit de illicitis cogitandi, aut diabolo attendendi, quid suggerat. Suadet hoc medium S. Hieronymus *epist. ad Rusticum Monachum*, dicens: *Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. In desideriis est omnis otiosus. Dum essem juvenis, & solitudinis deserta me vallarent, incentiva vitiorum ardoremq; naturæ ferre non poteram: quem cùm crebris jejuniis frangerem; mens tamen cogitationibus æstuabat: ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quinctiliani acumina, Ciceronis Fluvios, gravitatemq; Frontonis, & levitatem Plinii, alphabetum discerem,*

scerem, & stridentia anhelantiaq; verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesq; cessaverim, & contentione discendi rursùs inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passùs sum, quàm eorum, qui mecum duxerunt vitam. Sed gratias ago Domino &c. Addit verò ibidem Hieronymus, *Ægyptiorum monasteria hunc morem tenere, ut nullum absq; operis labore suscipiant, non tam propter victûs necessitatem, quàm propter animæ salutẽ; nè scilicet mens vacet periculosis cogitationibus & variis perturbationibus.* Scribit Cassianus. lib. 10. instit. c. 23. communem fuisse antiquorum Patrum sententiam, *operantem Monachum Dæmone uno pulsari; otiosum verò innumeris spiritibus vastari;* Undè Scriptura *Eccl.* 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* Et juxta Poëtam: *Otia si tollas, periêre cupidinis arcus. Quæritur, Ægystus quarè sit factus adulter? in promptu causa est, desidiosus erat.* Pulchrè S. Basilius constit. Monast. c. 18. *Duobus modis indecoræ conceptiones rectis cogitationibus turbam & intemperiem conciunt: Cùm aut animus ex suâ ipse quadam incuriâ ad rerum futilium contemplationem aberrat, temereq; ex aliis in alias cogitationes delabitur: aut cùm insidiosè menti nostræ absurdas rerum species diabolus conatur objicere, eamq; hoc modo à rerum laudabilium contemplatione inquisitioneq; avocare. Cùm igitur animus, quòd remissâ illâ solidiore mentis contentione pellentium se variis rerum vulgarium memoriis repetendis, in*

his temerè sè diutius occupet, in varias errorum ambages soleat incidere, ac plerumq; ad extremum cogitatione ad res turpissimas ac flagitiosissimas deferri; id quotiescunq; acciderit, hujuscemodi animi socordia, diffusioq; excitata severiore acriorèq; mentis diligentiâ castiganda est ac corrigenda; assiduéq; ut quæq; singulis nobis temporibus præpositæ sint, ita ad attentiorem rerum honestarum considerationem inducenda.

70 Secundum medium contra tentationes *est vigilia*; de quâ Christus *Matth.* 26. *Vigilate, & orate; ut non intretis in tentationem.* Et S. Petrus 1. *Epist. c.* 5. *vigilate: quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Consistit autem hæc *vigilia* sivè *vigilantia* in duobus: primum est, ut tanquam in editâ speculâ constituti, oculo prudentiæ & providentiæ prævideamus à longè pericula tentationum; & consequenter pro viribus declinemus omnes occasiones, loca, personas, ac quævis objecta, undè nobis periculum aliquod creari posse, rationabiliter judicamus; *Nam qui amat periculum, in illo peribit. Eccl.* 3. Atque hinc qui legunt curiosa, profana, aut lubrica; qui oculis suis evagantur, & contemplantur quævis objecta obvia; qui proferunt & auscultant discursus vanos ac inutiles, qui adeunt consortia sæcularium, & eorum familiaritate delectantur, tales posteà sibimet ipsis imputent causam & culpam, si gravibus tentationibus infestentur & concutiantur. *Qui enim oramus, nè intremus in tentationem; Sanè tentatio-*

tationis occasiones quærere non debemus ; ut inquit S. Chrysostomus *homil. 13. in Matth.*

Alterum est, ut nunquàm tutos & securos à tentationibus nos arbitremur, etiamsi sæpiùs victores extiterimus, & longo tempore nullam Diaboli impugnationem ampliùs senserimus; Sed ut parati semper & in armis excubantes, ipsam quoque pacem & tranquillitatem de insidiis habeamus suspectam : *nam sæpè antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit; non ut illatæ malitiæ finem præbeat; Sed ut corda, quæ, per quietem secura reddiderit, repentè rediens, facilius inopinatus irrumpat ;* ut ait S. Gregorius *lib. 9. moral. c. 17.* Undè de Sancto Antonio Magno, debellatore & victore Dæmonum famoso scribit S. Athanasius in ejus vitâ c. 5. Quod illi securitatem minimè dederit reportatus de adversario triumphus: *Nam scripturarum doctus eloquio, multas esse Dæmonum captiones, solerti proposito labore servabat, quia posset Sathanas in carnis collectatione superatus, novarum adversus se artium machinas acriùs commovere.* Et ipse Antonius ad suos discipulos ait: *c. 15. Fidelium orationibus atq; jejuniis Dæmones quidem statim corruere : nec tamen, si paulatim cessaverint, prorsùs plenam putetis victoriam esse; Solent etiam sauciigraviùs assurgere.* S. Basilius *serm. de abdicat.* ait, eum, qui vult securus & liber esse à tentationibus Diaboli, debere ex hoc mundo exire, & migrare in alium mundum, in quo Diabolus non est. Ejus verba sunt : *Intelli-*

telligere debes, neutiquam effugere te posse, quin tibi cum diabolo sit deluctandum; ex eoq; nullo modo victoriam te sinè multis laboribus pro Evangelicorum præceptorum observatione susceptis reportaturum. Qui enim, quæso, pugnam cum adversario poteris subterfugere, qui omninò sis cum eo intra caveam pugnæ destinatam conclusus? quæ sine dubio universa ea est tellus, quæ sub amplissimo cœli hujuscè ambitu continetur; quam quidem ex historiâ Job accepimus assiduâ illum obambulatione perlustrare, circumireq; quasi rabiosum canem, quærentem quem devoret. Quod si cum adversario inire pugnam non vis, in alium ex hoc ipso mundum commigres oportet, in quo ipse non sit. Quod si hoc impetrari non potest; artem eam discas convenit, per quam scienter scias cum eo deluctari. Quapropter sicut prudentes Duces in bello non statim in utramque aurem securi stertunt, nec arma deponunt, aut vigilias abrogant, quando audiunt hostem fugisse; Sed hanc ipsam hostis fugam de insidiis suspectam habent. Ita miles & pugil Christi semper vigilare debet & excubare, etiam tunc, cùm tentator recessisse videtur. *Noli securus esse, noli credere; licet in modum stagni fusum æquor arrideat; intùs inclusum est periculum; intùs est hostis;* clamat S. Hieronymus. *Epist. ad Heliodor. Monach.* Neque enim in pugnâ cum Diabolo tenet ulla pacta aut leges, sicut in bello contra visibiles hostes observari solent, ut bellum priùs denuntietur, induciæ serventur &c. *In bello Spirituali nulla servatur lex; quocunq; in loco ini-*

inimicus hominem aggreditur ; Et gaudet vehementer, cùm illum incautum offenderit ; ut inquit S. Basilius *Epist.* 28.

71. Tertium medium contra tentationes est *Oratio*: de quâ Christus *Matth. 6. Sic ergò vos orabitis : Et nè nos inducas in tentationem. Et Matth. 26. Orate, ut non intretis in tentationem.* Item S. Paulus *Ephes. 6.* Postquàm dixisset, nobis colluctationem esse non tantùm adversus carnem & sanguinem, sed etiam adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum ; subdit deindè : *Propterea accipite armaturam Dei , galeam salutis assumite , & gladium Spiritús (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore* &c. Debemus autem duo à Deo petere per orationem contra tentationes: Primum est donum discretionis Spirituum, quo intelligamus , quæ cogitationes & instinctus sint à malo Dæmone: Scribit enim Apostolus 2. *Corinth.* 11. Quod Satanas transfiguret se in Angelum lucis ; proponendo occultas suas tentationes & insidias subdolè ut inspirationes divinas, & vitia sub larvâ ac specie virtutis. Id quod dupliciter facere consuevit : nam primò vera quædam bona opera suggerit & suadet ; sed in ipso eorum exercitio mox illa malis ita permiscet & corrumpit , ut jam ampliùs bona non sint. Secundò frequentissimè nobis proponit falsa & fucata bona ; Sed re ipsâ vera mala ; quæ videlicet umbram bonitatis & virtutis speciem præferunt ; Verùm in se ipsis sunt vitia. Ideò

necessarium est donum Spirituum discernendorum â Domino petere ; ut inquit S. Antonius apud Athanasium in vita *c.* 15.

Alterum est, ut rogemus Deum, quatenùs à nobis clementissimè dignetur avertere tentationes illas, quibus prævidet, non esse consensuros ; Solumque obvenire permittat tales, quas præscit, nobis ad salutem animæ cessuras esse. Quod utrumque beneficium petere à Deo quotidiè possumus illis verbis â Christo præscriptis *Matth. 6. Nè nos inducas in tentationem.* Cum enim Salvator noster optimè noverit Dæmonis *violentos impetus, & callidam astutiam; cui resisti non possit* solis *viribus nostris*; jussit nos per orationem confugere ad præsidium divinum, & â Deo petere. *nè nos tentari sinat supra id, quod possumus, sed faciat cum tentatione proventum, ut possimus sustinere; conteratque Satanam sub pedibus nostris ;* prout verba citata explicant Patres Concilii Tridentini *in Catechismo Parochor.*

72. Quartum medium contra tentationes est *sobrietas*, sivè temperans & sobria vita; juxta illud monitum S. Petri 1. *Epist. c. 5. Sobrii estote, & vigilate ; quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit.* Quod etiam jam antè Christus monuerat *Luc.* 21. dicens: *Attendite vobis, nè fortè graventur corda vestra crapulâ & ebrietate.* Quamvis enim intemperantia in cibo ac potu videatur potiùs servire tentationibus carnis: Nihilominùs solet etiam Diabolus occasione ejusmodi tanquam sibi maximè opportunâ uti ; eò quod in homine cibis aut potu

potu intemperanter oppleto intellectus & ratio per ascendentes ex ventriculo fumos impediatur, & ita obscuretur, ut tentationes Diaboli nec discernere possit nec voluntati periculum consensûs proponere, & motiva mediaque resistendi suggerere. Undè Scriptura *Proverb.* 11. Hominem ebrium & crapulatum comparat gubernatori navis dormienti, & sine clavo, dicens: *Nè intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè; Sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venenum diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa; Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo.* Item *Eccli.* 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et *Oseæ* 4. *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor;* ita ut homo crapulæ deditus & ebrietati sit quasi excors, sine mente, & sine ratione. Neque de solo potu immodico intelligendum est, quod diximus; verùm etiam de ciborum copiâ, lautitiis, & delitiis; nam & cibus immoderatè ac supra necessitatem sumptus reddit hominem ad dimicandum, & tentationibus resistendum summoperè inhabilem, segnem, pigrum, & ineptum: *Pinguis venter non gignit tenuem sensum.* Teste S. Hieronymo *Epist. ad Nepotian.* sive ut Græcorum Proverbium habet: *Pinguis venter non gignit mentem tenuem.* Et juxta S. Chrysostomum *homil.* 34. *in c.* 16. *Actuum Apost.* Hominis delitiosi *misera anima quasi in lectum conjecta, ob varietatem*

ciborum

ciborum sine modo infusorum pondus carnium circumferens sicut Elephas, quomodò poterit affectiones scindere acie hebetatâ? quomodò Diabolum sauciabit? Propter quod idem *homil. 27. in c. 13. Actor.* Ejusmodi hominem, qui pellem suam & ventrem plus curat quàm mentem, sic alloquitur: *Tempus belli, tempus certaminis est: tu autem sedes in deliciis. Non vides, etiam Reges, qui Sceptra ferunt in externis militiis frugaliter vivere? tu autem impinguas te ipsum, certaturus. Stat adversarius stridens dentibus suis in te: Tu autem effusus es; & mensæ addictus. Nunquid sacrificandi sumus, quod impinguamus nos ipsos?*

73. Quintum medium est, ut antecedenter intellectum nostrum & memoriam velut armamentarium quoddam instruamus certis ac selectis ex Sacrâ Scripturâ sententiis contra tentationes magis obvias & frequentiùs occurrentes; ut tempore conflictûs & pugnæ statim possimus arma idonea indè proferre, & Diaboli machinas retundere. Docuit nos medium hoc Christus *Matth. 4.* Quando trinis vicibus à Dæmone tentatus, cuilibet tentationi suam certam & congruam oppositit ex Sacris litteris sententiam. Quem imitata fuit S. Paula, teste S. Hieronymo *in ejus Epitaphio ad Eustoch.* Qui idem remedium suasit Rustico Monacho, dicens: *Ama scientiam scripturarum; & carnis vitia non amabis. Nunquam de manu & oculis recedat liber.* Rationem dat S. Paulus *Rom. 15.* Quia *quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et *2. Timoth.*

moth. 3. *Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Atque hinc statuta nostra Canonica præcipiunt Novitiorum Magistro, quatenùs *adnitatur valdè sedulò, ut* Novitii *in legendis volvendisq; scripturis sacris à se præscribendis sint assidui; & aliquot loca speciatim ad Dei amorem, terrenarumq; rerum contemptum, & ad virtutum studium magis excitantia, & palatum cordis dulciùs afficientia præfigat, quæ frequentiùs ac diligentiùs legant, revolvant, ac tenaciùs cordi & memoriæ imprimant:* uti habetur distinctione *1.* c. 20. §. 19. Porrò hujusmodi Sententiæ ex Sacrâ Scripturâ selectæ possunt esse sequentes.

Contra tentationes adversantes fidei.

Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt. *Joann.* 20.

Major est Deus corde nostro 1. *Joann.* 3.

In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 2. *Corinth.* 10.

Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. *Hebr.* 11.

Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. 1. *Corinth.* 13.

Habemus firmiorem Propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat. 2. *Petr.* 1.

Qui

Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloriâ. *Proverb.* 25.

Altiora te nè quæsieris, & fortiora te nè scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper; & in pluribus operibus ejus nè fueris curiosus: non est enim tibi necessarium, ea, quæ absconditа sunt, videre oculis tuis. *Eccl.* 3. *v.* 22.

In supervacaneis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curiosus: plurima enim super sensum ostensa sunt tibi. *Eccl.* 3. *v.* 24.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta; quæ pater posuit in suâ potestate. *Actor.* 21.

O Altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? *Rom.* 11.

Contra tentationes adversantes spei.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. 1. *Timoth.* 1.

Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. *Timoth.* 2.

Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo. 1. *Joann.* 3.

Filioli, si quis peccaverit, advocatum habemus apud

apud patrem, Jesum Christum, justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. *1, Joann. 2.*

Dico vobis, quod gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. *Luc. 15.*

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. *Matth. 11.*

Adeamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratiæ; ut misericordiam consequamur. *Hebr. 4.*

Venit filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. *Luc. 19.*

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joann. 3.*

Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit? *Rom. 8.*

Impietas impii non nocebit ei, in quâcunque die conversus fuerit ab impietate suâ. *Ezech. 33.*

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet, & non morietur: omnium iniquitatum, quas operatus est; non recordabor. *Ezechiel. 18.*

Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis; & quarè moriemini? *Ezech. 33.*

Derelinquat impius viam suam, & revertatur

ad

ad Dominum; & miserebitur ejus; quoniam multus est ad ignoscendum. *Isaiæ. 55.*

Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus; & non ut convertatur à viis suis, & vivat? *Ezech. 18.*

Revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. *Jerem. 3.*

Convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ. *Joel. 2.*

Expectat Dominus, ut misereatur vestri. *Isaiæ 30.*

Miserans miserebitur tui; ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. *Ibidem.*

Contra tentationes Acediæ.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. 2. *Petr. 1.*

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sivè bonum, sivè malum. 2. *Corinth. 5.*

Scio opera tua: quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. *Apocal. 3.*

Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. *Apocal. 14.*

Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua. *Apocal. 22.*

Exhor-

Exhortamur, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. Eccè nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *2. Corinth. 6.*

Venit nox, quando nemo potest operari. *Joan. 9.*

Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos; quò tu properas. *Eccl. 9.*

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. *Matth. 21.*

Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. *Matth. 25.*

Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. *Jerem. 48.*

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *Luc. 17.*

Arborem fici habebat quidam plantatam in vineâ suâ, & venit quærens fructum in illâ; Et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: eccè anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulneâ hac, & non invenio: succide ergò illam; ut quid etiam terram occupat? *Luc. 13.*

Jam securis ad radicem arborum posita est: omnis ergò arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. *Matth. 3.*

In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis,

gis, in laboribus, in vigiliis; in jejuniis &c. 2. *Corinth.* 6.

Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. *Galat.* 6.

Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes. 2. *Thessal.* 3.

Contra tentationes curiositatis, & curiosæ inquisitionis super alterius vitâ.

Quid ad te ? tu me sequere. *Joann.* 21.

Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos ? *Luc.* 12.

Opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero: unusquisque enim onus suum portabit. *Galat.* 6.

Non est vestrum nosse. *Actor.* 1.

Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Domino suo stat, aut cadit. *Rom.* 14.

Tu autem quid judicas fratrem tuum ? omnes stabimus ante tribunal Christi : unusquisque nostrùm pro se rationem reddet Deo.

Non ergò amplius invicem judicemus. *ibidem.*

Quid vides festucam in oculo fratris tui : Et trabem in oculo tuo non vides? *Matth.* 7.

Contra tentationes Mundi.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. *Joann.* 15.

Si

Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret Quia verò de mundo non estis: sed ego elegi vos de mundo; propterà odit vos mundus. *ibidem.*

Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo; sicut & ego non sum de mundo. *Joann.* 17.

Non potest mundus odisse vos; me autem odit; quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. *Joann.* 7.

Vos de mundo hoc estis. Ego non sum de hoc mundo. *Joann.* 9.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. *Joan.* 2.

Mundus totus in maligno positus est. 1. *Joann.* 5.

Nolite conformari huic sæculo. *Rom.* 12.

Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? quicunq; ergò voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constitutitur. *Jacob.* 4.

Præterit figura hujus mundi. 1. *Corinth.* 7.

Mundus transit, & concupiscentia ejus. 1. *Joann.* 2.

Hoc itaque dico fratres; tempus breve est: reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. 1. *Corinth.* 7.

Contra tentationes Superbiæ.

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Matth.* 11.

Non est species ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus: & desideravimus eum, despectum, & novissimum virorum, virum dolorum; undè nec reputavimus eum. *Isaiæ* 53.

Cum sceleratis reputatus est. *Ibidem.*

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. *Matth.* 20.

Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat. *Luc.* 22.

Cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum. *Philipp* 2.

Surgit (JESUS) à cœnâ, & ponit vestimenta sua; & cum accepisset linteum, præcinxit se; deindè mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo. *Joann.* 13.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Jacob.* 4.

Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi. *Matth.* 19.

Erunt novissimi primi, & primi novissimi. *Matth.* 20.

Qui-

Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. *Ibidem.*

Recumbe in novissimo loco: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. *Luc.* 14.

Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. 1. *Corinth* 4.

Contra tentationes Impatientiæ & Iracundiæ.

Si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis: Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; Qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur. 1. *Petr.* 2.

Quidam dicebant: quia bonus est. Alii autem dicebant non; sed seducit turbas. *Joan.* 7.

Dicebant autem multi: dæmonium habet & insanit; quid eum auditis? *Joann.* 10.

Cùm audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est. *Marc.* 3.

Venit filius hominis manducans & bibens; & dicunt ei: Eccè homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. *Matth.* 11.

Deridebant eum Principes, dicentes: alios salvos fecit; seipsum salvum faciat, si est Christus. *Luc.* 23.

Sprevit eum Herodes cum exercitu suo; & illusit indutum veste albâ. *Ibidem.*

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem: ut nè fatigemini animis vestris deficientes; nondum enim usque ad Sanguinem restitistis. *Hebræor.* 12.

Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum: sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus; & servo sicut Dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus. *Matth.* 10.

Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos; ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est. *Matth.* 5.

Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram. *Ibidem.*

Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere. Nulli malum pro malo reddentes. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes; sed date locum iræ. *Rom.* 12.

Sol non occidat super iracundiam vestram. *Ephes.* 4.

Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me: gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5.

Beati

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. *Ibidem.*

Quos præscivit; & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. *Rom.* 8.

Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. *Proverb.* 15.

Contra tentationes adversantes Castitati.

Nolite errare; neque fornicarii, neque molles regnum Dei possidebunt. 1. *Corinth.* 6.

Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia &c. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Galat.* 5.

Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Rom.* 8.

Nescitis, quoniam corpora vestra sunt membra Christi? An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est? non estis vestri: empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro. 1. *Corinth.* 6.

Qui sunt Christi: carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Galat.* 5.

Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram. *Coloss.* 3.

Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. *Rom.* 12.

Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth.* 5.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit. *Apocal.* 14.

Neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei. *Matth.* 22.

Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. *Matth.* 19.

Volo vos sine sollicitudine esse: qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt; quomodò placeat Deo : qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi; & divisus est. 1. *Corinth.* 7.

Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 5.

Mirabantur, quia cum muliere loquebatur. *Joann.* 4.

Contra tentationes adversantes Paupertati.

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. *Matth.* 8.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cœlo; & veni, sequere me. *Matth.* 19.

Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14.

Beati

Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Matth.* 5.

Omnis qui reliquerit domum, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. *Matth.* 19.

Nonnè elegit Deus pauperes in hoc mundo? *Jacob.* 2.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 1. *Timoth.* 6.

Dives difficile intrabit in Regnum cœlorum. Facilius eſt, Camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum. *Matth.* 19.

Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem & dives; & ſepultus eſt in inferno. *Luc.* 16.

Væ vobis divitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram. *Luc.* 6.

Contra tentationes adverſantes Obedientiæ.

JESUS venit in Nazareth, & erat ſubditus illis. *Luc.* 2.

Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philipp.* 2.

Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me. *Joann.* 4.

Descendi de cœlo, non faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. *Joann.* 6.

Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. *Joann.* 8.

Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. *Luc.* 10.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Rom.* 13.

Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis. *Hebræor.* 13.

Melior est obedientia quàm victimæ. 1. *Reg.* 15.

74. Hactenùs de mediis usurpandis, antequàm tentationes in nobis oriantur, & nos infestent: Nunc agendum & de aliis mediis, quæ adhibenda sunt in ipsa actuali infestatione, pugnâ, & conflictu; dum scilicet advertimus, tentationes in nobis suboriri & actualiter nos impugnare. *Primum* est, & securissimum, ut statim in principio, dum tentatio incipit se insinuare, & quasi foris adhuc pulsat, nos fortiter & generosè ei resistamus, eamque sine omni cunctatione & morâ reprimamus, ac in ipso

adhuc

adhuc ortu suo suffocemus; nam ferè & communiter hic *mora mors est.* Sicut in magno deditionis periculo versatur jam civitas, quando cives illius, aut suprà murum custodes & propugnatores, incipiunt cum hoste ante portas subsistente colloquí, Parlare, & sermones miscere: ita voluntas nostra in præsenti versatur periculo consentiendi pravæ Dæmonis suggestioni & tentationi, quando hanc non statim rejicit, sed ad breve etiam tempus, eam auscultans, tolerat, quodammodò cum eâ tractat, & colloquitur. *Diabolus serpens est lubricus, cujus capiti, id est, primæ suggestioni si non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur;* ut inquit S. Isidorus *lib. 3. c. 3.* Similis est quælibet Diabolica tentatio morbis illis periculosis, de quibus Poeta canit:

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Quò diutiùs enim prava quædam suggestio fovetur, & toleratur in animo, etiam sine voluntatis consensu formali; eò majores acquirit vires, & appetitus nostri sensitivi concupiscentiam vehementiùs incendit ac inflammat; quam deindè inflammationem sequitur statim obscuratio intellectûs, & perturbatio rationis; ita ut etiam non ampliùs attendamus bonum honestum, sed tantùm sensuale, & jucundum sivè delectabile sensibus; atque in hoc bru-

brutorum more feramur. Undè cuilibet universaliter tentationi accommodari potest illud Tritum; *Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.* Faciliùs extinguitur scintilla, quàm ingens flamma ignis; qui enim potuisset paucis guttulis aquæ in principio restinguere ignem in stramen aut fœnum incidentem; Postea, si neglexerit, vel dissimulaverit id facere, erumpens indè incendium multis aquæ plaustris non valebit sopire. *Quarè dum parvus est hostis, interfice: nequitia elidatur in semine*; clamat S. Hieronym. *in Epist. 22* ad *Eustoch.* alludens ad illud *Psalmi. 136. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Sicut videlicet providi belli duces conantur omni possibili modo præcavere & impedire conjunctionem plurium copiarum hostilium; ita nos in pugnâ spirituali præcavere debemus, nè Diabolus vires & machinationes suas in tentando conjungat cum viribus carnis nostræ; quæ periculosa conjunctio tunc accidit, quando nos Diabolicæ suggestioni tam diu connivemus, & auscultamus, donec hæc appetitum nostrum inferiorem & carnis nostræ concupiscentiam, sivè sensualitatem inflammaverit, inque suas partes pertraxerit; ut unitis deindè viribus nos oppugnent.

Porrò resistentia hæc & maturata repressio tentationum pulsantium fieri debet absque ullâ vehementiâ & contentione ex parte phantasiæ, capitis vel cerebri: præterquàm enim quod talis resistendi modus, quem aliqui usurpant agitando caput, frontem corrugando, oculos invertendo,

tendo, exipuendo, cerebrum torquendo & fatigando, ſuæque imaginationi vim inferendo, minimè ſit neceſſarius, & ridiculus; inſuper non exiguum periculum creat graviorum & frequentiorum tentationum; dum objectum per ſuggeſtionem Diaboli repræſentatum, per hujusmodi violentam reſiſtentiam firmiùs imaginationi imprimitur, & tenaciùs inhæret. Quapropter ſatius eſt, & tutius, ut non aliam repreſſionem tentationum etiam fœdiſſimarum adhibeamus, quàm eas contemnendo & nihili faciendo: ſicut catulum aliquem nos allatrantem ſolemus contemnere, & illum hac ratione à nobis avertere.

75. Alterum medium in tentatione actuali uſurpandum eſt, ut nobis ipſis ac viribus noſtris diffidentes, & in ſolo Deo cõfidentes, quantocyùs ad orationem velut ad ſacram anchoram confugiamus, clamantes cũ Apoſtolis *Matth* 8. *Domine, ſalva nos; perimus.* Vel cum Regio Prophetâ *Pſalm.* 69. *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me feſtina.* De quorum verborum efficaciâ & virtute ait Abbas Iſaac apud Caſſianum *collat.* 10. *c.* 10. *Hic verſiculus non immeritò de toto ſcripturarũ excerptus eſt inſtrumento: recipit enim omnes affectus, quicunq; inferri humanæ naturæ poſſunt; & ad omnem ſtatum, atq; univerſos incurſus convenienter aptatur. Habet ſiquidem adverſus omnia diſcrimina invocationem Dei; habet humilitatem piæ confeſſionis; habet ſollicitudinis & timoris perpetui vigilantiam; habet conſiderationem frugalitatis ſuæ,*

exau-

exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semper astantisq; Dei præsidii; Qui enim jugiter invocat suum protectorem, certus est, eum semper præsentem esse. Habet amoris & charitatis ardorem; habet insidiarum contemplationem, inimicorumq; formidinem, quibus perspiciens semetipsum diu noctuq; vallatum, confitetur se non posse sine sui Defensoris auxilio liberari. Suadet etiam hoc medium S. Basilius. *constit. Monast. c.* 18. dicens: *Si quando ex insidiis animam circumvenire Diabolus tentet, & quas commentus ex se est, cogitationes, magno cum impetu veluti ignita quædam tela in pacatum ac quietum animi statum intorquere contendat, illumq; inopino assultu conetur incendere, & eorum, quas semel intorserit, diuturnas & ad extricandum difficiles memorias efficere; sanè hic majore quâdam vigilantiâ, contentioréq; animadversione hujusmodi declinandæ insidiæ sunt, & belli omnis evasio, & telorum declinatio orationi ac divinæ opis implorationi committenda. Si verò per adversarii impudentiam flagitiosarum istiusmodi cogitationum vis vehementior etiam insurgat; nè sic quidem est succumbendum, aut dejiciendus animus, neq; susceptacertamina ex dimidiâ parte confecta relinquenda; sed eo usq; obfirmatè perdurandum, quoad Deus perspectâ nostrâ constantiâ, gratiâ Spiritûs Sancti affulgeat; nosq; illustret; quæ & insidiatorem in fugam propellat, & mentem nobis puram efficiat, & divino lumine compleat, & rationi nostræ in pacatissimâ tranquillitate constitutæ otium ad Deum colendum suppeditet.* S. Hieronym. *Epist.*

Epist. 22. ad Eustochium scribit, in gravissimis tentationibus carnis, quæ nullis jejuniis, vestium & strati asperitatibus superari poterant, insigniter se adjutum & confortatum esse hoc *orationis* medio: ejus verba sunt: *O quoties ego ipse in Eremo constitutus, & in illâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delitiis! sedebam solus, qui amaritudine plenus eram: horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat; quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus; & si quando repugnantem somnus oppressisset, nudâ humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo; cùm etiam languentes Monachi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid acceptisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpè choris interueram puellarum; pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suâ jam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant. Itaq. omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pe[illegible]rigabam lachrymis, crine tergebam, & re[illegible]gnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Memini, me clamantem diem crebrò junxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessâsse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas* &c. Subdit verò post pauca: *Ipse testis est Dominus, post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus*

nibus Angelorum, & lætus gaudensq; dicebam: post te in odorem unguentorum tuorum currimus. Scilicet *protector est Deus omnium sperantium in se; Psalm.* 17. & sibi ipsis ac viribus suis diffidentium; ut ipse ait *Psalm.* 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Sicut contrà confidentes in viribus suis propriis, & de se præsumentes relinquit, ac speciali suâ protectione divinâ eos destituit; ut sibi ipsis relicti, & confusi discant non alta sapere, sed se humiliare per agnitionem propriæ infirmitatis; sicut testatur heroina Judith. *cap.* 6. ita Deum alloquens: *Non derelinquis præsumentes de te; & præsumentes de se, & de suâ virtute gloriantes humilias.*

76. Tertium medium in tentatione actuali est, ut in resistendo non simus timidi; sed exhibeamus nos alacres, generosos, hilares, magnanimos, & cordatos, juxtà illud. 1. *Petr.* 5. *Cui resistite fortes*, & *Jacob.* 4. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Per nostram enim timiditatem & pusillanimitatem Diabolus magis animatur, & fortiùs nos urget; è contrà per nostram in resistendo alacritatem, spiritualem lætitiam, & generositatem terretur, affligitur, & in turpem fugam agitur. Undè S. Antonius, magnus ille Dæmonum triumphator & terror, suis discipulis ajebat: *Si alacres fuerimus in Domino, nullus Dæmonum ad expugnandum valebit accedere. Una est ergò ratio vincendi inimicum lætitia spiritualis.* Ut in ejus vitâ refert S. Athanasius. *cap.* 20. Animare autem nos debet ad generosè

alacri-

alacriter & cordatè resistendum tentationibus Diaboli, quod tam coarctata & restricta sit ejus à Deo potestas, ut ne quidem in externis & temporalibus bonis ullatenùs homini nocere possit absque Dei permissu & voluntate; prout ex *c. 1. libri Job.* & ex *c. 8. Matthæi* colligitur; ubi legitur, Diabolum ne quidem in porcos hominum Ethnicorum & Idololatrarum ingredi potuisse, nisi ex impetratâ priùs à Christo licentiâ. Minùs igitur nocere poterit nobis in bonis internis animæ, maximè in libertate voluntatis; ut hanc ad consensum in tentationem eliciendum cogat. *Persuadere potest; præcipitare non potest, si ipsi nolimus.* ait S. Hieronymus *supra c. 4. Matth.* Et S. Augustinus. *serm. 197. de temp. Dicet aliquis: si alligatus est Diabolus, quarè adhuc tantum prævalet? verum est Fratres, multum prævalet, sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit. Latrare potest, sollicitare potest; mordere omninò non potest, nisi volentem.*

77. Quartum & perquàm efficax remedium est in actuali tentatione, ut tentatus recursum suum habeat ad Patrem spiritualem, eique omnes ac singulas tentationes suas & motus sincerè, candidè, ac simpliciter aperiat; nihil prorsùs celando & occultando, quod ad statum internum pertinet, sicut Patres & Monachos antiquos factitâsse legimus; refert enim Climacus *grad. 4. de Obedient.* quod in monasterio

quodam viderit plures Monachos famâ sanctitatis celebres, qui libellum quendam de Zonâ pendentem ubique circumferebant; & suas quotidie cogitationes in eo fideliter annotabant; ut eas posteà suo patri spirituali & Archimandritæ declararent. Undè S. Antonius discipulis suis dicebat: *Si potest fieri, quantos passus ambulavit Monachus, vel quot calices aquæ bibit in cellâ suâ, debet senioribus declarare; ut non deviet in ipsis.* Et S. Basilius *in Regul. fus. interrogat. 26. Debet unusquisq; eorum, qui inferiores sunt, si quidem memorabilem ullam facere progressionem suadet, nullum animi sui motum apud se ipsum celatum retinere, sed mentis suæ arcana aperire fratribus iis; quibus datum illud negotium sit, ut adhibitis facilitate & misericordiâ, ægrotantes curent. Hoc enim modo fiet, ut & quod laude dignum sit, in nobis confirmetur & quod minus probandum, congruo remedio sanetur.* Est autem duplex causa, quare manifestatio tentationum sit efficax contra illas remedium: *prima* est, quia frequenter contingit, quod Diabolus suis tentationibus ita rationem & judicium nostrum perturbet, atque intellectum, qui est unicus mentis oculus, obfuscare soleat, ut ipsimet nos & expedire non valeamus, quantumvis extra tentationem constituti, non rarò alioquin sanum & prudens aliis tentatis consilium dederimus. Quapropter in densis hujusmodi tenebris & animi perplexitatibus tutissimum est, quærere & sequi consilium alterius viri Spiritualis, & ascetcos apprimè periti. *Al-*

tera

tera causa est, quia Humilitas, quæ in recursu ad magistrum spiritualem, & sui ipsius manifestatione exercetur, Diabolo, Spiritui superbissimo, mirum in modum adversatur, illiusq; dolos & occultas machinationes, quas ægerrimè in lucē protrahi & publicare patitur, omninò & dissipat & annihilat. *Illicò ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit; & antequàm discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus veluti è tenebrosâ & subteraneâ specu virtute confessionis protrahitur in lucem, & traductus quodammodò & dehonestatus abscedit; tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur*, ut inquit Cassianus. *Collat* 2. *c.* 10. Et teste Abbate Pœmen in vitis Patrum *lib.* 3. *n.* 176. *In nullo sic gaudet inimicus, quomodò in illo, qui non vult cogitationes suas manifestare.* Propter quod Canonica Statuta Ordinis Præmonstrat. *dist.* 1. *c.* 19. *n.* 6. præscribunt, ut *Magister* Novitiorum *non sit durus, clamosus, contumelioſus; sed maternas induens viscera, blandum se exhibeat ac reverenter amabilem; in cujus sinu, quidquid Novitii in corde habent, securè & sincerè deponant; & in quo solatium & consilium auxiliumq; reperiant.* Item *n.* 7 jubent, ut Novitii *tentationem magistro suo, quo eis salubriùs consulere valeat, sæpiùs manifestent; Et nihil habeant, quod Magistro, vel Abbati, vel etiam Priori suo occultum esse velint.*

§. 8.

Medium quartum ad puritatem & teneritudinem conscientiæ obtinendam est habituum malorum & consuetudinum vitiosarum extirpatio.

87. NEcessitas hujus medii patet indè, quod habitus pravi, seu malæ consuetudines, ad actus malos simillimos iis, à quibus generatæ fuerunt, nos inclinent, pertrahant, ac quasi impellant & quidem eò fortiùs, ac vehementiùs, quò intensiores sunt, & magis radicatæ. Undè *Jerem. 13.* dicitur: *Si mutare potest Æthiops pellem suam aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum.* S. Chrysostomus *homil. 7. in c. 4. Epist. 7.* ad Corinthios ait: *Magna est consuetudinis Tyrannis, adeoq; magna, ut perindè cogat ac natura.* Et S. Basilius *in regul. fus. interrogat. 6. Consuetudo vetustate firmata, naturæ vim solet nancisci.* Item S. Joannes Climacus *grad. 4. Consuetudo plurimùm valet, cuncta ex eâ pendent, eamq; sequuntur.* Terribile est, quod de consuetudinariis refert S. Anastasius Sinaita *q. 6. de pollut. tom. 6. p. 1. Biblioth. SS. Patr.* dicens: *vidi viros centum annos natos, imbecilles, & toto ferè corpore trementes; qui tamen non potuerunt abstinere à peccato corporali, cui se assuefecerant.* De vehementiâ suæ consuetudinis malæ scribit S. Augustinus *lib. 8. confess. c. 5. Ligatus*

tus eram, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate, velle meum tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippè ex voluntate perversâ facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Hujusmodi igitur consuetudines vitiosæ à nobis non negligendæ, sed sollicitâ curâ sunt radicitùs extirpandæ: Nam *quemadmodùm si quis relictâ radice ramos arboris alicujus velit excisos, nihilominùs radix manens alios similes protrudit: sic quoniam peccata sunt quædam, quæ nascendi principium in se non habent, sed aliundè originem ducunt, necesse est prorsùs, si quis liber ab illis velit esse, is causas primas peccatorum illorum stirpitùs tollat.* Ut inquit S. Basilius *in Regul. brevior. interrogat. 289.*

79. Media porrò extirpandi & exuendi pravos habitus, seu vitiosas consuetudines, sunt sequentia: primum suggerit S. Basilius *Epist. ad Chilonem Discipulum*, dicens: *satius esse duxerim, sensim te promovere. Falle voluptates, & ab eis te per gradus avocans, illarumq; singulatim exinaniens ac obliterans consuetudinem: ut nè confertim & velut agmine facto in te unum ad unam omnes irritatæ cooriantur, turbulentamq; accersant menti tuæ tentationum intemperiem. Unam aliquam earum illicium voluptatum prorsùs si continget evincere te; mox adversus alteram accingitor, aciemq; instruito spiritualem; atq; adeò non intempestivam de singulis vitæ pristinæ illecebris consequêre victo-*

riam. Qui enim totam alicujus vitii molem aggreditur simùl, & non secundùm distinctas illius partes, actus, & gradus procedit, sed uno voluntatis nisu & conatu victoriam obtinere contendit; similis est illi, qui conglobatum adversariorum cuneum solus frustrà oppugnat. Graviùs verò errat, qui plura simul vitia & habitus malos præsumit extirpare; quia dum vires suas dispergit & dividit, nullibi potest validam & sufficientem facere impressionem; sed ex omni parte fractus, debilitatus, ac confusus deficiet.

Secundum medium est, ut per orationem frequenter ad Deum recurramus, & auxilium ab ipso petamus; quatenùs in robore brachii sui disrumpat & dissolvat vincula pravitatis nostræ, quibus constricti & captivi tenemur. Tanta enim consuetudinis malæ vis est & impetus, ut auxilio supernaturali nobis opus sit, & altiori adjutorio, quo eam vincamus ac extirpemus; quia *naturæ vim solet nancisci*, ut inquit S. Basilius. *in Regul. fus. interrogat. 6* ita *ut perindè cogat ac natura*, juxta S. Chrysostomum *homil. 7. in c. 4. Epist. 2. ad Corinth.* Fiatque quædam peccandi necessitas, teste S. Augustino *lib. 8. confess. c. 5.* Tradit hoc medium S. Basilius *loco citato* dicens: *peccata inveterata assiduâ oratione curari oportet.* Et eo se usum fuisse cum effectu & successu exspectato asserit S. Augustinus *serm. 10. de Sanctis*: *nunquid non consueveram quotidiè jurare? at ubi legi, timui; luctatus sum contra consuetudinem meam; in ipsâ luctatione invocavi*

vocavi Dominum adjutorem : præstitit mihi Dominus adjutorium non jurandi ; nihil mihi jam facilius est quàm non jurare.

Tertium medium est, ut nobis certò ac firmiter persuadeamus, consuetudinem malam sine magno labore, conatu forti, & difficultate eradicari non posse, atque ideò ex parte nostrâ fortiter contra illius inclinationem, vim & impetum dimicandum, ac generoso conatu illi resistendum esse; neque difficultatibus in principio occurrentibus cedendum; valet enim hic maximè illud Poëtæ:

Tu nè cede malis ; sed contrà audentior ito.

Qui secundùm consuetudinem operatur, similis est Nautæ, qui secundo flumine vehitur, & descendit: contra verò consuetudinem operans comparatur Nautæ, qui adverso flumine navigat, & contra torrentem nititur; qui nisus utique fortem exigit laborem & conatum virium. Undè S Augustinus *in Psalm.* 30. *Vincere consuetudinem dura est pugna.* Et S. Hieronymus *Epist. ad Lætam. Asperam nobis & insuavem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo.* Tradit hoc medium S. Basilius *in regul. fus. interrog.* 6. dicens : *sicut morbi corporis inveterati non nisi longâ & acri curatione sanantur: Sic peccata inveterata diuturnâ patientiâ, assiduâ oratione, & acerrimi animi contentione curari oportet.* Et S. Augustinus *serm.* 45. *de temp. Cum aliquibus cupiditatibus nati sumus ; aliquas consuetudine fecimus. Propter illas, cum quibus*

nati sumus, baptizantur infantes, & absolvuntur à reatu propaginis malæ; quam habuerunt: consuetudini semper resistendum est. Et *serm.* 10. de Sanctis: *Luctatus sum contra consuetudinem meam.* Item *lib. de Generat. cont. Manich. Cum dolore reluctandum fuit consuetudini malæ.*

Non tamen putandum est, difficultatem illam, quæ in principio sentitur, diu aut semper permanere: nam posteaquàm malæ consuetudinis vires & impetus paulatim debilitati sunt, & fracti per heroicos actus contrarios; cessat jam omnis difficultas, quæ in principio occurrebat; prout docet S. Chrysostomus *homil.* 10. *in c. 4. Actor. Apost.* dicens: *primo quidem die difficile feres hoc, & altero, & tertio: deindè autem facile erit; & jam post quartum molestum ultrà non erit.* Et S. Augustinus *serm.* 10. *de Sanctis: nunquid non consueveram quotidiè jurare? luctatus sum contra consuetudinem meam, nihil mihi jam facilius est, quàm non jurare.*

Quartum medium est introductio contrariæ consuetudinis bonæ; quæ quantò magis peractus heroicos frequentatos crescit & augetur, tantò magis opposita consuetudo vitiosa diminuitur & deficit; generatio enim habitûs virtuosi, est corruptio habitûs vitiosi. Suadet hoc medium S. Chrysostomus *homil. in c. 4. Actor. Apost.* dicens: *Ob consuetudinem difficile tibi est, & ab illâ ægrè abstraheris? igitur quoniam tanta consuetudinis est vis; eam in alsam transfer consuetudinem.* Imò major erit vis & efficacia consuetudinis bonæ, quàm malæ; adeoque bona citò

tò prævalebit malæ; sicut tradit S. Joannes Climacus *Grad.* 4. dicens: *Consuetudo plurimum valet, & cuncta ex eâ pendent, eamq; sequuntur: omninò longè amplius valebit in bonis; cùm potentissimum habeat adjutorem Deum.*

80. Porrò an profectum aliquem in extirpatione vitiorum sivè habituum vitiosorum & malarum consuetudinum fecerimus; colligere possumus ex sequentibus: *primò*, si minorem jam inclinationem sentiamus ad peccata & actus malos, quàm anteà experiebamur. *Secundò*, si positivam difficultatem, ad actus malos exercendos in nobis experiamur, & econtrà facilitatem ad actus virtutis oppositæ sentiamus. *Tertiò*, Si quandam quasi naturalem nauseam omnium actuum pravorum, ad quos anteà inclinabamur, in nobis sentiamus. *Quartò*, Si moralem quandam impossibilitatem ad actus vitiosos sentiamus: quomodò sensit ille, qui dixit: *Quomodò possum hoc facere, & peccare in Deum meum? Genes.* 39.

§. 9.

Medium quintum ad puritatem & teneritudinem conscientiæ obtinendam est passionum inordinatarum edomatio.

81. POst vitia extirpata & pravos habitus eradicatos transeundum est ad edomationem seu refrænationem & moderationem *passionum*

nostrarum inordinatarum: *perfectus* enim *quisq.* sivè potius Studiosus perfectionis, *cùm in se ipsâ vitia vicerit, statim etiam mentem contra vulnera passionis accingit*; ut inquit S Gregorius *lib. 6. moral. c. 8.* quia juxta S. Thomam *quodl. c. 24. puritas mentis sita est in eo, ut mens hominis à passionibus inordinatis sit libera.* Non tamen requiritur à Novitiis, ut ipsi ante professionem acquirant dominium suarum passionũ tam perfectum & plenum, quale à professis & in gradu proficientium constitutis exigitur: Sed eis sufficit, si per frequentem ac sæpè iteratam passionum suarum refrenationem & suppressionem acquisiverint habitum, eas ita cohibendi & moderandi, ut per illarum vehementiam & impetum non amplius præcipitentur in peccatum aliquod contra Dei vel Ecclesiæ præceptum; aut in transgressionem Regulæ, vel statutorum Ordinis sui. Gradus enim *incipientium*, qui est Novitiorum, plus non requirit, quàm ut in eo constituti acquirant eam puritatem & teneritudinem conscientiæ, quæ excludat & horreat omnem plenè voluntariam & deliberatam Præceptorum Dei & Ecclesiæ Regulæque & Statutorum violationem.

82. Definitur autem passio à S. Joanne Damasceno apud D. Thomam 1. 2. q. 22. a. 3. *Quod sit motus sensibilis seu sensitivus appetitivæ potentiæ, ob imaginationem boni vel mali.* Dicitur *motus*: ita enim actûs sensitivi appetitûs vocat S. Augustinus *lib. 9. civitat. c. 4 & lib. 14. c. 7. 8. & 9.* Item S. Gregorius Nyssenus

Disput.

Disput. de Animâ & Resurrect. Qui eosdem etiam nominant Animæ *affectus*, & *affectiones*, *perturbationes & passiones*; quia dum exurgunt, patitur per eos aliquid corpus humanum, præsertim cor; in quo est sedes appetitûs sensitivi; videmus enim homines passionatos, & vehementibus passionibus obnoxios talem pati sensibilem alterationem; ut eam nec foris occultare & celare possint; Sed eam in vultu, colore, & gestu omnibus prodant. Sic amantes pallent; quia *amor* est passio læsiva amantis & immutatio quædam materialis, uti docet S. Thomas. *1. 2. q. 28. a. 5.* De *metu* ait Aristoteles *sect. 27. problem. q. 6.* quod *voce, & manibus, & labro inferiore tremant, qui metuunt.* De *ira* dicit S. Gregorius *lib. 5. moral. c. 31.* quod *iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi.* Et Cicero *lib. 1. Officiorum: Ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliquâ, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimiâ gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, status q; mutantur.* Et sic de cæteris passionibus

Dicitur præterea passio esse motus *appetitivæ potentiæ*, id est, appetitûs sensitivi; qui nihil est aliud, quàm facultas quædam insita in inferiore hominis portione, scilicet corde, vel juxta aliquos in corde & hepate existens; quæ pro suo proprio objecto habet bonum, aut malum sensibile, illi per imaginationem repræsentatum, tanquàm conveniens, vel inconveniens homini. Undè & dividitur in appetitum *concupiscibilem*, & *ira-*

& irascibilem. Concupiscibilis, qui teste Galeno & aliis præcipuè residet in hepate, movetur erga bona, quæ apprehendit sibi esse convenientia, & fugit sibi contraria; habetque sex passiones, tanquàm actus sibi proprios, videlicet *Amorem, Odium, Desiderium seù Concupiscentiam, Fugam seu Abominationem, Delectationem seu Gaudium, Tristitiam, seu Dolorem,* Irascibilis, qui teste eodem Galeno residet in corde, exurgit & pugnat contra objecta habentia difficultates occurrentes in bonorum consecutione, & in malorum fugâ; habetque passiones quinque, tanquam actus suos proprios, videlicet *Spem, Desperationem, Audaciam, Timorem, & Iram seu Indignationem.*

82. Porrò omnes hæ undecim passiones sunt à Deo authore naturæ insitæ homini non in malum & perniciem ipsius, sed in bonum & utilitatem; ut iis tanquàm instrumentis utatur ad appetenda & quærenda naturæ suæ convenientia, fugiendaque ei disconvenientia, & consequenter ad conservationem naturæ humanæ; imò & ad bonum spirituale animæ, ut illi subserviant in exercitio virtutum; uti docet S. Gregorius Nyssenus *Disput. de Animâ & Resurrect.* dicens: πάθη, *id est affectus, passiones, sivè perturbationes, & motus dicuntur, quæ non omninò mali alicujus causâ, humanæ naturæ contributa sunt: sed certo quodam usu voluntatis, & arbitrii, vel virtutis, vel vitii instrumenta tales animi motus existunt.* Et S. Basilius *constit. Monast. c. 3. Neq; temerè tributi corpori appeti-*

tus

tus sunt; sed ut ad res aliquas prorsùs utiles essent & commodi. Quia tamen frequenter hujusmodi affectibus & motibus abutimur ad corporis & animæ nostræ perniciem, habenas illis nimiùm laxando, & indulgendo, ità ut non tantùm circa objecta de se indifferentia & licita appetenda committant excessum; sed etiam in illicita, & divinâ humanâque lege prohibita objecta non rarò ferantur. Hinc Deus in S Scripturis nos admonet, ut eos rectæ rationis fræno moderemur, ait enim *Eccl.* 18. *Post concupiscentias tuas non eas; & à voluntate tuâ avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Et *Genes.* 4. *Quarè iratus es, & cur concidit facies tua? Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illius.* Item *Psalm.* 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus in chamo & fræno maxillas eorum constringe.* Et *Rom.* 8. *Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Deniquè Galat. 5. *Spiritu ambulate: & desideria carnis non perficietis: Qui enim sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Quod idem monent etiam discipulos & Tyrones suos Magistri Spirituales; ac imprimis S. Basilius *constit. Monast. c.* 3. ubi ait: *Principiò omnis in eo adhibenda cura est, ut animi agitatio in officio retineatur; quod assequemur, si eam mentis imperio subjiciemus, quæ ipsa mens diligentissimè observans provideat, nè à recto animus futiliter aberret,*

erret, nevè à trahentibus ipſum in diverſam partem corporis affectionibus pravis prægravetur. Et *ſerm. 2. de inſtitut. Monachor. Illud caput eſt, & in quo præcipuè Chriſtianus laborare debet, vitioſas animi affectiones diverſas ac varias, quibus illius anima infici ſolet, à ſe ſegregare.* Item *conſtit. Monaſt. c. 8. Perturbatos animi ſui appetitus motuſq; excutere diligenter debet, iisq; magna cum animi contentione obluctari, & quæ in eo incondita viderit ac perturbata, ea melioribus conſiliis in ordinem redigere, atq; ſedare: ſedata ſiquidem animi & requieta conſtitutio, virtutis eſt argumentum certiſſimum.* Quibus verbis S. Doctor etiam generale quoddam remedium omnibus paſſionibus inordinatis ſanandis aptiſſimum tradit, nempè ut illis magnâ cum animi contentione obluctemur, partim eas in principio ſtatim, dum ſurgunt, & antequam iuvaleſcant, fortiter retundendo & reprimendo; partim etiam contrarios illis actus heroicos virtutum opponendo; ac non ſolùm illicita, quæ concupiſcunt, denegando; ſed præterà appetitum ſenſitivum ad ea, à quibus maximè abhorret, inclinando. Dixi, hoc eſſe remedium generale: Nam ſpecialia media particulares & magis frequentes in Novitiis paſſiones moderandi, explicabo infrà.

***

§. 10. De

§. 10.

De passione Amoris.

84. QUàm periculosa & exitialis sit passio *amoris* inordinata, colligitur imprimis ex eo, quod amor sit initium, fons, choragus, & dux relinquorum motuum appetitûs sensitivi, uti docet S. Thomas 1. *part. q.* 10 *a.* 1. *Amor inhians habere, quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia. Fugiens quod ei adversatur, timor est*; *idq; si acciderit, sentiens, tristitia est*; ut inquit S. Augustinus *lib.* 14. *civitat. c.* 7. Patet Secundò exindè, quod plurima sint incentiva & causæ *amoris*, videlicet forma corporis, divitiæ, beneficia, Amor alterius signis erga nos declaratus, nobilitas, dignitas, prudentia, eloquentia, gratia & dexteritas in agendo, compositio membrorum, suavitas vocis, modestia, similitudo complexionis, communio Sanguinis, vel patriæ, aut negotiorum & Studiorum, eruditio, excellentia in artibus liberalibus, aut mæchanicis &c. Undè passio hæc amoris frequentiùs in nobis excitatur, & alias quoque passiones frequentiùs excitat.

85. Solent autem octo præcipuè illius damna spiritualia enumerari: *primum* est, quod hominem inordinatè amantem objectum aliquod, efficiat planè excœcatum, puerilem, ridiculum, dementatum, & amentem; ita ut à sensibus quasi

quasi alienatus, stultorum more æstimet permagni rem, omnium prudentum judicio vilem, exilem, & despicabilem, juxta illud Pöetæ;

Quisquis amat ranam; ranam putat esse Dianam
Quisquis amat cervam; cervam putat esse Mineram.

Cernere hoc licet in illis, qui inordinato affectu feruntur erga canes, aves, equos, flores, picturas, &c. quorum pueriles gestus, actiones, consilia, & discursus de futilibus hujusmodi objectis meritò alii prudentes, qui exoticis hiscè affectibus carent, sannis & cachinnis explodunt.

Alterum damnum amoris inordinati est, quod si feratur in hominem aliquem in eâdem congregatione cum amante constitutum, millenas caussat distractiones, curas, & inquietudines, ipsiusque amantis animum lancinet & torqueat perpetuis zelotypiis, diffidentiis, suspicionibus, aliisque inutilibus, & noxiis cogitationibus. Timor enim sic carnaliter amans, & suspicatur, quod forsitan ab eo, quem amat, non vicissim redametur; aut tertius aliquis plus ametur, & in amore præferatur; unde quotiescunque videt amiculum suum cum aliquo seorsim familiarius colloquentem & tractantem, statim amicitiam illius & fidelitatem suspectam habet, indignatur, fremit, & in furorem agitur. Quando autem ipse solus cum solo loquitur, nihil præter

suspi-

ſuſpiria, affectus amoroſos, & quærelas propter intermiſſa & non repenſa amoris ſigna auditur. Cùm verò ab amiculo ſuo jam abivit, & ſolus exiſtit, tunc ſingula illius verba, geſtus, & oculorum nutus anxiè & ſollicitè ſecum expendit, ruminat, ac omnem in partem verſat, cur ſcilicet hoc illudvè dixerit? quem ſenſum intenderit? quale latentis animi ſignum oſtenderit? an amiculus omnia amoris indicia ipſi oſtenſa rectè perceperit? quid viciſſim reſponderit? num dona & munuſcula oblata approbaverit, ac magni fecerit? quomodò & cum quali affectu ab invicem diſceſſerint? quibus verbis & ſignis ſibi valedixerint? & an non alter ex converſatione diſplicentiam conceperit, occaſionemque arripuerit mutandi affectum? &c.

Tertium damnum eſt, quod amor inordinatus, qui fertur erga hominem aliquem in congregatione Regulari, ſæpiſſimè violet leges ſilentii: dum hujusmodi amiculi hinc indè in angulis, latebris, & obſcuris Monaſterii locis frequenter conveniunt, ad miſcendos clanculùm ſermones, & ad ſignificandos ſibi mutuò ſuos amoroſos affectus, amicitiæque conſtantiam: Neque enim diu à ſe invicem abeſſe, & mutuo aſpectu carere poſſunt; ſed aut verbis aut nutibus, vel, ſaltem litterulis & munuſculis ultrò citroque miſſis continuationem ac firmitatem ſui amoris teſtari ſolent; ad quas litterulas ſi alter non ſtatim reſponderit, aut non illis verbis, quæ ab ipſo exſpectabantur, ſtatim alia ſubſequitur epiſtola longior, exprobratoria; audiuntur querelæ, valdè amatæ adversùs alterum,

quod is vices in amando non rependerit, & per taciturnitatem suam causas quærat ab amicitiâ recedendi &c.

Quartum damnum est, quod ubi in congregatione aliqua duo, tres, aut plures inordinato amore se diligunt, & particulares amicitias ineunt, hoc ipso in reliquos suos confratres, & ejusdem congregationis commembra iniqui & injurioſi exiſtant: ſicut benè demonſtrat S. Baſilius *Serm.* 1. *de inſtitutionibus Monachor.* dicens: *In hujusmodi communi contubernio neutiquam patitur christatis lex, aliquos coiri seorsùm, aut amicitias aut sodalitates: siquidem nullo modo fieri potest; quin affectiones istæ, quæ in hanc magis quàm in illam propendent partem, plurimũ incommodent communi omnium concordiæ. Quãobrem æqualiter se diligere inter se omnes debent, idemq; adversus universum fratrum cœtum charitatis tenendus est modus. Quod si quis inventus fuerit, qui majore quadam animi propensione Monachum, fratrem, vel proprinquum, vel alium quemvis quâvis de causâ videatur diligere; hunc castigare oportebit, ut injurium publicæ charitati: siquidem in eo, quod quis aliquem unum plus diligit, facilè indicat, reliquos se in amore inferiores habere.* Et *serm.* 2. *de institut. Monachor. Quoniam autem æquali prorsùs inter se vicissim charitate complecti omnes debent; justitia violatur, quotiescunq; in communi conventu privatæ aliquæ coitiones reperiuntur aut sodalitates: qui enim unum aliquem magis quàm cæteros diligit; is quod non perfectè cæteros diligat, de se ipso indicio est.*

Quin-

Quintum damnum est, quod, si ipse congregationis Superior amet carnaliter & inordinatè subditum aliquem, passio talis amoris ita excœcare & dementare soleat oculos amantis, ut defectus illius & errores quantumvis graves & pernicioſos contra disciplinam vel prorsùs non videat; vel saltem non satis æstimet, & persequatur; Sed eos favorabiliter interpretetur & excuset; vel etiam aliquando tanquam virtutes deprædicet & defendat. Deindè quamvis superior ille videat & agnoscat aliquid rephrehensione dignum in eo, quem inordinatè diligit, non tamen audebit illud castigare virgâ disciplinæ; nè scilicet amiculum suum contristet, & in amicitiam delinquat. Ex quâ conniventiâ & impunè peccandi licentiâ præter dissolutiones, & frequentiores disciplinæ relaxationes sequitur

Sextum damnum, puta enormia scandala, murmura, & invidiæ ac dissensiones in reliquis Confratribus; qui videntes, hunc illumvè mitiùs tractari cæteris à Superiore, meliùs vestiri, benignioribus oculis aspici, in functioribus honorabilioribus aut favorabilioribus præferri &c. Incipiunt ei invidere, contra eum conspirare, conqueri, murmurare, superiorem injustitiæ reum proclamare, & de crimine acceptionis personarum suspectum, imò evidentiâ facti convictum, publicè condemnare. Undè idem S. Basilius *citato Sermon. 2. De Instit. Monachor.* ait: *Similiter ex conventu rejicienda sunt, & turpis ac indecora contentio atq; amor iste singu-*

laris : Siquidem ex contentione inimicitiæ ; ex amore autem singulari Sodalitates, suspiciones, invidiæq; oriuntur ; ubiq; enim æqualitatis defraudatio, invidiæ, odiiq; materia, ac Seminarium existit.

Septimum damnum est, quod amoris inordinati passio, si inter pares & subditos alicujus congregationis invalescat, magnarum sæpè turbarum, & tumultuum, atque etiam rebellionum causa existat. Si enim Superior unum aliquem ex illorum numero, qui particulares hujusmodi amicitias inierunt, pro suis demeritis corripiat & puniat, mox cœteri amiculi in iras insurgunt, partes sui Dilecti tuentur, turbas suscitant, Superiorem indiscretionis, injustitiæ & crudelitatis arguunt, alios similis farinæ socios colligunt, eosque ad conspirationem & apertam rebellionem sollicitant : *Videas, eos ambulare seorsim, convenire sibi, & sedere pariter, moxq; laxare procaces linguas in detestandum susurrium, ineunt familiaritates ad maledicendum, concordes ad discordias : conciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio*; inquit S. Bernardus *homil. 24. in Cantica.*

Octavum amoris inordinati damnum est, quod sæpè in carnem & luxuriam delinat ; maximè si foveatur inter homines disparis sexûs ; aut etiam inter adolescentiores, teneros, imberbes, & formosiores ejusdem sexûs. Et quidem de periculo hujus passionis inter diversi sexûs homines ait S. Gregorius Naziazenus apud Franciscum Salesium

tum in Philoth. *part. 3. c. 18. Respicies, quia respecta es ab eo; & oculum conjicies, quia ab illo priùs oculata; mox sequentur subrisiones, & amorosa quædam verba; initio quidem furtim & occultè prolata: at non multò post contrahetur quædam familiaritas, & ad apertas nugacitates & fabulationes transitus fiet. Cave tibi, ô lingua mea procax, proferre & prodere, quæ ab aliis posteà fient.* Quod benè notent viri Religiosi, qui subindè putant, se habere, & verè etiam in principio habent amorem spiritualem erga piam quandam fœminam sivè Religiosam, sivè sæcularem, quam instructionis, aut consolationis gratiâ accedunt; tandem verò cùm spiritu cœperint, carne consummant. Quàm multi (inquit S. Bonaventura *Processs. 4. de Religione c. 12.*) sub prætextu spiritûs familiaritatem & amicitiam cum aliis contraxerunt, rati eam omnem non nisi à Deo, & spiritualem esse; & verò in principio fortè talis erat; posteà autem amore illo paulatim in malum degenerante cœperunt inepta & impertinentia colloquia miscere, ac res leviculas & ridiculas tractare; cumque spiritu cœperint, carne tandem consummantur. Exemplum refert Joannes Gerson. *Part. 1. tract. de distinct. verar. vision. à falsis. Signo V.* De magno quodam Dei servo, qui cum Religiosâ quadam ancillâ Dei sanctè & de rebus solùm ad animæ salutem spectantibus frequenter loquebatur: sed paulatim unà cum conversatione amor aliquis & affectus erga eam personam increvit, adeò, ut se continere non posset Religiosus,

gioſus, quin eam ſæpiùs inviſeret, ac multo tempore cum eâ colloqueretur; quando autem ab illâ aberat, non poterat non aſſiduè de ipsâ cogitare: nihilominùs bonus iſte vir in tantum ſuâ paſſione excœcatus erat, ut de nullo periculo aut illuſione Diaboli ſuſpicaretur; dicebat enim, nullam prorsùs rei illicitæ cogitationem ſibi ex converſatione ſuboriri. Verùm cùm poſteà longum iter inſtituere, & aliò ſe transferre cogeretur, tunc demùm poſt ſuam ab illâ perſonâ, quam inordinatè dilexerat, ſeparationem & diſceſſum agnovit manifeſtè, amorem illum nec ſanctum, nec uſquequoque purum & caſtum fuiſſe, ſed ſpirituali ruinæ proximum, niſi Deus per hanc profectionem remedium attuliſſet. *Scilicet eſt via, quæ videtur homini juſta; noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Proverb. 14.*

De periculo autem amoroſæ dilectionis inter ejusdem Sexûs homines maximè adoleſcentiores, & imberbes, ait D. Baſilius *ſerm. de abdicat. rerum: Juvenis ſivè ætate ſivè animo fueris, æqualium tuorum conſuetudinem defugito; ab illisque non ſecùs atq; ab ardendiſſimâ flammâ procul te abducito; quando illorum operâ uſus adverſarius, pleroſq; olim incendio dedit, ſempiterno igni cremandos addixerit; ac ſpiritualis videlicet primò charitatis vanâ quâdam ſpecie illectos, in teterrimam poſteà Pentapolitarũ voraginem præcipites deturbavit; & qui ex medio pelago ſævientibus undiq; procellis, tempeſtateq; incolumes evaſerant, eos jam intra portum ſecuros,*

turos unà cum ipsâ navi vectoribusq; submersit. Quandocunq; assidendum est; aliquo ab eo intervallo assideto. Quandocunq; capiendi somni causâ cubandum; cave vestimenta inter se mutuò sibi vestra propinquent. Quoties verò aut tecum loquitur; aut ex adverso in conspectu psallit; dejecto in humum vultu illi tu respondeto: nè forte interim, dum tu illius os defixis oculis contueris, susceptо ob hoste & malorum satore libidinis semine, corruptionis posteà ac perditionis manipulos metas. Domi aut aliquo in loco, ubi quæ à vobis fiant, videre qui possit, arbiter sit nemo, cave, nè unà cum eo deprehendaris unquàm, eâ re videlicet, quod unà cum eo divina eloquia meditari te dicas, aliamvè quamvis ob causam, etiam summè necessariam: nihil est enim, quod animæ salute magis sit necessarium. Hæc expertissimus ille rerum Asceticarum Magister Basilius; qui & subdit: *Difficilibus ac morosis senibus aures libenter præbeto; qui proverbiorum sententiis adolescentes ad recta studia cohortantur; neq; oris tamen deformitate quicquam ipsis afferunt detrimenti.* Verùm nec decrepitorum senum conversatio cum adolescentibus & pueris omni semper periculo caret, prout nobis SS. Patres tradiderunt: etenim S. Dorotheus *Doctr.* 20. jubet omnes Monachos etiam *senes amicitiam & colloquia adolescentulorum fugereut amicitiam Diaboli.* Abbas Isaac Thebæus Fratribus suis ait; *pueros hic non adducatis; quia propter ipsos in Schiti quatuor Ecclesiæ ad solitudinem redactæ sunt.* St. Thedorus Studita Ab-

bas apud Baronium *ad annum Christi* 826. inter alia documenta Prælatis & successoribus suis relicta etiam hoc tradidit. *Non habebis in cellâ tuâ discipulum adolescentem, quo afficiare; Sed ministeria tua obeant diversi fratres & minimè suspecti.* S. Ephrem *de vitâ spirit.* monet: *cave à nimiâ juvenum consuetudine; multi enim per eam corrupti sunt, ac stulti evaserunt.* Denique S. Augustinus in regulâ suâ præcipit Superioribus, nè subditos suos carnali amore prosequantur. *Non autem carnalis, inquit, sed spiritualis debet inter vos esse dilectio.*

86. Porrò carnalis & inordinati amoris signa, ex quibus dignosci possit, declarat S. Franciscus Salesius *in Philoth. part.* 3. *c.* 17. dicens: Amorem quemvis esse metiendum & agnoscendum *ex basi seu fundamento*, cui innititur; adeoque amorem illum, qui fundatur in objecto aliquo sensualis voluptatis, v. g. in pulchritudine corporali, dexteritate, vocis suavitate, verborum blanditiis, teneritate vultûs, amicabilitate morum, oris affabilitate, & similibus vanis, frivolis, futilibus, & sensualibus rebus, esse sensualem, carnalem, viro indignum, imò fatuum, stolidum, & valdè periculosum; utpotè qui communiter in fœdas carnalitates & probrosas libidines desinit; quamvis hæ in principio minimè intendantur. Præterea colligi potest amor inordinatus & carnalis *ex mutuâ communicatione* inter utrumque amantem carnali & sensuali, puta ex lenociniis, oculorum obtutibus, suspiriis & verbis signisvè amorosis, manuum con-

tre-

trectationibus & compressionibus, amplexibus, osculis, & similibus ineptiis, quibus carnaliter amantes invicem se pascunt, & oblectant. Quisquis ergò suum amorem erga hominem aliquem non in Deo aut in virtute quâdam supernaturali, sed in re sensuali fundatum reperit; aut eum ex sanctâ intentione, vel spirituali communicatione in vanam ac futilem degenerâsse animadvertit, is pro certo habeat, se talem hominem carnaliter, inordinatè ac perditè amare, & in magno salutis suæ discrimine versari; nisi maturè & quàm primùm per media congrua se indè expediat.

87. *Primum* autem medium contra periculosam hanc amoris passionem, in eo consistit, ut sollicitè præcaveamus, nè talis affectus inordinatus erga creaturam aliquam in nobis exoriatur & generetur, ac consequenter ut objecta illa omnia, quorum præsentia nobis occasionem aliquam præbere potest, in tantum à nobis removeamus, quantum ratio status & officii nostri permittit; cùm enim sensualis amor magnam habeat vicinitatem cum vitio luxuriæ; non aliter contra illum nobis pugnandum erit, ac contra ipsam luxuriam. Communis autem Ascetico-rum doctrina est, occasiones luxuriæ non esse quærendas, nec tentationes illius provocandas, sed fugiendas, & præcavendas esse, juxta illud S. Pauli: *fugite fornicationem.* 1. *Corinth.* 6. *Cùm enim omnibus aliis vitiis prædicaverit resistendum; dum contra libidinem loqueretur, non dixit: resistite; sed fugite fornicationem;* inquit S.

Auguſt. *lib. de honeſtat. mulier. c. 1.* Suadet hoc remedium S. Franciſcus Saleſius *ſuprà. c. 21.* dicens: *vide, nè ullatenus aut quoquo modo cum iſthoc inimico* (amore ſenſuali) *in tractationem venias, aut paciſcaris; auſcultabo quidem illi; ſed nihil eorum, quæ mihi oggeret, exequar; aurem quidem illi præſtabo, ſed cor ei occludam. Eſto, per Deum te rogo Philothea mea, in his rebus admodùm rigida: cor enim & aures à ſe invicem dependent; & uti impoſſibile, torrentem, qui per montis declive curſum ſuum inchoavit, retinere aut impedire: ita quoq; perdifficile eſt, impedire, ut amor, qui jam in aures ſeſe inſinuavit, non ſtatim in cor devolvatur ac deſcendat.* Loquitur autem S. Præſul de lenociniis & verbis amoroſis, quibus carnales aliqui homines ſolent innocentium & ſimplicium animos ad ſenſualem amorem ſollicitare, ineſcare, irretire, & captivos tenere. Suadet eandem cautionem & fugam S. Ephrem *de vita Spirit.* dicens: *Si contigerit, ut cum iis, qui adoleſcentiâ & pulchritudine florent, verba facias, oculos tuos cuſtodi: nè cupiditas turbet animum tuum; & ſermones ſtudii & affectionis plenos incipias in longum ducere; ſummiſq; labiis de modeſtiâ ac temperantiâ loquens, mentem tuum libidine contamines. Cùm igitur in ejusmodi congreſſum incideris, verbis paucisſimis ſermonem abſolve: in multiloquio enim non deerit peccatum; & conſuetudines ac familiaritates hujusmodi non mediocre afferunt animæ detrimentum.*

Alterum medium eſt, ut in caſu, quo paſſionem

nem amoris sensualis erga creaturam aliquam in nobis excitari advertimus, statim tunc & sine morâ principiis obstemus, antequàm malum hoc rudices in appetitu nostro sensitivo agat, & per longiorem moram magis invalescat; quò enim diutiùs quis amorem in se fovet, eò pluribus & fortioribus se ipsum vinculis inextricabiliter constringit, & naturæ suæ ad objecta sensualia inclinationem magis corroborat, oleumq; igni affundit, ut flamma totum corpus pervadat & corripiat, ac in pernicioſſimum tandem incendium erumpat.

Maxima difficultas est, quomodò juvandus ille, qui retibus & laqueis inordinati amoris erga hominem aliquem jam implicatus tenetur? Nam si passio hæc semel in te radices egerit & captivum te teneat, *non nisi quàm difficillimè te ab iis laqueis expedies, & extricabis*; inquit præfatus Salesius suprà. Ubi etiam subjungit sequentia remedia: primò *quàm poteris maximâ animi contentione cæptos hoscè amorculos detestare; & generosissimâ, & absolutissimâ quadam voluntate ac resolutione animum tuum liga & contine; & firmum propositum concipe, nunquam ampliùs ad hanc amoris recreationem & ludum revertendi.* Secundo *consulerem quoq; ut (si fieri posset) ipsum amoris objectum à te abdicares; qui enim ab amore sauciatus est, ægrè ab hac passione curabitur, quamdiu apud illum versabitur, qui eodem vulnere læsus erit.* Locì *mutatio apprimè conducit ad ardores & inquietudines tùm doloris, tùm amoris mitigandos & tem-*

temperandos. Juvenis ille vanus, de quo S. Ambrosius lib. 2. de pœnitent. Cùm longâ peregrinatione susceptâ, diu patriâ abfuisset, à vanis amoribus, quos aliàs consuetus erat, liber planè domum rediit, & adeò immutatus, ut, cùm priscam amasiam obviam habuisset, illaq; ex eo percontraretur, num se nôsset, & diceret: ego sum; imò, responderit, benè quidem; sed ego non sum ego. Tertiò *qui se loco subducere; aut aliò migrare non potest, is omnem particularem conversationem, omne colloquium clancularium, omne oculorum lenocinium ac nutum, omnem arrisum, atq; adeò universim omne communicationum & illecebrarum, quæ putiscentem, & fœtidum hunc ignem fovere natæ sunt, genus penitùs & absolutè rescindat oportet. Aut, si complex vel compar necessariò alloquendus est; non aliâ id intentione & causâ fiat, quàm ut ei generosâ, succinctâ, & gravi protestatione, æternum illud, quod inire & facere cum ipso decrevit, divortium significet. Undè omnibus, qui in hoscè amorculorum casses & pedicas inciderunt, palàm & altâ voce inclamo: abscindite, rescindite, abrumpite: neq; enim inanes, & fatuæ hæ amicitiæ paulatim & per otium sunt dissuendæ, sed dilacerandæ; vincula hæc non enodanda, sed abrumpenda, & præsecanda.* Hæc S. Franciscus Salesius.

§. 11. De

§. 115

De Passione Iræ.

38. DE effectibus Iræ indomitæ & effrenis dicit Scriptura *Jacob.* 1. *Ira viri justitiam Dei non operatur.* Proverb. 15. *Vir iracundus suscitat rixas.* Proverb. 29. *Vir iracundus provocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.* Proverb. 26. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo iracundus suscitat rixas.* Proverb. 27. *Grave est saxum, & onerosa arena; sed ira stulti gravior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ferre quis poterit?* Proverb. 18. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Deniqúe Eccl. 28. *Abstine à lite; & minues peccata: homo enim iracundus incendit litem.* Pulchrè etiam S. Chrysostomus mala & incommoda passionis iræ describit. *homil. 3. in c. 1. Joann.* dicens: *videbis iratos non secùs ac insanos turpiter in medium præcipites ferri, cùm enim circa præcordia ira efferbuit, os ignem emittit, tota inflatur facies, incompositè manus moventur, ridiculè prosiliunt pedes, monitoribus & rixam dirimere conantibus insultant, in eosq; nullâ ab insanientibus differentiâ irruunt. Et cùm hoc faciunt, tanquam amentes nihil sentiunt, nihil intelligunt; sed asinorum more calcibus morsibusq; invicem insultant.* Et *homil. 6. in c. 2. Actuum Apost. Nihil insuavius homine iracundo, nihil onerosius, nihil molestius, nihil fœdius. Melius est cohabitare bestiæ, quàm homini*

minitali: nam illa quidem si semel cicuretur, servat suam legem; illitè autem quoties placaveris, iterum exasperatur. Item *homil. 17. in c. 7. Actor. Apost. Quid in iracundo non turpe? oculi insuaves, os distortum, membra tremula, lingua infrænis, nulliq; parcens, mens stupida, figura indecens. Non habitat Spiritus Sanctus, ubi furor. Nihil sani potest ingredi, ubi egreditur furor; nam sicuti in tempestate maris magnus est tumultus, magnus clamor; & nec ad tempus potest quis philosophari; sic neq; in irâ.* Et *homil. 31. in c. 14. Actuum Apost. Ira inflat venas, incendit oculos, disrumpit viscera, vomit verba ipsâ immunditiâ magis immunda. Omnia non commansa, sed cruda loquitur, nihilq; perfectum. Nec sinit latere, quæ sileri deceret; & dicenda ac non dicenda effutit.* Denique S. Basilius *Constit. Monast. c. 14. Qui ab irâ vinci se sinit, ab eo rectum nihil proficisci potest.*

89. Potest autè passio iræ inordinata domari & cicurari per sequentia media: primum est, ut motus insurgentes frequenter & sæpiùs reprimamus ac fortiter retundamus per actus heroicos ipsis contrarios, cujusmodi sunt actus mansuetudinis, & patientiæ; juxta monitum S. Hieronymi. *Epist. ad Rustic. Monach. Iram vince patientiâ,* quia *victoria contra iram est, & quidem maxima, non cùm ulciscimur injurias; Sed cùm eas æquo animo toleramus;* ut inquit S. Chrysostomus *homil. 3. in c. 1. Joannis.* Et D. Petrum Chrysologum *Serm. 28. Ira vincitur lenitate; mansuetudine extinguitur furor; malitia*

litia bonitate purgatur ; non tantùm in alieno ſubjecto, ſed etiam in nobis ipſis. Undè Scripturâ teſte *melior eſt patiens viro forti; Et qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Proverb.* 16. Legitur *in vitis Patrum lib. 5. lib. 7. de patientiâ* , quod frater quidam erat in congregatione inquietus, & frequenter movebatur ad iram. Dicebat ergò in ſemetipſo : vadam, & ſolus alicubi habitabo ; & cùm non habeo, cum quo dicam, vel audiam , ero quietus, & quieſcet à me paſſio Iræ. Egreſſus ergò manebat in ſpeluncâ ſolus. Unâ autem die implens ſibi ſuriſculam aquæ, poſuit illam in terrâ : contigit autem ut ſubitò verſaretur ; ille verò implevit ſecundò ; Et iterum verſata eſt ; deindè tertiò implens poſuit eam ; & rursùs verſata eſt. Qui commotus furore , tenuit vaſculum illud, & fregit, in ſe autem converſus, agnovit, quia ab eodem Dæmone iracundiæ ſit illuſus ; & dixit : Eccè ego ſolus ſum, & vicit me ; revertar ergò in congregationem ; *quia ubiq; labor , & patientia opus eſt.*

Secundum medium eſt, ut, quamprimùm advertimus iræ motum in nobis exurgere, & oriri, ſtatim & ſine morâ eum reprimamus, & in ipſo adhuc ortu ſuffocemus ; priusquàm invaleſcat, ſanguinem inflammet, rationem turbet, & obſcuret. Docet hoc S. Chryſoſtomus *homil. 3. in c. 1. Joann.* dicens : *vehemens iræ affectus eſt, & hunc ignem extinguamus , nevè ad ſummum evadere ſinamus : iræ enim morbus niſi mox ſedetur, multas generat calamitates ; domos & familias*

lias evertit, veteres dissolvit consuetudines. Et S. Augustinus *Epist.* 100, *ad Profutur. Incomparabiliter salubrius est, etiam iræ justè pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram.* Quod si verò justissimâ etiam de causâ semel fuerit in nobis excitatus iræ motus; is nihilominùs statim iterùm & sine cunctatione comprimendus & sedandus est; juxta illud monitum Apostoli. *Ephes.* 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram;* nè scilicet, dum in animo diutiùs fovetur, in rancorem, odium, & aversionem degeneret; *inveterascens* enim *ira fit odium, dum quasi justi doloris admixta dulcedo diutiùs eam in vase detinet, donec totum acescat, vasq; corrumpat;* ut inquit S. August. *Epist. cit. ad Profutur.* Qui etiam in Regulâ meliorē pronuntiat eum, *qui quamvis irâ sæpius tentetur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam quam qui tardiùs irascitur, & ad petendam veniam tardiùs inclinatur.* Et St. Gregorius *lib.* 5. *moral. c.* 30. *Sciendum est,* inquit, *quod nonnullos ira citiùs accendit, faciliùs aeserit: nonnullos tardè quidem commovet; sed diutiùs tenet. Alii namq; accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt: citiùs flammam faciunt sed protinus in favillâ frigescunt. Alii auten lignis gravioribus durioribusq; non dispares accensionem tardè suscipunt, sed tamen acensi semel, difficiliùs extinguuntur. Alii autem (quod nequius est) & citiùs iracundiæ flammas accipiunt, & tardiùs deponunt Nonnulli*

nulli verò has & tardè suscipiunt, & citiùs amittunt. Atque hi posteriores sunt *viri divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Eccli.* 44. qui scilicet jam perfectum obtinuerunt affectum, & passionum suarum dominium.

Tertium medium est, ut quovis tempore circumferamus animum paratum, & præmeditationis clypeo prämunitum contra omnes contradictiones, despectiones, & quoscunque adversos casus; ita ut nihil insperatum inexspectatum, & non prævisum nobis accidere queat. *Minus enim jacula feriunt, quæ providentur, & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus; si contra hæc per præscientiæ clypeum præmunimur*; ut inquit S. Gregorius, *homil.* 35. in Evangeli. Qui proindè *lib* 5. *moral. c.* 30. monet, ut ad præcavendos iræ motus *mens sollicita, antequàm quodlibet incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias & adversa proponat; quæ posteà venientia tantò fortiùs excipit, quantò se cautiùs ex præscientiâ armavit: qui enim improvidus ab adversitate deprehenditur, is quasi ab hoste dormiens invenitur. Solerter ergò animus ante operationis suæ primordia cuncta debet adversa meditari; ut hæc semper cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, providus superet, & quidquid non acciderit, lucrum putet.*

90. Hactenùs de passione Iræ culpabilis: Est autem & alia Ira justa, ac laudabilis; quam viri sancti & perfecti subindè in se voluntario & deli-

berato animo excitant; & quam Scriptura etiam commendat *Psalm.* 4. dicens: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Item Eccl. 7. *Melior eſt ira riſu.* Deſcribit eam S. Gregorius *lib.* 5. *Moral. c.* 30. Sequentibus verbis: *Solerter ſciendum eſt, quod alia eſt Ira, quam impatientia excitat; alia, quam zelus juſtitiæ format: illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute ſurgeret, divinæ animadverſionis impetum Phinees per gladium non placâſſet. Hinc ira, quam Heli non habuit, motum contra ſe implacabiliter ſupernæ ultionis excitavit. Si enim ſic proximos, ut nos amare præcipimur, reſtat, ut ſic eorum erratis, ſicut noſtris vitiis iraſcamur. De hac per Salomonem dicitur: Melior eſt ira riſu; quia per triſtitiam vultûs corrigitur animus delinquentis; ſed cùm per zelum animus movetur, curandum eſt ſummoperè, nè hæc eadem, quæ inſtrumento virtutis aſſumitur, menti ira dominetur; ſed velut ancilla ad obſequium parata, à rationis tergo nunquam recedat.* Et S. Chryſoſtomus *homil.* 6. *de laudibus D. Pauli. Non commoveri malum eſt, ſed irrationabiliter, nullo, juſto flagitante negotio commoveri. Quod ſi omninò hujusmodi uti non oportet affectu, etiam cùm tempus expoſcit, fruſtrà nobis videtur ingenitus. Sed profectò non fruſtrà; quem certè providus creator nobis inſeruit, ut dormientes animas ab inertiâ ac deſidiâ ſuſcitaret: quaſi enim gladio aciem, ita menti noſtræ iræ acumen impoſuit; ut eo, cùm oportet, utamur. Neq; enim ſimpliciter lenitas ſemper eſt bona; ſed cum illam*

tem-

tempus efflagitat: quando vero id non adest, etiam ista vitiosa est. Undè scandalizari non debent Novitii & Tyrones, si quandoque videant, superiores zelo disciplinæ commoveri, & irasci.

§. 12.

De Passione Tristitiæ.

91. DAmna Tristitiæ alia sunt ex parte corporis, alia ex parte animæ. De damnis corporalibus ait Scriptura. *Proverb. 12. Mœror in corde viri humiliabit illum; Et sermone bono lætificiabitur. Proverb. 15. Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur spiritus. Proverb. 17. Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa. Proverb. 25. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi. Eccli 30. Tristitiam nè des animæ tuæ; & non affligas temet ipsum in consilio tuo. Jucunditas cordis hæc est, vita hominis; Et exultatio viri est longævitas. Tristitiam longè repelle à te, multos enim occidit tristitia; Et non est utilitas in illâ.* Deniquè *Eccli. 25. Omnis plaga tristitia cordis.*

Damna spiritualia tristitiæ recensent spirituales Magistri sequentia: primum est, quod *orationes explere cum solitâ cordis alacritate non permittit tristitia*, ut inquit Cassianus *lib. 5. De instit. renunt.* Quin & tanto subindè hominem fastidio rerum spiritualium afficit, ut non solùm ipse exercitia pietatis & communia Religiosis ministeria cum summo tædio & nausea obeat.

verùm etiam cœteros suos collegas, qui serio & cum alacritate perfectioni incumbunt, odio habeat, aversetur, persequatur. *Secundum* est, quod tristitia reddat hominem in congregatione viventem cœteris suis confratribus difficilem, asperum, austerum, morosum, inhumanum, intolerabilem, & insupportabilem: *tristitia* enim *ex propinquo habet iram*; ut inquit S. Gregorius *lib. 31. moral. cap. 31.* Et docet experientia, quod illi, qui tristes ac melancholici circumeunt, communiter sint impatientes, suspicaces, indignabundi, & stomachantes; nec possit quicquam ab aliis dici, aut fieri, quod ipsi non carpant & improbent, ursis exasperatis similiores quàm hominibus. *Tertium* damnum est, quod tristitia frequenter homines eò usque perturbare, & exagitare soleat, ut omni prorsus sensu, judicio, & rationis usu eos privet, atque à mente alienatos efficiat; *non* enim *est sensus, ubi est amaritudo*; inquit Ecclesiasticus *c.* 21. Undè videmus & audimus sæpè eos, quibus passio mœroris & melancholiæ prædominatur, tam exoticis apprehensionibus, fanaticis suspicionibus, & angoribus torqueri, ut vel ipsis pueris ridiculi existant. *Quartum* est, quod Dæmon eos, quos animi tristitia occupavit, non raro in abyssum desperationis præcipitet; prout de Juda proditore testatur Matthæus *c.* 27. *v.* 6. & loquuntur casus obvii. Propter quod Ascetici tristitiam vocant *speluncam* & *latibulum Diaboli*: quamprimùm enim hic conspicit hominem religiosum tristitiâ & mœ-

mœrore oppreſſum, ſtatim ei ſuggerit cogitationes de inſtituto Religioſo deſerendo; prout advertit Alphonſus Rodericus *part. 2. Exercit. Perfect. tract. 6. c. 1. n. 7.* & quotidiana confirmat experientia. *Quintum* damnum triſtitiæ eſt, quod, cùm *ſine omni delectatione anima nunquam poſſit eſſe*, teſte S. Gregorio. *lib. 28. moral. c. 8.* & D. Bonaventurâ *tom. 2. opuſc. lib. 2. de profect. Relig. c. 2.* Diabolus tempore mœroris & triſtitiæ, quando in rebus ſpiritualibus homo nullam delectationem invenit, res ſenſuales, inhoneſtas, & carnales ei fallaciter objiciat, & repræſentet, ut afflictus animus rerum illicitarum oblectatione præſentem mœrorem & melancholiam pellere, aut mitigare quærat.

92. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quàm ſit neceſſarium homini religioſo, qui poſt manum aratro applicatam non vult retroſpicere ad ſæculum, nec cum faſtidiosâ turbâ anhelare in deſerto rursùs ad ollas carnalium voluptatum in Ægypto relictas, ut omnem triſtitiam & animi mœrorem longè à ſe repellat; contrà verò jugiter in domino delectetur & exultet, juxta illud *Philipp. 4. Gaudete in Domino ſemper; iterum dico, gaudete.* Et *Pſalm. 69. Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te.* Item *Pſalm. 99. Servite Domino in lætitiâ.* Et *Pſalm. 104. Lætetur cor quærentium Dominum. Diaboli enim & membrorum ejus eſt triſtari; noſtrum verò jugiter in Domino gaudere; quia vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum;* ajebat S Franciſcus ad fratres ſuos. Et de diſcipulis S. Apollo

Abbatis dicitur *in vitis Patrum. lib. 8. c. 52. Licebat eos videre exultantes in solitudine, adeò ut nullam ejusmodi aliam exultationem in terrâ videre liceat, nec lætitiam corporalem. Neque enim erat inter eos aliquis mœstus, aut tristis: sed si quis videbatur præseferre tristitiam, statim Pater Apollo ex eo rogabat causam. Dicebat enim: non oportet esse tristes propter salutem; cùm futuri simus hæredes regni cœlorum. Tristes autem erunt gentiles, flebunt Judæi, lugebunt peccatores; justi autem lætabuntur. Qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis: nos autem, qui tantâ spe digni sumus habiti, quomodò non lætamur perpetuò; cùm nobis Apostolus suadeat, ut semper lætemur?* Porrò habet lætitia spiritualis & hilaritas animi in servitio Divino tres præcipuè effectus magni momenti: primus est, quod opera nostra & servitia Deo cum hilaritate & animi alacritate exhibita, sint ipsi multò gratiora, & acceptabiliora, quàm ea, quæ cum tædio & tristitiâ præstantur. Sicut testatur S Paulus 2. *Corinth. 9.* dicens: *Non ex tristitiâ, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus,* Et Ecclesiasticus *c. 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Sicut enim homines, ita & magis Deus respicere solet non tam externum opus, quod præstatur, quàm ipsam internam voluntatem, & affectum, quo præstatur. Quâ in re proindè graviter decipiuntur aliqui, dum putant, se devotos esse, & Deo placere non posse, nisi incedant capite in terram dejecto, fronte capratâ & contractâ, vultuque

lugu-

lugubri & mœsto. *Religiosorum modestia non est mœsta*, inquit S. Leo Papa *serm. 4. sed Sancta.* Et Christus *Matth. 6.* monet: *nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Undè Statuta nostra Canonica. Dist. 1. c. 22. n. 6. jubent, ut *facies sit serena, & hilaritatem potiùs exhibeat, quàm tristitiam; nihilq; torvum appareat in oculis,* & *c. 20. n. 13.* præscribunt Novitiis, ut sint *in communi conversatione benigni, atq; modesti; in animi relaxatione cum religiosâ moderatione læti. Ad officium* verò *divinum accurrere*, eique interesse *consuescant cum magno fervore spiritûs, & cum alacritate cordis.*

Secundus effectus lætitiæ Spiritualis est, quod subministret facilitatem, promptitudinem, vires ac robur ad benè operandum; juxta illud *Psalmi. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Hilaritas enim & lætitia cor hominis dilatat & ampliat, illudq; promptum & alacre reddit ad superandas difficultates; sicut econtrà mœror & tristitia animum angustiat, constringit, cöarctat & contrahit; redditque illi durum & difficile, quod prius leve & facile videbatur; ita ut ad consueta Deo servitia præstanda non amplius afficiatur.

Tertius effectus lætitiæ spiritualis est, quod proximus indè plurimùm ædificetur, & ad studium virtutis incitetur; dum enim videt, nos opera ordinaria & exercitia Religionis, quæ ipsi videbantur difficilia & molesta, obire cum magnâ animi promptitudine, alacritate, &

vultûs hilaritate ; hoc ipso sibi persuadet, non reperiri eam in virtutum exercitio difficultatem, quam eidem inesse hactenùs existimavit; correctâque suâ erroneâ imaginatione, seipsum ad easdem virtutes sectandas extimulat, dicens intra semetipsum : possunt hi & isti ; cur & ego similiter non possem?

93. Porrò media pellendi tristitiam & Melancholiam, consistunt in remotione impedimentorum, vel causarum illarum, ex quibus nasci solet malum tristitiæ. Prima autem causa & radix solet interdum esse humor melancholicus in corpore prædominans; ad quem evacuandum aptior est medicus corporalis, quàm spiritualis. Quia tamen hic morbus melancholiæ & infectus humor non solùm fovetur per tristes & tetricas cogitationes, sed etiam summoperè augetur, & magis radicatur : hinc statim in principio resisti illis debet & obviari; antequàm prævaleant.

Altera radix tristitiæ est immortificatio voluntatis nostræ propriæ, & appetitûs sensitivi : ideò enim communiter solemus contristari; quia appetitui nostro & affectibus non fuit satisfactum ; vel quia res aliter accidit, quàm sperabamus, aut desiderabamus. Adeoque passiones nostras, & inordinatos affectus cohibeamus & edomemus necesse est, si jugiter velimus gaudere, & nunquam contristari. Huic verò causæ confinis est

Tertia, videlicet nimia propensio nostra erga res hujus mundi; quia non sumus resignati,

& per-

& perfectè indifferentes ad omnem personam, locum, officium, functionem, & quamcunque rem vel acceptandam vel dimittendam secundùm Dei voluntatem per Superiores nobis manifestatam. *Qui* enim *non habita concupiscit, ut habeat; aut in prosperis formidat adversa; aut adepta metuit, nè amittat; aut in adversis sperat prospera; talis huc illucq; quasi quibusdam fluctibus volvitur; ut inquit* S. Gregorius *lib. 22. moral. c. 24.* Qui verò indifferens est ad omnem Dei superiorumque voluntatem, nec unum aliquod officium, vel functionem, locum, &c. magis eligit & concupiscit, sed in eo solùm lætatur & conquiescit, quod Dei nutum & beneplacitum intelligat, & exequatur; talis omni tempore materiam & occasionem inveniet gaudendi, juxta Apostoli monitum; & gaudium illius nemo tollet ab eo; quia illud non collocat in re quadam aufferibili, mutabili aut impedibili, sed in solâ & unicâ Dei voluntate; quam nulla creatura poterit impedire; juxta illud *Isaiæ* 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Nostra igitur propria voluntas, amor proprius, studium propriarum commoditatum, & desideria nostra sunt tortores & carnifices nostri, quibus frequenter torquemur, divexamur, dilaniamur, & in tristitiam sivè melancholiam conjicimur; sicut patet ex *lib. 3. Reg. c. 21.* Ubi Rex Achab incidit in tantam tristitiam & mœrorem, ut se in lectulum projiciens, non comederet panem. Causa verò morbi & melancholiæ additur; quia concupiverat

vineam Naboth Palatio regio vicinam; quam tamen juxta desiderium suum accipere non poterat. Sic hodiedum videmus nonnullos in Religionibus continua quasi passione tristitiæ vexari, ac summoperè torqueri; quia non impetrant à Superioribus, quod desiderant; vel aufertur ab eis, quod amant; vel injungitur ipsis, quod aversantur & horrent. Qui tamen omnes perpetuâ pace, tranquillitate, & cordis lætitiâ frui possent, si omninò nullam rem præ aliâ concupiscerent, sed ad quidvis per Superiores injungendum indifferentes se exhiberent.

Quarta radix tristitiæ est occulta & latens nostra superbia: qui malignus tumor & humor quamdiu in nobis residet, nunquam animo nostro tristitia & mœror deerit; quia nunquam deerunt occasiones, vel ex parte Superiorum, vel ex parte confratrum nostrorum, quæ animum inflatum ac tumidum affligant; indicibili enim mœrore torquetur Superbus, quando propter excessus & defectus suos à Superioribus increpatur, coram aliis confunditur, publicè humiliatur, cœteris postponitur, ab officio aut functione honorificâ removetur. Item quando à paribus & inferioribus non æstimatur pro qualitate sui Statûs, doctrinæ, officii &c. Vel quando ipsius verba & sermones non à cunctis audientibus auscultantur, ac veluti oracula habentur, titulus & respectus non tribuuntur &c. Undè cùm Mardochæus superbo Amanno ingredienti, & egredienti non assurrexisset; hic ostensâ amicis divitiarum suarum magnitudine,

sub-

subjunxit : *Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum ante fores Regias.* Postquàm verò eidem Mardochæo se postponi vidit; ex aulâ festimavit *ire in domum suam tristis & lugens. Esther. 5. v, 13. & c. 6. v. 12.* Qui ergò tristitiæ malo carere, & jugiter gaudere desiderat, omnem in se superbiam evacuare contendat.

Deniqúe ad melancholiam & tristitiam propulsandam efficax est remedium, si per orationem confugiamus ad Deum, & ad spem vitæ æternæ animum depressum erigamus; Juxta illud *Jacob. 5. Tristatur aliquis vestrùm; oret.* Est scilicet hoc inter animum Religiosum & mundanum discrimen, quod sicut in universali diluvio corvus ex arcâ dimissus, pabulũ & requiem quæsivit in cadaveribus hominum ac jumentorum; columba verò ejusmodi immunditias aversata, cùm non inveniret, ubi requiesceret pes illius, in arcam ad Noemum rediit : ita animus mundanus inter aquas tribulationis & afflictionis deprehensus, confugiat ad oblectationes sensuales & carnales, ibidem lenimen ac solatium quæsiturus; Animus verò religiosus, cùm hujusmodi voluptates brutales, & spurcitias aspernetur, pedemque in illis figere horreat, ad Deum, Patrem & liberatorem suum confugiat. Undẽ David de se ait *Psalm. 76. renuit consolari anima mea: memor fui Dei; & delectatus sum.*

✠

§. 13.

Medium sextum ad puritatem & teneritudinem conscientiæ obtinendam est mortificatio corporis & concupiscentiæ carnalis.

94. QUantus animæ nostræ inimicus sit caro & corpus nostrum ; & quàm lethalia eidem vulnera infligat, nisi mortificetur, ac per juge mortificationis studium subigatur, Testatur S. Paulus, *Galat. 5. Caro concupiscit adversus spiritum. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c.* Item *Roman. 7.* Ubi concupiscentiam carnis in corpore suo habitantem vocat *peccatum*, non formaliter, sed causaliter, id est fomitem peccati. Ac tandem subdit: *Ergò fratres debitores sumus nõ carni, ut secundùm carnem vivamus : Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et St. Jacobus *c. 1. Unusquisq; tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Item *c. 4 Undè bella & lites in vobis? nonnè hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris ?* Conqueritur de hoc hoste suo domestico S. Joannes Climacus *grad. 15.* dicens : *Quomodò ab eo liberabor, cui colligatus sum ? quid illi rationabile dicam, qui per naturam mille rationibus ac persuasionibus men-*

mentitur ; estq; cooperator, & hostis ; adjutor, atq; adversarius ; auxiliator simùl & insidiator ? si foveatur : oppugnat. Si affligatur : debilior fit. Lascivit per quietem : rursus Verbera & flagella non sustinet. Si illum contristem ; periclitor. Si foveam ; per quem virtutes acquiram, non habeo. Nec mirum, quod nos miseri homunciones carnem & corpus nostrum sentiamus inimicum : cùm etiam Apostolus gentium, qui tamen in gratia Dei fuit confirmatus, sibi à corpore suo pertimuerit: ait *enim Rom. 7. Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne meâ bonum. Video alium legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Et *1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo : nè fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Undè & nobis eandem in mortificando corpore sollicitudinem & curam commendat. *Rom. 8. dicens : si spiritu facta carnis mortificaveritis ; vivetis.* Et *Roman. 13. Carnis curam nè feceritis in desideriis.* Item. *Galat. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Deniq́ue *Coloss. 3. Mortificate membra vestra.* &c.

95. Contingit autem hæc corporis & carnis mortificatio duobus modis : primò per simplicem denegationem illius, quod caro contra Dei, Ecclesiæq́ue præcepta, aut contra regulam & Statuta concupiscit ; vel inutiliter & superfluè ac sine verâ necessitate appetit, etiamsi malum

et pro-

& prohibitum non sit: dicente Scripturâ. *Eccl.* 18. *Post concupiscentias tuas non eas.* Quod genus mortificationis S. Scriptura vocat *abnegationem sui ipsius. Matth.* 16. *Si quis vult venire post me; abneget semetipsum.* Et *Epist. ad Titum. c.* 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo.* Secundò contingit mortificatio carnis per afflictionem corporalem et sensibilem illius; cùm scilicet non solùm denegamus ei, quod illicitè aut sine necessitate concupiscit: sed insuper molestiam aliquam et afflictionem inferrimus. v. g. per vigilias, labores, frigoris et caloris tolerantiam, strati duritiem, vestium asperitatem, abstinentiam et jejunium. De quo ultimo ait S. Augustinus in Regulâ: *Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs, quantum valetudo permittit.* Estque hic modus carnem mortificandi per jejunium adeò familiaris et usitatus omnibus, qui vitam sanctam instituere, et feliciter finire volunt, ut Ecclesia Catholica generaliter ac pro omnibus Confessoribus non Pontificibus statuerit et ordinaverit in Canonico Officio sub Hymno ad matutinum cantari aut recitari hæc verba: *jejuna membra deferens, dapes supernas obtinet.* Religiosis verò et Monachis adeò peculiaris et suo modo propria fuit hæc maceratio corporis; ut S. Paulus inter Monachos recensere noluerit fratrem quendam, qui facie ac buccis parùm spiritualibus rubuerat; uti videre est in

ejus

jus Epist. 7. & 13. ad Sever. Undè S Basilius *homil. de fame & siccit.* Monachum describens, vocat eum *hominem egenum, continentiæ convictorem, subpallidum.* Petrus Damianus in vita S. Romualdi refert, quod hujus discipuli, Monachi Sytrienses, fuerint omnes *inculti, pallidi, & nimiâ omnium rerum extremitate contenti.* S. Gregorius Theologus *orat. 3.* Monachos vocat *penè excarnes*, atque *exangues.* Et *orat. 12.* ac 14. vocat eos *humi cubitores; quibus Psalmodia Angelica; noctes stataria, vigiliæ jejunia; gressus gravis & modestus; oculus non vagus; subrisio levis; imò subrisionis vix nota; pallor in vultu; vox composita & quieta.* Nec solis Monachis et Christianis Philosophis, verùm etiam Ethnicis fuit usitata hæc maceratio carnis; sicut testatur M. Aurelius Imperator *Epist. ad nepotem suum Egesipum*, dicens: *Nunquam hoc Dii velint, nunquam hoc Scholæ Italicæ græcæq, ut sit philosophiâ refertus animus, ubi facies pinguis, & nitidum corpus. Verus Philosophus inter postrema habet curam corporis. Verus Philosophus ut & sit, & videatur Philosophus, habeat malas depressas, faciem pallidam, corpus tenue, carnem siccam, cibum exiguum, vigilias multas. Insignia laudati ducis sunt cicatrices; & Philosophi diligentis Nota est asperitas. Æq enim erubescere sapiens debet, si obesus & elegans dicatur; quàm Dux, si timidus & ignavus.*

96. Ut verò animosiùs & alacriùs hoc mortificationis exercitium aggrediamur & prosequamur; SS. Patres docent, corpus nostrum esse tractan-

tractandum, uti Eques tractat equum sternacem, & indomitum; quem violentiâ adhibitâ tandem compescit, condocefacit, & quocunq; ac quomodocunque vult, gressum figere, aut flectere cogit. Ne potentius medium est tollendi defectum aliquem & vitium ab equo, vel quovis alio jumento, quàm non indulgere ei, nec sinere, ut exequatur, ad quod vitiosè inclinat & propendet, similiter ergò nunquam subtrahenda sunt carni nostræ calcaria; nec frœnum ei ullatenùs laxandum, sed semper contrahendum est; nunquam permittendo, ut exequatur, ad quod propendet; sed ubivis illi contradicendo, & concupiscentiis sivè appetitibus ejus obluctando et resistendo.

Secundò docent SS. Patres, hominem nostrum inferiorem sive carnis nostræ sensualitatem et concupiscentiam non aliter habendam ac tractandam, quàm tractare solemus hostem nostrum et inimicum, infensissimum ac capitalissimum: cujus proindè suasioni et suggestioni nullatenùs fidendum; sed cunctæ illius machinationes nobis suspectæ esse debent. Insuper valdè cavendum est, nè per copiosiorem cibum aut potum vires illi & arma contra nos subministremus; sicut monet S. Augustinus *lib. de Salutaribus monitis c.* 35. dicens: *Nè præbeamus vires illicitas carni & corpori nostro: nè committat bellũ adversus Spiritum nostrũ. Sed potiùs fortitudinẽ & robur ejus per continuas molestias, vexationes, afflictiones debilitemus;* dicentes cum Monacho illo apud Palladium: *vexo vexantem me;*

me; Et ultionem de hoste meo sumo. Vel cum S. Bernardo: *Exurgat Deus, cadat armatus iste; cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? certè si sentis mecum, dices: Reus est mortis; crucifigatur.* Atque hoc est spirituale illud *odium*, de quo Christus *Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et *Joann. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* In quibus locis SS. Patres per animam intelligunt *concupiscentiam ejus materialem & sensualem.* Undè S. Chrysostomus *tract. 66. in cit. locum Joannis: Amat animam in hoc mundo, qui desideria ejus inconvenientia facit: odit autem, qui non cedit ei noxia concupiscenti.*

Tertiò docet S. Bernardus *tract. ad fratres de monte Dei*, carnem nostram esse à nobis habendam & tractandam perindè ac ægrotum aliquem curæ nostræ concreditum: sicut enim tali negamus, quod ipsi noxium est, etiamsi enixè & instanter petat; econtrà quod ipsi utile est, invito etiam & reluctanti ingerimus: Ita carni nostræ noxia appetenti denegare ea debemus, & obsistere; ejusque concupiscentias, desideria; appetentias castigare. Quæ vero ad perfectionem, & vitam æternam consequendam conducunt, reluctanti etiam & obstrepenti sunt aggerenda, & imperanda Hoc enim est corporis nostri rem et negotium nobis à Deo commissum utiliter gerere.

§. 14.

Medium septimum ad puritatem & teneritudinem conscientiæ obtinendam est custodia visûs & oculorum.

87. NOtissimum est illud Philosophorum dogma: *Nihil est in intellectu, quod non fuerit priùs in aliquo sensu;* sivè nihil cognoscit intellectus noster modo ordinario & naturali, cujus non priùs species per sensum aliquem externum introierint, & transmissæ sint ad sensum internum materialem; ad quarum similitudinem posteà intellectus format species & imagines spirituales, idem objectum repræsentantes. Undè patet, quantâ sollicitudine & circumspectione custodiendi sint quinque sensus externi, *Visus, Auditus, Gustus, Tactus, & Odoratus.* Quia *per quinq; sensus quasi per quosdam fenestras vitiorum ad animam introitus est. Non potest ante Metropolis & arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. Horum sensuum perturbationibus anima prægravatur, & capitur, Aspectu, Auditu, Odoratu, Sapore, Tactu;* ut inquit S. Hieronymus *lib. 2. contra Jovinian. c. 7.* De hac custodiâ sensuum externorum intelligitur illud. *Proverb. 4. Omni custodiâ serva cor tuum.* Non enim sufficienter & omni custodiâ cor servatur, quamdiu portæ & aditus ad cor non custodiuntur: sicut ait S. Gregorius *lib. 21. moralium. cap. 2. Nobis ad custodiendam cordis munditiam exteriorum quoq; sensuum disciplina*

na

na servanda est. Et S. Basilius *in Reg. fus. interrogat. 6. Illud evitandum, nè oculis auribusvè instigationes ad peccatum admittamus; nevè earum rerum, quas vel viderimus, vel audiverimus, impressæ pestilentes in animis nostris formæ ac veluti notæ quædam insideant.* Item *lib. de verâ virginitate. Obstruendus est primus per sensus satelliti carnis ingressus; sensusq; ipsi ut januæ, ac fenestræ cordis, seris ac vectibus undiq; firmandi atq; muniendi, nè per aliquem illorum, versutus ascendens, mortem, quæ contubernalis eius est, secum unà introducat: mors enim, inquit, ascendit per fenestras; reverà enim sensus fenestræ animæ sunt.*

98. Ac imprimis custodiendus & cohibendus est *visus*; sicut monet idem S. Doctor *citato libro de verâ Virginit.* dicens: *Non oculorum acies ad omnia passim inspicienda visibilia pandenda est: nè omnem quoq; figurarum atq; formarum speciem sine discretionis examine hauriens; ad earum posteà turbetur imagines.* Et S. Ephrem *de vitâ spirit. Cum è cellulâ tuâ negotii cujuspiam, aut conveniendi alicujus gratiâ discedis; oculos tuos muni, & animum piis cogitationibus institue, sic illum alloquens: egressus es, non tanquam pictor, ut hominum formas effingas, atq; exprimas.* Maxima autem cautio est adhibenda, nè oculi jaciantur in rem aliquam, quæ castitati periculum creare, & phantasmatibus impuris occasionem quovis modo præbere possit. Atque hinc avertendus est visus imprimis *à fœminis & personis alterius sexûs*: oculi enim sunt princi-

pium amoris, & turpis cupiditatis, juxta Platonem. *Sineſcis, oculi ſunt in amore duces;* canit Poeta. Quia Rex David à longè etiam vidit mulierem ſe lavantem, incidit in adulterium 2. *Reg.* 11. *De longè vidit illam, in quâ captus eſt: mulier longè; libido propè*; inquit S. Auguſtinus *in Pſalm.* 50. Uxor Putipharis *injecit oculos ſuos in Joſeph, qui erat pulchrâ facie, & decorus aſpectu.* Propter quod non ſolùm ipſa graviſſimum ſcelus in mente concepit; verùm etiam caſtiſſimum juvenem ad idem patrandum ſollicitavit. *Geneſ.* 39. De Judith viduâ & matronâ ſanctiſſimâ, legitur *cap.* 8. quod fuerit tantæ continentiæ, ut non eſſet etiam ex malevolis, *qui loqueretur de illâ verbum malum. Quoniam timebat Deum valdè.* Nihilominùs quia Holofernes conjecerat oculos ſuos in illam ante ſe ſtantem, *cor* ejus *concuſſum eſt; erat enim ardens in concupiſcentia ejus.* Undè poſt caput ipſius amputatum canit Judith. c. 16. *Non cecidit potens à juvenibus; nec filii Titan percuſſerunt eum; nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi: Sed Judith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſolvit eum; Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus; pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus.* Similiter de duobus ſenibus (ne quis putaret, in ſolis juvenibus eſſe hoc periculum) & Judicibus populi teſtatur Scriptura *Daniel.* 13. Quod propter curioſum caſtiſſimæ Suſannæ aſpectum *exarſerunt in concupiſcentiam ejus;* Quia ſcilicet *videbant eam quotidiè ingredientem, & deambulantem.* In quem Scripturæ locum Cornelius

a La-

à Lapide ait, se ex fœmina quâdam audivisse, quod viri Religiosi summo studio carere sibi debeant à mulierum congressu & aspectu; nullum enim esse virum tam sanctum, quem ipsa pervertere & in quamcunque partem vellet, inclinare non confidat, si is tantùm per quadrantem horæ cum ipsâ colloquatur, & aliquoties aspectum suum in ipsius oculos defigat. Meritò igitur Poeta exclamat:

O oculi, scopuli potiùs, Syrtesque vocandi!
Heu quibus allisæ tot periêre rates!

Meritò etiam Sanctus vir Job *pepigit fœdus cum oculis suis, ut nè cogitaret quidem de virgine. Visum* enim *sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio*; ut inquit *in dictum locum Jobi* glossa. Et S Orientius Episcopus *tom. 5. part. 3. Biblioth. SS. Patrum:*

Congressus præstat visum: mox lumina visu
Concipiunt flammas; parturiuntque nefas.
Ergò puellares formas, vultusque decentes
Aut verso, aut merso despicies capite.

Ea siquidem est phantasiæ & intellectus nostri cum oculis & potentiâ visivâ conjunctio seu vicinitas, ut hæc statim quod accepit & hausit, illis duabus potentiis internis transmittat, & communicet, sivè bonum, sivè malum. Potentiæ verò internæ imagines & species rerum visarum non tam facilè iterùm deponunt, sed eas pertinaciter retinent, ac in penu memoriæ recondunt; ut datâ occasione eas promere exindè possint. Undè S. Basilius *serm. de Abdicat. Cave, curiosus sis; neq; ita videre omnia volueris: nè exeâ visione posteà in animum libidinum sanies redundet.* Et *lib. de verâ Virginit. jactis luminum radiis* homo *veluti quibusdam incorporeis manibus, quæcunq; voluerit, eminus tangit; & quæ corporeis manibus attingere in potestate non habet, ea oculorum jactibus complectens, per eas, quas impressit animo, formas corpus omne ad invectas imagines voluptatis æstibus jactat. Nam cùm haustæ luminibus formæ obtutus defixerit, atque in animâ voluptate mollitâ ceræ adinstar, conspectæ speciei imagines presserit, quamvis ille abeat, seorsimque sit, qui hujusmodi formas impressit, insignita animo conspecti species, quod suum est, semper operatur, animamq; imaginibus ludit. Nec sanè quicquam proderit, corpus servare incorruptum, cùm anima ad injectas sibi per aspectum corporalis amoris illecebras vitietur: Nam incorporeis manibus hunc jugiter, quem amat, amplectens, instum medullitùs animo secum semper & ubiq; circumfert; & quæ corporaliter exequi, nè deprehendatur, erubes-*

erubescit, ea perpetrare cogitatione non metuit. Si igitur aspectus adeò pernicioſi ignis materia efficitur; audiamus monentem Scripturam, ac dicentem: oculi tui recta videant, & palpebræ innuant juſta: Neq; te palpebræ rapiant; neq; capiaris oculis tuis. Quodſi tactus quidam eſt, oculorum ad corpora jactus; Sicuti cùm in eos, qui morbo tenentur, oculorum obtutus diutiùs figimus, morbi ipſius conſortes efficimur: ita profectò & cùm voluptatis indiciis injicimus oculos, animus voluptatis morbo fit ſaucius. Dux & prævius ac pronubus oculorum jactus eſt ejus, cujus manus miniſtræ ſunt tractus. Et S. Hieronymus Epiſt. ad Ruſtic. Monachum: *matrem ita vide, nè per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & taeium vivat pectore vulnus.* De Abbate Paulino ſcribit Caſſianus *collat. 7. c. 27.* Quod is tantâ ſollicitudine oculos ſuos cuſtodierit, ut nec veſtem muliebrem aſpicere voluerit. St. Theodorus verò Studita in teſtamento ſuo cavit, nè fratres jumentũ aliquod fœminei ſexûs monaſterio alerent: nè ſcilicet per illius aſpectum turpibus phantaſiis daretur occaſio.

99. Secundò cohibendus eſt *viſus* ab aſpectu puerorum & adoleſcentum tenerorum atque imberbium; ſicut monet S. Baſilius *ſerm. de Abdicat*, dicens: *Juvenis ſivè ætate, ſivè animo fueris æqualium tuorum conſuetudinem defugito. Quoties verò* talis aliquis *aut tecum loquitur, aut ex adverſo in conſpectu pſallit; dejecto in humum vultu, tu illi reſpondeto: nè fortè interim,*

dum in illius os defixis oculis contueris, ſuſcepto ab hoſte malorum ſatore libidinis ſemine corruptionis poſteà ac perditionis manipulos metas. Rationem dat Idem S. Doctor *ſerm. 2. de Inſtitut. Monachor.* quia *plerumq; in adoleſcentum corporibus, tametſi ſummoperè continentiâ macerare ſe ſtudeant, neſcio quomodò naturalis ætati illi colloris quaſi decor quidam efflorеſcit; in quem cui inſpexerint, ii libidinum plerumq; ſtimulis ſolent permoveri.*

100. Tertiò cavendus eſt aſpectus ſivè ſpectatio comœdiarum profanarum, chorearum, & imaginum minùs honeſtè & decenter pictarum, aut ſculptarum: in quibus dum artifices volunt exprimere ac ſpectatoribus oſtendere ſuam peritiam, plerumque oculis & animis intuentium ponunt offendiculum. Undè Innocentius Papa. IV. in Concilio Lugdunenſi Anno 1245. in Bullâ, quæ incipit *Sedis Apoſtolicæ*, Mandavit diſtrictè, *ut picturæ, quæ ſunt Religioni & honeſtati contrariæ, aut in ſe habent materiam vanitatis, in domibus Religioſi Ordinis nullatenùs habeantur; deletis penitùs illis, quæ fuerunt hactenus in eisdem.*

101. Quartò vitandus eſt pro poſſibili omnis aſpect°, non neceſſari° proprii corporis, non ſolùm quoad eas partes, quas pudor & honeſtas velari jubent, verùm etiam quoad cæteras, v. g. manus, pedes, faciem in ſpeculo &c. Paulatim enim hæc otioſa & curioſa ſui ipſius in partibus honeſtis contemplatio viam aperit, & cogitationes ſuggerit ad ſpectanda ac perpetranda, quæ honeſtas prohibet.

15. *Me-*

§. 15.

Medium octavum ad obtinendam conscientiæ puritatem & teneritudinem est mortificatio & custodia Auditûs.

102. DE hac monet scriptura *Eccli. 28. Sepi aures tuas spinis linguam nequam noli audire.* Et *Marci 4. Videte quid auditis.* omnis enim humanarum calamitatum & miseriarû origo adscribitur auditui malè custodito ; dicente Scripturâ *Genes. 3. Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno; maledicta terra in opere tuo &c.* Undè Petrus Chrysologus *serm 79.* Adam *cito cecidit, dum citò credidit: & dum facilè dat aures ad mulieris auditum ; se suosq; pessimo addixit inimico.* Et S. Ephrem *de linguæ morbo. Ingens est auris fenestra, per eam quippè mors in mundum egressa, cunctas gentes & Nationes devoravit, claustris igitur ac vectibus obstruendæ sunt aurium fores.* Tantus siquidem est aurium pruritus ad audienda maximè noxia , & Dei Ecclesiæque legibus prohibita; ut de his objectis illicitis verissimum sit illud *Eccli. 1. Non saturatur oculus visu ; nec auris auditu impletur.*

Debet autē auditꝰ cohiberi & adverti imprimis à turpiloquio, sivè à sermonibꝰ obscœnis, cantionibus amatoriis , jocis insulsis, illiberalibus & inhonestis; omniq; tum verborum tum instrumen-

torum sono, illecebroso, ac quoquo modo animũ inclinante ad carnalem affectum, & ad propositum Castitatis labefactandum. *Omni custodiâ servet cor suum*, inquit S. Basilius *lib. de verâ Virginit. Ut neq; per vocem profluens sermo auditorem demulceat ad voluptatis illecebram; neq; rursùs extrinsecùs in aurem ab alio invectus, ipsius cor ad concupiscentiam molliat.* Et S. Hieronymus *Epist. ad Demetriad. De servandâ Virginit. Scurrilitas atque lascivia te præsente non habeat locum. Nunquam verbum inhonestum audias; aut, si casù audieris, non inesceris: perditæ mentis homines uno frequenter leviq; sermone tentant claustra pudicitiæ.* S. Paulus *Ephes.* 5. ait: *fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis: aut turpitudo, stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Causam dat 1. *Corinth.* 15. quia *corrumpunt mores bonos colloquia mala*, dum per aurem influunt, & cor audientis inficiunt. Undè idem S. Hieronymus. *Epist. ad Gaudentium de Instit. Pacatulæ: Nullum impudicum verbum noverit; &, si fortè in tumultu familiæ discurrentis aliquid audiat, non intelligat.* Et *Epist. ad Lætam. De institut. filiæ: Surda sit ad Organa: tibia, lyra, cythara cur facta sint, nesciat. Placeat ei comes non compta, neq; formosa, neq; lasciva, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur; Sed gravis, pallens, &c. turpia verba non intelligat; cantica mundi ignoret.* &c. Epictetus etiam gentilis in Enchirid. c. 55. ait: *periculosum est, ad orationis obscœnitatem progredi. Cùm igitur*

tale

tale quidpiam inciderit, objurgabis eum, qui sermonem illum injecerit; aut taciturnitate saltem & rubore vultûs ostendes, eam orationem tibi displicuisse.

Præcipuè verò avertendus est Auditus â *sono vocis fœmineæ*, sivè â verbis, & cantu fœminarum, etiam non lascivo: Nam voci muliebri singularis à natura inest vis & occulta virtus attrahendi, emolliendi, & enervandi, captivandique animos virorum; Sicut docet S. Basilius *lib. de verâ Virginit. Multum habet illecebræ, multumq; roboris natura fœminea ad omne, quod sit masculini generis, contra se attrahendum. Blandimentum cupidineæ voluptatis est fœmina; & masculo lascivioribus oculis ad se inspiciendam, illecebram naturaliter suggerit; ac liquidiore voce ad oblectamentum auris, organi ad instar efficta est; membrorumq; insinuatâ mollitie, ac toto prorsùs corporis habitu & motu ad seductionem formata voluptatis: Non modò enim loquens mulier, & intuens, verùm etiam sedens quoq; & incedens ob insitam sibi naturaliter adversus masculum vim, hunc ad se eminùs attrahit, non secùs ac magnes lapis ferrum.* Propter quod sacra congregatio Regular. ordinavit & statuit, Sanctimonialibus non esse permittendum in Ecclesiâ cantum *figuratum*; sed tantùm *choralem & planum*; uti refert Piasecius *part. 2. prax. Episcop. c. 3.* Item in concilio Oecumenico VII. sancitum fuit, nè erigerentur *Monasteria dupla, in quibus viri & fœminæ tam propinqui sibi essent, ut invicem voces ipsorum audirentur.*

tur. Deniq̃ue in Synodo Antio[illegible]nâ decretum fuit, nè fœminæ in Eccleſiâ ca[illegible]nt cum viris; prout videre eſt apud Baroniu[illegible] *Anno Chriſti* 60. *n.* 25.

103. Alterum objectum, â quo Novitii debent avertere & cohibere Auditum, ſunt colloquia ſæcularia, ſivè ſermones de rebus ſæcularibus & in ſæculo viſis, auditis, aut geſtis; Item de patria, parentibus, conſanguineis, Amicis, domo paternâ, bonis temporalibus, conſodalibus &c. Quamvis enim hujusmodi objecta non ſint ex ſe mala, conſtat tamen experientiâ, quod ex ſermonibus circa tales res habitis cauſentur graviſſimæ tentationes in animis Novitiorum; ita ut non rarò illos pœniteat ſuſcepti propoſiti; Et de reditu ad parentes, amicos, ſodales, poſſeſſiones, voluptates, Honores, aut commoditates relictas deliberent. Undè Deus, cùm per Angelos vellet juſtum Loth educere cum ſuis è Sodoma, civitate peccatrice, præcepit ei: *Noli reſpicere poſt tergum.* Nè ſcilicet reſpiciendo ad urbem, recordaretur, quæ & quanta reliquiſſet in urbe, igne & flammis abſumenda, ac propterea turbaretur. *Geneſ.* 19. De populo in deſerto legitur *Numer.* 11. Quod ad delitias & epulas in Ægypto relictas iterùm anhelaverit: cauſam addunt ipſimet anhelantes; *recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones* &c. Periculum ergò eſt, Novitiis, qui nuper modò ſæculam reliquerunt, refricare memoriam, & renovare ſpecies earum

carum rerum vel personarum, quas in sæculo dilexerunt: quia posset talium memoria & recordatio illis cogitationes injicere, de Ægypto sivè sæculo repetendo, Propter quod si forsan imprudens hujusmodi sermo â quopiam institueretur de consanguineis vel aliis amicis & consodalibus in mundo relictis, aut de rebus vanis & sæcularibus quibuscunque; Novitius deberet Auditum avertere; & nequaquam talibus aures præbere. Dicit enim Deus ad Animam religiosim: *Audi filia, & vide, & inclina aurē tuam; & obliviscere populum tuum, & domum patris tui Psalm.* 43. Et *Luc.* 9. dicitur: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.*

104. Tertiò custodiendus est Auditus à detractionibus audiendis: Nam *non solùm ille reus est, qui falsum de alio profert; sed & is, qui citò aurem criminibus præbet*; ut inquit S. Isidorus *lib.* 3. *de summo Bono.* Et S. Bernardus *lib.* 2. *de consider at. Detrahere aut detrahentem audire, quod horum damnabilius sit, non facilè dixerim.* Undè S. Hieronymus *Epist. ad Nepotianum* monet: *cave, nè aut linguam aut aures habeas prurientes; id est, nè aut ipse aliis detrahas; aut alios audias detrahentes.*

Potest verò quis auditum suum variis modis cohibere & avertere, nè detractiones audiat. *Primus* est, si fugias & declines consortium aut Societatem illorum, quos novisti habere linguam

guam pronam ad aliis detrahendum, & malè de absentibus loquendum. Sicut monet Scriptura *Proverb. 24. Cum detractoribus nè commiscearis* Et *Eccl. 28. Sepi aures tuas spinis; linguam nequam noli audire. Susurro & biliguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Usus fuit hoc medio & modo Regius Psaltes; prout de se fatetur *Psalm. 100.* dicens: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Non habitabit in medio domûs meæ, qui loquitur iniqua. Secundus* est; si statim & quamprimùm, dum sermo detractorius incipitur, à detrahentis societate discedas, ac per tuum discessum ostendas, talem de alienis vitiis & defectibus discursum esse tibi ingratum, & displicere. Valdè enim per hoc confunditur detractor; & non tantùm pro hâc vice sermonem detractorium abrumpet; verùm etiam deinceps coram te detrahere erubescet. *Tertius* modus est, si detrahentem apertè moneas, & objurges, aut interpelles rogando, ut absentium vitam & mores non rodat; dicasque cum S. Chrysostomo *homil. 3. ad Populum. Habes aliquem, quem laudes & commendes? aures aperio, ut unguenta suscipiam. Si verò malè velis dicere; verbis ingressum obturo; non enim stercus & cœnum suscipere patior. Quod mihi lucrum, si didicero, quod ille improbus? maximum igitur nocumentum ex hoc, & extrema jactura. Loquere ad ipsum; curemus nostra &c.* Tenuit hunc modum S. Augustinus; qui in pariete juxta mensam suam scripsit hos versus:

Quis-

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam;
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Ita refert Possidius in ejus vitâ; ubi & addit, Sanctissimum Præsulem post inceptum à commensalibus detractorium sermonem quandoq; à mensâ surrexisse, & voce commotiori illis in faciem dixisse, aut delendos esse hos versus, aut cessandum à detractione. *Quartus* est, si detrahentem torvo & indignabundo vultu aspicias: nam *ventus Aquilo dissipat pluvias; & facies tristis linguam detrahentem. Proverb. 25.* In quæ verba Venerabilis Beda: *Si hilari vultu audieris detrahentem; tu illi das fomitem detrahendi: si verò tristi vultu hæc audias; discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.* Scilicet *per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis. Eccl. 7.* Undè S. Hieronymus *Epist. ad Nepotianum. Neq; verò illa est justa excusatio: referentibus aliis, injuriam facere non possum. Nemo enim invito Auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur. Discat detractor, dum te vidit non libenter audire, non facilè detrahere.*

Quintus modus est, si sermonem detractorium dextrè abscindas, & alium quendam honestum discursum subinferas; prout Religiosi aliqui viri assolent. Atque hæc media & practicæ salutares debent nobis esse tantò familiariores, quantò

quantò frequentiores occurrunt quotidiè occasiones incidendi in detractores : Nam *pauci admodùm sunt, qui huic vitio renuntient ; raroq; invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam ; tantaq; hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserint, in istud tamen quasi in extremum Diaboli laqueum incidant* ; ut inquit S. Hieronymus, aut potiùs S. Paulinus *Epist. ad Celantiam.*

§. 16.

Medium nonum ad obtinendam conscientiæ puritatem & teneritudinem est mortificatio Tactûs.

105. DE hoc sensu ait S. Basilius *lib. de verâ Virginit. Tactum ut sensuum omnium pernicioſissimum, & sævissimè blandientem sensusq; reliquos ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum & perturbationibus minimè pervium, semper quàm maximâ poterit curâ servabit amator* Castitatis : *Hic enim toto cùm sit diffusus corpore ; per omnem illius superficiem ad vitioſos contactus adversus animam sævè dominatur. Sicut cùm ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis aduſtiones excipimus ; impossibileq; est, eum, qui ignem tetigit manu, illæsam illam ab ejus incentivâ operatione servare : cæterùm aut bullæ repentè tactum consecutæ turgeſcunt, ac doloroſa per fervorem & inflammatio-*

mationem ulcera mox rumpenda minantur ; aut jam quoq; facta in manu acria visuntur ulcera: ita possibile non est, eum, quem ignis amor attigerit, ejusmodi tactum innocuum inviolatumq; perferre, sed aut simili ratione bullæ per tactum manûs cordi clam subrepunt, atq; intumescunt, diraq; amoris perturbationes ferventibus incontinentissimisq; agitationibus pariunt, ac peccati ulcera continuò rumpenda minantur ; aut animum totum in intimis jam graviter exulceratum indicant. Nec refert, quod contactus fiat in membris honestioribus v. g. in manu : Nam *in membris omnibus ignis hic ardet ;* adeoque *his, qui corpus adustione liberum servare instituunt, membrorum omnium contactus cautè vitandus est: nè ardentem ignis operationem in membro per tactum non in eâ solùm parte, quam tetigit, sed in toto corpore, atq; in animâ ipsâ suscipiant. Si enim dum caudam quis tantùm serpentis attingit, caput magnâ licet corporis prolixitate disjunctum ad caudæ tactum repentè convertitur; Et si digito pedis nostri impingente, capilli capitis mox in sublime feruntur : Et vitiosus profectò contactus, etiamsi manu tantùm fiat, à capite tamen usq; ad extremos ungues ad consensum voluptatis, pro ejus, qui tetigit, nutu, pertrahit corpus :* ut inquit idem S. Doctor ibidem.

106. Atq; hinc cavendus est imprimis contactus alterius corporis, præsertim fœminei sexûs. Quia *fœmineum corpus masculinum attingens, aut contrà masculum fœminæ, ad congressum mutuò latenter incitantur. Veluti*

stupa, si ignem odorata fuerit ; protinùs inflammata accenditur, neq; opus est ullo adminiculo, ullovè foris insufflante; Sed simul atq; illum attigit, mox in apertas flammas erumpit : ita & fœmineum corpus masculinum tangens, non multo labore, neq; inflammante ad concubitum amore opus habet ; Sed cùm naturali ad se invicem rapiantur ardore ; Simul ac se contingunt, scintillam voluptatis intrinsecùs fumantem sentiunt; Sicut idem Basilius ait loco citato. Undè prohibet Virgini, nè contingat manus fratris sui uterini ; eò quod talis contactus *possit sensum carnis ad sua molienda opera latenter excitare.* Refert Senex quidam in vitis Patrum *lib. 6. de conversat. opt. libello 3. num. 11.* Qualiter â tactibus manuum Virginis cujusdam Deo sacræ pervenerit ad lapsum carnis ; *jam consuetudo,* inquit, *facta est, ac fiducia major : postremò etiam tactus manuum, & risus : ad ultimum concepimus dolorem, & peperimus iniquitatem.*

107. Secundò cavendus est contactus inter homines etiam ejusdem sexûs maximè adolescentes. Scribit enim Joannes Cassianus *lib. 1. instit.. c* 16. Quod Regula S. Pachomii per Angelum tradita, manuum contactum sub gravi pœnâ prohibuerit ; ita ut si, Monachus tetigisset alterius Monachi manum, in Synaxi tam diu prostratus jacere debuerit, quoad Abbas eum surgere juberet. S. Ephrem *de vitâ Spirit.* ait: *membris alterius manum adhibe,* si necessarium fuerit; attamen *cum tremore ; non aliter ac si*

res

res sanctas attingas ; etenim verè sanctum est templum Domini. Nescitis, inquit, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Undè addit : *Si charitatis officio fungens, oleo inungis ægrotantem, oculos & manus observa, nè illâ in re modestiæ terminos excedas.* Severior hac in re est S. Basilius; monet enim Religiosum Juvenem, ut nec vestes alterius contingat. *Quandocunq; assidendum est; aliquo semper ab eo intervallo assideto. Quandocunq; capiendi Somni causâ cubandum ; cave, nè vestimenta inter se mutuò sibi vestra propinquent ;* inquit S. Doctor *serm. de Abdicat.*

108. Tertiò cohibendus est tactus à contrectatione proprii corporis non necessariâ. Facillimus enim est transitus ad coinquinationē & immunditiam carnis ; ut inquit S. Joannes Climacus *grad. 15.* dicens : *Fit nonnunquam, ut ex solo tactu corpus inquinetur : nihil quippè sensu isto gravius, nihil periculosius. Est quippè in nobis mors quædam, ruinæ pernicies, quam in nobis ac nobiscum circumferimus in juventute maximè ; quam equidem Scripturæ tradere ausus non sum : continuit enim manus meas is, qui ait : Quæ in occulto à quibusdam fiunt, turpe est dicere, & scribere, & audire.* Quod occultæ immunditiæ vitium difficillimè corrigitur teste Cardinale Toleto *in Summâ lib. 500. 13.* ubi ait : illud esse *adeò universale, ut crediderim, maximam partem damnatorum hoc*

inſici peccato. Et eſt difficillimæ curationis : quia occaſio ſemper eſt cum homine. Propter quod ſancti & timorati viri magnam ſemper cautelam adhibuerunt, ut proprium corpus non niſi in neceſſitate contingerent, idque cum timore & tremore ; prout in vita S. Godefridi Ambianenſis Epiſcopi refert Surius ad diem 8. Menſis Novembris.

109. Porrò media ſenſum tactûs mortificandi alia ſunt extra-ordinaria, â viris ſanctis contra tentationes carnis extra-ordinarias uſurpata : extremis ſiquidem morbis & malis extrema adhibenda ſunt remedia. Sic de SS. Bernardo & Franciſco legimus, quod pruritum tactûs frigore brumali extinxerint, corpus ſuum volutando in nivibus. De S. Benedicto ſcribit D. Gregorius Papa in vitâ, quod titillationes carnis ſuppreſſerit laceratione, puncturis & vulneratione per ſpinas inflictâ. Fuerunt etiam, qui ferrearum catenarum & loricarum pondere ſenſum tactûs afflixerunt ; ſicut de S. Dominico loricato ſcribit B. Petrus Damianus *Epiſt. ad Blancam* ; Et de Jacobo Maronis diſcipulo, Agapeto, Stephano, & Auxentiano, aliisq; refert Theodoretus *in Philoth.* Qui propterea cataphracti milites Chriſti non immeritò potuerunt appellari. Verùm extraordinaria, ut dixi, ſunt hæc mortificandi tactûs media, & non niſi in caſibus planè extra-ordinariis de conſilio Patris ſpiritualis uſurpanda : nè per indiſcretum mortificationis zelum & exceſſum, dum vitia perſequi volumus, ipſum corpus noſtrum occidamus ; aut

ad

ad debitum Majestati divinæ servitium præstandum illud inutile reddamus. Sancti enim homines Spiritu Dei afflati multa fecerunt, quæ mirari debemus; non imitari; ut inquit Nebridius *in Antiquar. Epist.* 110. Communior & tolerabilior afligendi tactum modus est vestium asperitas, strati durities, & cilicii usus: De quo ait S. Hieronymus *Epist. ad Eustochium de Virginit. Horrebant sacco membra deformia.* Et quem S. Joannes Baptista adhibuit etiam *teste Matthæo. cap. 3. habebat* enim *vestimentum de pilis Camelorum.* Scilicet:

Contra luxuriem molles duraret ut artus;
Arceretque graves compuncto corpore somnos;

uti canit S. Paulinus. Qui etiam de S. Martino Turonensi Episcopo, & Monachorum Patre scribit *lib. 2. vitæ illius:*

Quin & contexto setis coopertus amictu,
Exesa assiduo compunxit acumine membra;
Ut tereret tenuem vestis nimis aspera pellem,
Et cutis extentis stimulis attacta paveret.

Optima verò mihi, & maximè accommodata viden-

videntur illa media mortificandi tactûs ſenſum, quæ in quolibet ſtatu Religionis per Regulam & conſtitutiones præſcribuntur, utpotè fini & perfectioni illius Statûs magis proportionata & congrua. Cujusmodi ſunt imprimis moleſtiæ, labores & afflictiones exercitiis & functionibus ſivè operibus ordinariis conjunctæ. Quas proindè corporis & carnis mortificationes ambabus ulnis amplecti, & cum vehementi Spiritûs alacritate debemus obire, præ aliis extra-ordinariis & aliundè mutuatis, ac contra vel præter morem noſtri Ordinis & Statûs aſſumptis. Neq; enim probandi ſunt illi, qui neſcio quam perfectionem ponunt in cruciatibus corporis in ſuâ vocatione inſolitis & peregrinis: econtrà verò ob difficultates, labores & moleſtias in Exercitiis ſui ſtatûs occurrentes murmurant, indignantur; aut ab illis ſe, ubi poſſunt, ſubtrahere & eximere ſolent.

§. 17.

Medium decimum ad obtinendam conſcientiæ puritatem & teneritudinem eſt mortificatio Guſtûs.

110. NEceſſitatem hujus medii indicant SS. Patres graviſſimis verbis. B. Vincentius *tract. de vita ſpirit.* ait: *Primò contra gulam inſiſtas: niſi enim contra hanc victoriam habeas, in vanum laboras in acquiſitione aliarum virtutum.* S. Nilus *Orat. 2. de luxur.* dicit: *Qui ventrem cibis explet, & ſe caſtè victurum profitetur, ei*

ei similis est, qui dicit, in stipulâ se flammæ impetum fræno cohibiturum. Quemadmodum enim furor ignis in stipulâ sæviens coërceri nequit: ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retineri nequit. Juxta S. Hieronymum *lib. 2. Contra Jovinian. Esus carnium & potus vini, ventrisq; saturitas seminarium libidinis est.* Quin & *si aquâ multâ corpus infundatur, majores phantasias generat, & largiora receptacula dæmonibus præbet;* ut inquit Evagrius B. Macarii discipulus *in vitis Patrum. lib. 1. c. 31.* Undè monebat Fratres, *ut, si qui studium gererent vel humiliandi corporis, vel phantasias ab eo dæmonum pellendi; nè in bibendâ aquâ largiore mensurâ uterentur.* S. Basilius *constit. Monast. c. 5.* ait: *venter in officio contineatur; siquidem ventris moderatio, animi perturbationum compressio est.* Et *lib. de verâ virginit. Ventre distento epulis, necesse est ea, quæ sub ipso sunt membra, ex humoris redundantiâ in profundo ferventis ad propria & naturalia officia moveri: quippè superior venter suppetit illis incentiva libidinis. Ante omnia igitur adversus gustum* amator Castitatis *totâ intentione pugnabit, fontesq; voluptatum ventris, & impudicitiæ fomitum indè manantium à principio Castitatis studio & ardore siccabit.* Item *serm. de Abdicat. Cave, nè adversarius similiatq; primum Parentem peccato circumveniat, circumventumq; quamprimùm de paradiso deliciarum expellat. Etenim præsentissimum hoc esse venenum ille intelligit. Ut enim fons aquæ, si in plures rivulos sit dissectus, vici-*

na rivulis loca omnia herbarum viriditate conveſtit, & quaſi pubeſcere facit: ſic vitium gulæ, ſi per cordis tui venas ſe effuderit, & diſtraxerit, indeq; permeans ſenſus tuos omnes irrigarit, ubi libidinum multarum in te ſylvam conſeverit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet. Etenim multos ego animadverti ſæpè, qui cùm alterius cujusvis generis vitiis laborarent, ad ſanitatem tamen redierint poſteà. Qui autem hoc morbo tenerentur, ut aut in occulto eſitare eos delectaret, aut ventris ingluvie duci ſe ſinerent, neminem ex omnibus vidi unquam, qui convaluerit. Si gulam in officio continueris, paradiſum habitabis: ſin minùs, hoc tibi perſuade, pabulum te mortis futurum. Deniqúe *in Regul. Jus. interrogat. 19. Immodicè ventrem diſtendere, & immoderatis epulis ſe onerare, præterquàm quod deteſtabilis atq; execratione dignum res eſt, cùm Dominus dixerit: væ qui ſaturi eſtis! corpus etiam ipſum ineptum prorsùs reddit ad labores, & proclive in ſomnos, & morbis magis expoſitum facit ac pervium.*

111. Medium primum frænandi ac moderandi guſtum eſt, ut quis ſtudeat ante omnia cognoſcere & explorare per frequentem ad ſe reflexionem, quæ cibi ac potûs *quantitas* ipſi ſit neceſſaria tùm ad vitam ſuam ſuſtentandam, & valetudinem conſervandam; tùm ad officia, functiones & labores in vocatione ritè obeundos. Neque enim in victu ſumendo quærenda eſt voluptas; ſed ſola & unica neceſſitas; uti docet S. Auguſtinus *lib. de moribus Eccleſ. c. 21.*

dicens

dicens: *Habet vir temperatus in rebus hujus vitæ Regulam, utroq; teſtamento firmatam; ut earum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ hujus atq; officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet, utentis modeſtiâ, non amantis affectu.* Et *lib. de conflict.* vitior. *c.* 21. *Nequaquàm in dapibus voluptas appetenda; ſed neceſſitati ſuccurrendum eſt.* Undè in Regula ait: *carnem veſtram domate jejuniis & abſtinentiâ eſcæ & potûs, quantum valetudo permittit.* S. Baſilius *in Regulâ. fuſ. interrogat.* 18. ait: *Illud neceſſariò ſtatuendum eſt; ad hoc, ut macereturcorpus, & in officio contineatur, iis, qui in pietatis curriculo decertant, continentiam apprimè neceſſariam eſſe; ut videlicet de iis, quæ viliora ſunt, & ad neceſſitatem ſolam parata, eatenùs ſumamus, quoad neceſſitati factum ſit ſatis; atq; in his ipſis ſaturitatis etiam malum declinemus; & ab his, quæ voluptuaria ſunt, penitùs nos abſtineamus.* Et *interrogat.* 19. *Neq; verò ſuavitate metiendus eſt finis cibi ſumendi; ſed neceſſario tantùm uſu ad vitæ conſervationem expeti debet, rejectâ voluptatis libidine; quando voluptatibus ſervire nihil eſt aliud, quàm ventrem Deum ſuum efficere. Neq; enim cohæret hoc, ut cùm tuendi corporis causâ eſcas aſſumamus, per eas ipſas ei impedimento ſimus, quominùs præcepta Dei exequi poſſimus.*

Dixi, explorandum eſſe, *quæ ciborum vel potûs quantitas ſit neceſſaria*: nam indiſcreta & nimia guſtûs mortificatio per ſubtractionem neceſſarii victûs, non ſolùm reprobatur ut no-

xia valetudini corporis ; sed etiam ut inimica profectui spirituali. *Tantum tibi jejuniorum impone modum, quantum ferre potes* ; inquit S. Hieronymus *Epist. ad Nepotian.* Et *ad Demetriad. Neq; verò immoderata tibi imperamus jejunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata frangantur, & antè ægrotare incipiant, quàm sanctæ conversationis jacere fundamenta.* Item *Epist. ad Rustic. Monachum. Jejunia moderata sint; nè nimia debilitent stomachum, & majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus & temperatus cibus & carni & animæ utilis est.* Et *Epist. ad Lætam de institut. filiæ : sic comedat, ut semper esuriat. Displicent mihi longa & immoderata jejunia: experientiâ didici, asellum in viâ, cùm lassus fuerit, diverticula quærere.* Deniqúe *Epist. ad Furiam de viduitate servandâ : parcus cibus & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur ; & multò melius est, quotidiè parùm, quàm rarò satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram: subitus & nimius imber in præceps arva subvertit.* De B. Marciano Monacho scribit Theodoretus *lib. 4. histor. c. 26. Statuerat comedere quotidiè ; nunquam autem satiari ; sed semper esurire ; corpori autem ea exhibere, quæ ad vivendum sufficiunt. Dicebat enim, quod qui post multorum dierum inediam capit cibum, in diebus quidem inediæ Officia Dominica exequitur imbecillius : quo autem die rursùs capit cibum, (ut consentaneum est) exhibens, ven-*

ventrem onerat; is autem gravatus tardiorem reddit animam ad vigilandum. Dicebat, esse melius, vesci quidem quotidiè; nunquàm autem expetere satietatem: verum enim jejunium est perpetua indigentia. Idem tradit S. Basilius *serm. 1. de Instit. Monachor.* dicens: *continentiæ hic modus optimus, hæc inquam Regula erit, si corpus neq; diffluat delitiis, neq; maceratione nimiâ atteratur; illudq; in utramq; partem teneatur, ut nè quid nimis: nè videlicet animus, si carnium obesitate gravetur, variis perturbationibus reddatur obnoxius: neq; si item contrà planè morbosus fuerit effectus, Dei mandata exequi non possit. Quandoquidem par utrimq; animo detrimentum solitum est usu-venire; & cùm corpus ex bonâ habitudine luxurians, quodammodò animi imperium detrectat, & ad pravas cupiditates præceps, se cum impetu fert in indecoros motus; & cum idem languidum ac dissolutum, & doloribus oppressum, movere loco non potest: Neq; enim in ejusmodi corporis constitutione liberè se animus ad rerum altiorum contemplationem potest erigere; sed necessariò ipso oppressus doloris sensu impeditus tenetur, fitq; divexior, & velut in humum acclinis per corporis afflictionem.* Et in *Regulâ fus. interrogat. 16. Castigatio corporis, & in servitutem redactio nullâ re tantoperè efficitur, quàm continentiâ. Siquidem fervor ille, qui vigere in Juvenibus solet, itemq; difficilis ille ad coercendum ad libidines impetus continentiâ veluti quodam fræno cohibetur. Continentiam autem appellamus, non si quis à cibo penitùs abstineat;*

ſtineat; quando hoc violenta quædam vitæ diſſolutio eſt; ſed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis causâ, pietatis ergò de induſtriâ ſequimur, rerum voluptatem titillantium abſtinentiam. Item *conſtit. Monaſt. c. 5. Si hoc poſſet impetrari, ut cùm in perpetuâ inediâ corpus teneremus, ipſius nihilominùs integrâ operâ ad munera ſua obeunda uti poſſemus utiq; hoc eſſet optimum: verùm quoniam rariſſima ea inveniuntur corpora, quæ in iſtiusmodi victûs ratione non concidant; Et adhibitâ moderatione jejunandum eſt; Et corpori neceſſarium maximè ſubſidium tribuendum.*

Neceſſitas igitur in omnibus, quæ ad corporis curam ſpectant, ſemper eſt attendenda à quolibet Chriſtiano, maximè verò ab homine Religioſo; ita ut parcus rerum temporalium uſus eum diſtinguat, ab aliis: Sicut ait S. Baſilus *in Regul. fus. interrogat.* 17. *Continentia, in quo eſt, eum vel primo aſpectu tantùm notum facit: ut enim optimus corporis habitus & coloris bonitas pugilem à cæteris diſtinguit: ſic Chriſtianum à cæteris macileantia corporis pallorq; defloreſcens, qui continentiæ veluti adjunctus eſt comes, indicio eſt, eum Chriſti mandatorum verè pugilem eſſe. Quantum enim vel in ſolo continentis alicujus aſpectu lucri eſt, videre illum videlicet parcè tenuiterq; res etiam neceſſarias attingentem, agreq; naturæ miniſterium perindè ac tributum moleſtiæ & angoris plenum pendentem, temporisq;, quod in hoc conſumitur, moram*

ram animo iniquo ferentem, celerrimeq; à mensâ ad obeunda munera sua resilientem.

112. Sed difficultas non minima est, discernere & determinare, quæ præcisè cibi potusque *quantitas* sit necessaria & sufficiens ad vitæ conservationem, rectamque munerum administrationem : & quæ econtra excedat. Nam teste S. Gregorio *lib. 1. c. 1. in 1. Reg. c. 21. Gulæ vitium tantò est fraudulentius, quantò est occultius : quia & quasi necessarium suggerit cibum corpori ; sed dum abundanter carnem reficit, luxuriæ gladium in mentem mergit.* Undè juxta monitum S. Basilii *constit. Monast. c. 5. Illud diligenter animadverti debet, nè per causam necessitatis corporis eò impingamus, ut voluptatibus serviamus : neq; enim in assumendis cibis dux habenda voluptas est, sed ratio, quæ necessitati ipsa modum prudenter definiat.* Quæ autem sit illa quantitas, quam necessitas vitæ conservandæ, & recta gerendorum officiorum ratio exigit, determinari generaliter nequit; Sicut idem S. Doctor testatur *in Regul. fus. interrogat. 19.* dicens : *In cibis quemadmodùm alii aliis necessarii sunt, pro ætate videlicet cujusq; ac studiis, iiq; ad corporis habitudinem distincti : ita quoq; diversa sunt usus illorum ; modus, ratioq; ; quò fit, ut nequaquàm omnes uni & eidem regulæ subjici possint.* Et *constitut. Monast. c. 5. Continens ventris moderatio ea præstantissima judicanda est, quam vires corporis cujusq; definiunt. Siquidem inventi nonnulli sunt, qui in rebus gravissimi laboris perferendis nihil omninò grave per-*

pertuliſſe ſibi viſi ſunt; idq; propter vegetam, ac præduram, quæ illorum corporibus ineſſet, harmonicam temperaturam ac robur eximium, Verùm quod hi tolerare facilè potuerunt, aliis cauſa fuit, cur periclitarentur; quandoquidē mea nonunquam in diverſis corporibus diſſimilitudo reperitur, quæ inter æs, ferrumvè, ac arentia ſivè ſarmentitia ligna. Quamobrem iſta amplectenda à nobis continentia eſt, ut eam cum viribus corporis commetiamur: nè, cùm propterea, quod in continentiæ cultu ſervatus modus non ſit, corpus enervaverimus, inertes deinceps & ad res gerendas inutiles exiſtamus.

Nihilominùs S. Vincentius *tract. de vitâ ſpirit.* Conatur ſtatuere Regulam aliquam magis particularem, videlicet iſtam: *Poteris experiri, quantum natura requirit, vel quid ſit illi ſuperfluum: Si poſt refectionem inveneris te gravatum, ut orare, ſcribere, vel legere neqeas; communiter hoc accidit propter exceſſum. Igitur ſic comede, ut poſt comeſtionem ſis paratus ſcribere, legere, vel orare. Non tamen neceſſe eſt, ut illâ horâ poſt menſam ſis ita paratus, ſicut in aliis horis.* Inſinuat eandem quoque doctrinam S. Hieronymus *Epiſt. ad Lætam de inſtit. filiæ*, dicens; *ſic comedat, ut ſemper eſuriat; ut ſtatim poſt cibum poſſit legere, orare, & pſallere.* Item *Epiſt. ad Euſtochium. Nobis ſollicitiùs providendum eſt, ut ſolemnem diem non tam ciborum abundantiâ, quàm ſpiritùs exultatione celebremus: quia valdè abſurdum eſt, nimiâ ſaturitate velle honorare martyrem, quem ſcis Deo placuiſſe*

jeju-

jejuniis. Ita semper comedendum est, ut cibum & oratio sequatur, & lectio. Eandem regulam confirmant Medici; prout apud diversos Authores est reperire.

113. Secundum medium frænándi gustum versatur circa *qualitatem* ciborum; ut videlicet non quæramus cibos pretiosos, raros, delicatos, lautè & opiparè præparatos; sed contenti simus victu communi, paupere, simplici, vulgari, & facilè parabili, minimeque sumptuoso. *Sit tibi victus simplex ac necessarius*; inquit S. Ephrem *de vitâ spirit.* Et *alibi de temperantiâ: In cibis temperantia servatur, cùm nec delicatas aut sumptuosas epulas requiris; nec præfinitum vescendi tempus aut horam antevertis; nec dapium pulchritudine aut varietate delectaris.* S. Basilius *in Regul. fus. interrogat.* 19. ait: *Eæ omninò nobis præferendæ epulæ sunt, quæ minori possunt negotio comparari. Quod in quâq; regione & haberi facilè potest, & vile est, & quo passim populus utitur, eo nobis est utendum.* Sanè si historias sacras veteris & novi Testamenti evolvamus, clarè perspiciemus, Deum, cujus *sunt omnes feræ Sylvarum, jumenta in montibus & boves, omniaq; volatilia cæli Psalm.* 49. nunquàm fidelibus servis suis & amicis apposuisse mensam lautam, & epulis delicatis instructam; sed pauperes, viles, ac vulgares illis cibos parâsse. Nam Prophetam suum Eliam refecit pane & aquâ 3 *Reg.* 19. Danieli Prophetæ in lacu leonum constituto misit pulmentum pro messoribus præparatum. Danielis

14. Quin-

Quinque millia virorum Christus in deserto pavit hordeaceo pane. *Joann. 6. Hinc delitiis* deditiintelligant, *quid magni illi viri* (Apostoli) *& admirabiles comederint; quàm vilis & modica eorum mensa fuerit*; inquit S. Chrysostomus homil: 14. in dictum locum. De abstinentiâ Christi ait Ecclesiasticæ Historiæ author Ludolphus. *part. 2 cap. 53. Nunquam legitur, Dominum comedisse carnes, nisi Agni Paschalis; quod tamen fecit in typo & figurâ.* De victu priscorum Monachorum ait Evagrius *lib. 1. Histor. c. 20. Mensa communis apponitur, non opiparis instructa delitiis, sed oleribus, & leguminibus.* De Monachis sui temporis scribit S. Hieronymus *Epist. 22. Vivitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur.* Et *Epist. 25. Olera* & legumina vocat *pastum Monachorum.* S. Basilius *Epist. 208.* De se & Monachis suis ait: *Facet apud nos coquorum ars; cultri eorum non rubent sanguine. Cibi apud nos optimi folia arborum cum parvo pane.* Theodoretus *serm. de charitate*, dicit: *caro, vinumq; Monachis propter nimium calorem, quem excitant, non sunt in usu.* Deniq; Adamus noster Præmonstratensis, qui vixit & scripsit post obitum S. Patris Nostri Norberti Anno trigesimo sexto, de abstinentiâ tunc in Ordine nostro receptâ & usitatâ sic testatur *serm. 3. De Ordine Canonicor. Quidam Canonici carnibus in Refectorio & foris in itinere vescuntur. Nos verò carnibus vescendi in Refectorio consuetudinem non habemus; nisi ex ægritudine debilitati, post ægritudinem reficiendi fuerimus.*

Non

Non tamen per hæc probare aut persuadere intendo, quod Homo Religiosus in victu debeat quærere singularitatem, & alios ac viliores, pauperiores, & magis vulgares minusque pretiosos cibos eligere vel exigere, quàm reliqui in conventu accipiant. Id enim damnat S. Basilius *in Constit. Monast. c.* 26. dicens: *Ciborum diversitatem nullo modo consectari Monachus debet; neq; prætextu continentiæ à solitis in communi usurpari escis discedere; siquidem hoc communis disciplinæ perversio, & scandalorum occasio est: Et væ illi, qui in pietatis cultorum conventum hujusmodi causas perturbationis attulerit.* Solum igitur hoc ostendere volui, quod Religiosus non debeat murmurare aut ægrè ferre, si apponantur ipsi vulgares, communes, pauperes, & viles cibi, qui forte palato ejus minùs arrideant; sed quod debeat esse contentus victu illo, qui fratribus in communi dispensatur, juxta illud Christi: *Manducate, quæ apponuntur vobis. Luc.* 10. De quo Franciscus Salesius *in Philoth. Parth.* 3. *c.* 23. *Magnâ in veneratione & honore habenda mihi videntur illa Redemptoris Nostri Jesu Christi ad discipulos suos verba, dicentis: Manducate, quæ apponuntur vobis. Majoris siquidem virtutis est, indiscriminatim comedere, quidquid tibi offertur, & eo, quo id tibi apponitur ordine, sivè id tuo sapiat palato, sivè desipiat, quàm semper, quod deterius est, seligere: licet enim hæc posterior agendi ratio videatur austerior; alia tamen plus continet resignationis.* Undè S. Bernardus

ſerm. 30. *in cantica* graviſſimè invehitur in illos Religioſos, qui contra cibos, qui in communi apponuntur, excipiunt & conqueruntur, dicentes; *Legumina ventoſa ſunt, caſeus gravat ſtomachum, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, piſces de ſtagno aut de aquâ lutosâ meæ penitùs complexioni non congruunt.* Subdit enim: *Quale eſt hoc, ut in totis fluviis, hortis, cellariisq; vix reperiri poſſit, quod comedas? putate, quæſo, Monachum eſſe, non Medicum; nec de complexione judicandum, ſed de profeſſione.*

Vult tamen S. Baſilius *lib. de verâ Virginit.* quod in iis cibis, qui non ſunt neceſſarii, ſed omitti poſſunt (cujusmodi ſunt v. g. fructus arborum, qui circa finem menſæ communiter inferuntur, magis propter voluptatem, quàm neceſſitatem) à ſtudioſo Caſtitatis diſcretio cauta ſit obſervanda; nè aſſumat & comedat tales, qui puritati corporis & animi ſint noxii. *Corporum ſtatus*, inquit, *& habitus, & ciborum qualitates ſolerter explorare convenit; ut valido quidem ac vegeto corpori, naturaliq; calore abundanti fræna immittamus; ac per inediam frigidioresq; cibos redundantiam illam caloris arceamus: nè vel lautioribus eſcis naturalem pinguedinem augentes, vel vini licentiore uſu fervorem inſitum magis magisq; ſuccendentes, ignem igni adjiciamus. Neq; verò ſola eſcarum quantitas ubiq; probè metienda; ſed & qualitas imprimis ſapienter diſcernenda eſt. Pro noxiis vitanda ſunt, quæ carnis receſſus*

cessus intimos pungunt, & pruritus titillationes & excitantia, corpora nostra perturbant, ac secretâ vi suâ inquietant. Porrò cibi noxii aut periculosi Castitati sunt omnes flatulenti, juxta Medicorum Scholam, qui scilicet flatus & ventos in corpore pariunt; cujusmodi sunt uvæ, pyra, poma, rapæ, &c.

114. Tertium medium mortificandi & frænandi gustum est, ut extra horam ordinariæ Refectionis consuetam, & præscriptam nihil cibi potûsvè sumamus, neque dictam horam manducando vel bibendo unquam præveniamus, nisi forsan necessitas aliter cogat. Quod priscos Monachos valdè sollicitè observâsse tradit Joannes Cassianus *lib. 4. Instit. c. 18.* dicens: *Summâ cautione servatur, nè extra mensam quidquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere præsumat; sic ut sacrilegium ducatur, si transiens per hortum, pomum decerpat, vel levet.*

Solet autem ordinariæ refectionis hora anteverti & perverti dupliciter: Primò per *publicam* comestionē aut potationem: quomodò videmus aliquibus in locis irrepsisse & inoleviſſe consuetudinem, sumendi quotidiè circa tempus vesperarum modicum haustum, quem vocant Vespertinum. De quâ consuetudine aut potiùs corruptelâ Nebridius in suo Antiquario. *Epist. 85.* ait: *Quàm benè horam bibitionis de nostris Statutis eliminavimus? sæpè quæritur in phlebotomiâ, undè sit tanta copia incocti sanguinis? in promptu causa est: non permittitur tempus concoctioni. Extra horam estur, & bibitur &c.* Easdem ex-

trahorarias comestiones & bibitiones severè prohibent Statuta Canonici Ordinis Præmonstratensis *Distinct. 1. cap. 12. n. 40.* his verbis: *Jentacula, merenda, & omnis extraoraria comestio atq; bibitio quàm strictissimè interdicuntur; & tam Visitatores quàm Prælati, nè hæc irrepant, diligenter advigilent.*

Secundò pervertitur tempus ordinariæ refectionis, per occultas, clandestinas, & furtivas comestiones aut potationes; dum quis vel ex Refectorio, vel ex horto, cellariâ &c. aliquid clam surripit, ut illud in occulto posteà comedat. De quo vitio S. Basilius ait: *serm. de Abdicat. Cave, nè clandestinæ esitationis peccatum incurras: etenim si in re parvâ supplantare te ille* (Diabolus) *poterit; sine dubio totâ te luctâ prostratum, vinculis posteà arctissimè constrictum tenebit. Etenim multos ego novi, multis variisq; sæpè passionibus curatos: unum autem furtivum comedonem gulonemq; ex omnibus sanatum esse, nunquam novi; sed aut è societate continentis vitæ abstracti in sæculo perierunt; aut inter continentes delitescere conantes, diabolo voluptuosè militârunt: Nam mendaces tales sunt, adjurandum pejerandumq; prompti, rebelles, pertinaces, clamosi, voratores, nugaces, delicati, queruloſi, exploratores, curiosi, lucifugi, omnis honestatis adversarii voluntarii; quiq; ut gulæ vitium occultent, in plurima mala devolvuntur.* Refert. Boverius *in Chronico Capucinor. ad Annum Christi, 1592.* Quod Venerabilis Pater Bartholomæus Cæsenas, Ordinis Superior, multos tyrones fur-

furtivæ comeſtionis vitio laborantes ex Ordine ejecerit. Cùm verò Patres aliqui pro uno adoleſcente quodam rogarent, ut propter talentorum ſuorum excellentiam retineretur; Chriſtus cum S. Franciſco de nocte Cæſenati apparens, juſſit, ut hunc quoque guloſum adoleſcentem ejiceret; eò quod vix poſſit fieri, ut, qui ſemel huic vitio addictus fuerit, denuò ab illo liberetur.

115. Quartum medium eſt, ut in cibos, dum inferuntur, non ſtatim oculos conjiciamus; nec in eos jam appoſitos ſtatim manibus involemus; neque etiam avidi ſimus, & nimis feſtini in comedendo: ſed appetitum noſtrum cohibentes à cibo appoſito, priùs cum Jobo ſuſpiremus, antequàm comedamus; omnemque cibum in fruſta minuta priùs diviſum, ſemper dentibus ita comminuamus, ut non niſi benè maſticatus, & commanſus in ſtomachum demittatur. Niſi enim cibus beneficio dentium ſufficienter comminuatur; difficillimè poſteà concoquitur in ſtomacho: mala autem concoctio & imperfecta digeſtio parit cruditates: ex quibus deindè periculum creatur Caſtitati: Nam teſte S. Hieronymo *Epiſt. ad Ruſtic. Monach. Cruditas parens libidinum eſt.* Ex parte corporis etiam innumera oriuntur morborum genera; juxta illud *Eccl.* 37. *Noli avidus eſſe in omni epulatione; & non effundas te ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas.* Undè quod ſenes edentuli tot morbis ſint obnoxii; non ultimâ cauſa eſt defectus ſufficientis maſticationis & commanſionis

nis ciborum, dentibus, quibus ipsi communiter carent, perficiendæ.

116. Quintum medium mortificandi gulam est, ut extra tempus Refectionis ordinariæ nunquam immoremur cogitationibus de cibo aut potu: multò minùs sermonem instituamus de ciborum sapore, præparatione &c. Hæc enim omnia gentes & mancipia carnis inquirunt, quorum Deus venter est. Virum autem Religiosum, qui paupertatem & continentiam professus est, summoperè dedecet, de cibo & potu miscere sermones; ostendere suum erga talem vel talem cibum affectum & appetitum; gloriari, & se jactare de ventris sui capacitate; jejunii Quadragesimalis tempore computare in colloquio dies vel hebdomadas, post quas rursùs carnibus licebit vesci &c. Talis enim satis indicat, plus se curare saginam corporis & ventris, quàm puritatem mentis; contra illud Apostoli *Rom.* 13. *Carnis curam nè feceritis.*

Pejores verò sunt, qui propter cibum aut potum murmurant, & conqueruntur; socii facti gulonum illorum, qui Man cœleste fastidientes murmurârunt contra Moysen *num.* 11. dicentes: *Anima nostra arida est; nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq, & cepæ, & allia.* Propter quod etiam timere debent hujusmodi murmuratores in Monasteriis, nè fiant socii illorum in pœnâ, quorum imitatores facti sunt

sunt in murmuris culpâ. Legitur autem in eodem capite, quod Deus quidem illis dederit carnes cothurnicum; sed *adhuc carnes erant in dentibus eorum; & eccè furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis; vocatusque est ille locus sepulchra concupiscentiæ.* Sanè frater ille in vitâ Joannis Houthonis Londonienſis Carthusiæ Prioris, qui murmuravit propter piſciculos in mensâ appoſitos, dicens, malle ſe bufones, quàm ejus generis piſciculos manducâſſe, ſatis durè & graviter luere debuit hoc ſuum murmur: Nam vix verba protulerat; & eccè Deus bufonum copiam ei immiſit; ut totum cellæ pavimentum replerent. Quocunque miſer ibat, bufones pediſſequos habebat; ita ut in mensâ ei aſſiderent, in ipſum diſcum inſilirent, in lecto ei conthorales eſſent. Duravitque hæc plaga in Fratris murmuratoris cellâ per integrum Menſem; in hortulo autem vicino per tres Menſes. Meritò igitur Statuta Canonici Ordinis Præmonſtratenſis. *Diſt. 3. c. 3, n. 16.* triduanum hujusmodi murmuratoribus decernunt jejunium in pane & aquâ: & ut *ab illo genere cibi vel potûs, ratione cujus murmuraverunt, quadraginta diebus abſtineant.*

§. 18.

Medium undecimum ad puritatem & teneritudinem conſcientiæ obtinendam eſt mortificatio Odoratûs

117. QUamvis circa ſenſum *Olfactûs* ſeu *Odoratûs* poſſit alicui videri, non eſſe tantum periculum peccandi mortaliter; niſi cùm quis ad finem mortaliter malum v. g ad captandos illicitos amores odoriferis unguentis ſe perliniret. Nihilominùs SS. Patres graviſſimis univerſim verbis & ſententiis perſtringunt morem Clericorum & Monachorum, qui benè coram aliis olere affectant, tanquam puritatis interioris & Caſtitatis inimicum. S. Ephrem unguentum vocat *rem fœmineam*. S. Clemens Alexandrinus *lib. 2. pædagog. c. 8.* ait; *ſtudium redolentiæ eſſe hamum inertiæ, procul attrahentem libidinis faces; Et ex hoc inani ſtudio à Sapientibus cognoſci homines libidinoſos.* In Concilio Oecumenico VII. Can. 16. jubentur puniri Epiſcopi illi, qui unguentis odoriferis utuntur. S. Cyrillus Hieroſol. *Catecheſi 12.* vult *exterminari à veſtibus ſuffimentum, voluptatis ineſcativum.* S. Chryſoſtomus. *homil. 4.* de Lazaro ait: *Miles es ſpiritualis: talis autem miles non oblinitur unguentis; nam iſta cura eſt meretriciis amoribus implicitorum, ac perditorum, ſcenicorum, mentisq; deploratæ hominum. Te verò non oportet olere unguentum, ſed ſpirare virtutem. Nihil immundius animâ, quoties corpus*

pus talem habet fragantiam: corporis enim ac veſtium fragrantia arguit, intùs latere animum graveolentem ac immundum. Quis enim præclarum aliquid aut bonæ frugis opinabitur de eo, qui ſpirat unguenta? verè Poeta:

Non benè ſemper olet, qui benè ſemper olet.

Et certè, ſi nihil mali aut periculi contineret hic unguentorum odoriferorum uſus; nihilominùs Religioſum virum, qui ſemper mortificationem Jeſu Chriſti in corpore & carne ſuâ circumferre deberet, parùm decet, imò ſummoperè dedecet hujusmodi vanitas: Neque in totâ Antiquitate Religiosâ reperire eſt olfactoriola, aut balſamothecas: quia omnes noſtri Majores timebant cenſuram S. Athanaſii *lib. de Virginit.* dicentis, eos adhuc conjunctos eſſe ſæculo, & pſeudo-Aſcetas appellandos, qui odoramentis gauderent.

§. 19.

Medium duodecimum ad puritatem & teneritudinem conſcientiæ obtinendam eſt cuſtodia Oris, & frænatio linguæ.

118. NEceſſitatem hujus medii indicat Scriptura *Proverb. 13. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* Et *Prov. 18.*

Mors & vita in manu linguæ. Item *Jacobi. 1. Sit omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum. Si quis autem putat, se Religiosum esse, non refrænans linguam, hujus vana est Religio. Et 1. Petri 3. Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo.* Lingua effrenis, & malè custodita nocet imprimis plurimùm ipsi loquenti in suâ famâ, honore, bonis temporalibus, atque etiam in corpore; ita ut sæpius à suis inimicis capiatur in verbis & sermonibus, confundatur, & gravia damna incurrat. Undè *Eccli. 20.* dicitur: *Cùm sapientiâ proferas responsum verum. Si est tibi intellectus, respondeproximo tuo: Sin autem; Sit manus tua super os tuum; nè capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. Honor & gloria in sermone sensati: lingua verò imprudentis subversio est ipsius. Est odibilis, qui procax est ad loquendum.* Et *Eccli. 28. Aurum tuum & argentum tuum confla, verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos, & attende, nè fortè labaris in linguâ, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi.* Maximè verò solet multiloquium & garrulitas confundere loquentem in eo, quod animum illius ostendat fatuum, imprudentem, & stolidum; Sicut ait Scriptura *Proverb. 11. Vir prudens tacebit. Proverb. 17. Stultus quoq; si tacuerit, sapiens reputabitur. Proverb. 18. Qui priùs respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Proverb. 29. Totum Spiritum suum pro-*

profert stultus. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correptio. Eccl. 5. In multis sermonibus invenitur stultitia. Eccl. 10. Stultus verba multiplicat. Eccl. 19. Est tacens: & ipse est prudens. Eccl. 20. Est tacens, qui invenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum. Eccl. 21. Homo sapiens tacebit usq; ad tempus: lascivus autem & imprudens non servabunt tempus. In ore fatuorum cor illorum; & in corde sapientum os illorum. Undè *Job. c. 13.* amicis suis loquacibus ait: *utinam taceretis; ut putaremini esse sapientes.*

Secundò multiloquium & dicacitas nocet ipsi loquenti etiam quoad animam, & in spiritu: quia homo in loquendo immoderatus, & garrulus lædit frequenter animam suam. *In multiloquio non deerit peccatum*, ait Scriptura *Proverb. 10.* Et *qui multis utitur verbis, lædet animam suam. Eccl. 20.* Econtrà *qui custodit os suum, custodit Animam suam. Proverb. 13.* Et *qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. Proverb. 21.* Undè Christus Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die Judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis; & ex verbis tuis condemnaberis.*

Tertiò lingua indomita & garrulitas nocet etiam plurimùm aliis hominibus, tùm præsentibus per convitia, maledicentiam, vaniloquia & turpiloquia: tùm absentibus per detractionem, susurrationem &c. Est enim lingua *inquietum malum,*

malum, plena veneno mortifero. In ipsâ benedicimus Deum Patrem; & in ipsâ maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Jacob. 3. Et Eccl. 28. *Lingua tertia multas commovit, & dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, & domot Magnatum effodit; virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit. Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Beatus, qui tectus est à linguâ nequàm.*

119. Porrò tutissimum contra hæc linguæ mala remedium est taciturnitas, & strictum oris silentium. Sicut indicat Scriptura *Eccl.* 19. *Est tacens; & ipse est prudens. Eccl.* 20. *Est tacens, qui invenitur sapiens. Homo sapiens tacebit usq; ad tempus. Eccl.* 5. *Sint pauci sermones tui.* Et *Proverb.* 11. *Vir prudens tacebit.* Idem passim docent SS. Patres D. Bernardus *de Ordine vitæ* ait: *tutius est tacere, quàm loqui.*

Quid opus est, ut properes periculum suscipere loquendo; cùm tacendo possis esse tutior? Quàm plures vidi loquendo incidisse peccatum; vix quemquam tacendo. Sapiens ergò est, qui novit tacere. Alliga sermonem tuum; nè luxuriet; nè lasciviat & in multiloquio peccata sibi colligat; sit restrictior, & ripis suis coerceatur: citò lutum colligit amnis exundans. S. Ephrem *de vitâ spirituali* monet: *silentium cole: â multis enim te sordibus liberabit. Silentium*

anima

animæ tuæ lucem tuetur ; nec ſplendorem ejus tenebris obrui ſinit. Et *de rectâ vitæ ratione: Silentium amplectamur; ut cor mundum ſervemus ; Et templum , quod nobis commiſſum eſt, à peccatorum corruptione integrum cuſtodiamus.* Et S. Baſilius *ſerm. de Abdicat. Sit tibi taciturnitas in ore; circumſpectio in corde.* Item in *Regul. fus. interrogat.* 13. *Niſi peculiaris cauſa aliqua vel ad ſalutem animæ, vel ad operis alicujus , quod tunc in manibus ſit , confectionem ſummè neceſſaria urgeat, tenendum aſſiduè usq; ſilentium eſt, exceptâ videlicet Pſalmorum modulatione.* Et *Epiſt. ad Chilonem. Diſcip. Sis taciturni ſilentii obſervans , ac requietus; non linguæ ad quidvis effutiendum incontinentis & exertæ. Ad lites & contentiones nè eſto propenſior. Concredita tibi arcana nè prodas unquam, aut evulges.* Ut verò non, tale quid facias; *Nè immodicus eſto in ſermone.* S. Auguſtinus *in Pſalm.* 88. Poſtquam varia linguæ mala retuliſſet, ſubdit: *contra hæc optimum remedium eſt ſilentium.* Et S. Laurentius Juſtinianus *lib. de diſciplina. c.* 15. Poſt graviſſima & multiplicia oris peccata recenſita ait: *Hæc omnia ſolâ taciturnitate vitantur.* Additque, *taciturnitatem eſſe benè loquendi principium.* Quod etiam confirmat S. Gregorius *homil.* 2. *in Ezechiel.* dicens: *Ille loqui veraciter novit, qui priùs benè tacere didicerit.* Juxta B. Petrum Damianum *Epiſt.* 130. ad Agnetem imperatricem, cuſtos juſtitiæ eſt ſilentium. Undè cùm S. Arſenius peteret à Deo modum & rationem

adipiſ-

adipiscendi salutem; Angelus eidem apparens ait: *si vis esse salvus, fuge, quiesce.* De Abbate Pambo refertur *in historiâ tripartitâ lib. 8. c. 1.* quod audiens illud *Psalm. 38. Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ:* responderit suo Magistro: *sat est; reliqua audiam, cum illud complevero.* Cumque post multum temporis reversus interrogaretur, cur tamdiu emansisset? respondit: *nondum id, quod didici, perfeceram.* Atque hinc illud assecutus est persilentium, ut in morte dixerit: *In hanc horam non me pœnitet alicujus verbi, quod dixerim*; ut testatur Palladius *in Lausiaca c. 10.* Rogatus olim Corilaus gentilis, cur Lycurgus Spartanis tam paucas leges dedisset, respondit, iis, qui tam parcè & parùm loquuntur, ut Spartani, vix ullis legibus opus esse. Scribit Alphonsus Rodericius *part. 2. tract. 2. c. 6.* virum quendam valdè Spiritualem, eruditum, & expertum dixisse, *ad totam domum Religiosam, imò & Religionem reformandã aliud non requiri, quàm quoad silentium illam reformare.* Propter quod Innocentius Papa III. cùm Monasticum & Canonicum Ordinem reformare vellet, inter alia expressè præcepit, ut *in Oratorio, Refectorio, & dormitorio continuum silentium observetur: In claustris quoq; certis horis & locis secundùm consuetudinem Monasterii laudabiliter observatã;* uti habetur *in c. cum ad Monasterium. 6. De Statu Monachorum & Canonicorum.* Et Innocentius Papa IV. *in Bulla Reformat. evulgata in Concilio Lugdunensi Anno 1245.* mandat, *ut silentium in locis & horis Statutis, ac laborum institutio Regula-*

gularis, & disciplina Capituli studiosâ diligentiâ observentur. Quam posteà constitutionem sub iisdem ferè terminis innovavit Alexander Papa IV. *Anno Domini* 1256. Similiter Patres Concilii Oxonienſis, quod celebratum fuit *Anno Christi* 1222. Jubent *tam à Monachis, quàm Canonicis Regularibus, & Monialibus silentium observari in temporibus & locis constitutis.* Et meritò præ cœteris urgetur silentium in Reformatione Statûs Religioſi: cùm omnes Religionum Inſtitutores illud ipſum tam ſeverè præceperint in primâ fundatione. Notat enim Dionyſius Carthuſianus *apud Rodericium ſuprà c. 4 n. 1.* quod omnes Religioſorum Ordinum fundatores inter reliquas obſervantias ſanciverint hanc de ſilentio tanquam principalem, idque tanto cum rigore, ut aliqui transgreſſores per publicam diſciplinam ſeu flagellationem ſtatuerint caſtigandos. De primis Patribus Dominicanis ſcribit Theodoricus in vitâ S. Dominici apud Surium: *pro ſervando ſilentio. quod Sacræ Religionis quoddam fundament eſt, ſevera quædam exercebatur cenſura, cura Religioſa, & ſtudium ingens. niſi enim grandis urgeret neceſſitas, aut ingens periculum immineret, nefas erat, ſilentium frangere.* De Monachis B. Dominici Loricati ſcribit Petrus Damianus in ejus vitâ: *Tenebant per totam hebdomadem diſtrictâ cenſurâ ſilentium; quod die Dominicâ poſt veſperum ſolventes, habebant loquendi invicem usq; ad completionis officium libertatem.* Quod ſacer Ordo Carthuſianorum adhuc in primo ſuo vigore

vigore persistat, una ex præcipuis causis est silentii rigidissima observatio, juxta illud tritum: *per tria: So, Si, Vi, Carthusia permanet in vi*, id est, per hæc tria, solitudinem, silentium, & visitationem permanet Carthusia in suo vigore. Hæc autem tam stricta silentii observatio introducta est à primis illius Ordinis Patribus per constitutionem, quæ publicam transgressoribus decernit flagellationem. Statuta Canonici Ordinis Præmonstratensis jam à primâ illius fundatione silentii fractionem mulctârunt per jejunium in pane & aquâ per integrum diem; uti testatur Adamus Præmonstratensis oculatus testis. Verbo: Silentium est *veluti Statûs Religiosi forma atq; substantia; non quia in illo situs est; sed quia sine illo penitùs ejus profectus evanescit & perit*; ut inquit Jacobus Alvaretz. *lib. 2. part. 2. Exèrcit. Spirit.* Ubi in Monasterio viget solicita silentii observatio, illud non immeritò Paradisum appellaveris, in quo cuncta sanctitatem & devotionem spirare videntur; ita ut sæculares talem locum ingressi, exclamare cum Jacobo cogantur: *verè Dominus est in loco isto! non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli*; ut inquit Alphonsus Rodericius *supra c. 6.*

120. Ad faciliorem verò silentii observantiam juvabit primò, si aures nostras diligenti curâ claudamus, & curiositatem nova cognoscendi vel audiendi compescamus. *Qui continere vult linguam; obstruat aures; nè multa audiat*; inquit Joannes Abbas *in prato Spirituali. c. 187.* Et Seneca *Epist. 105. Et quædam dulce-*

do

do sermonis, qui irrepit, & blanditur; & non aliter quàm ebrietas aut amor secreta producit: nemo quod audierit, tacebit. Secundò juvabit ad observationem silentii, si quis per aliquod tempus se planè cohibeat à loquendo, ac propterea contubernia garrulorum fugiat, & cubiculi secretum colat. *Discamus prius non loqui: ut posteà ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore*, ait S. Hieronymus in illud *Eccl. 3. Tempus loquendi, & tempus tacendi.* S. Gregorius Naziazenus *orat. de silentio Quadrag. Piorum virorum scriptis obtemperans, labia mea quasi pessulo quodam obdidi. Cujus facti mei si causam quæris; idcircò à sermone prorsùs abstineo, ut sermonibus meis moderari discam.* S. Basilius *in Reg. brevior. interrogat.* 208. dicit: Novitiis *necessarium esse perpetuum silentium; quousq; per illud & à vitio petulantiæ in dicendo sanentur; & in otio discere potuerint, quid, quando, & quomodò loqui oporteat.*

121. Secundum medium contra mala linguæ est, ut objectum colloquii nostri semper habeamus honestum, ædificatorium, & nulli sivè præsenti, sivè absenti noxium & pernicioſum; juxta illud Apostoli *Ephes. 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem; ut det gratiam audientibus.* Undè excludi debent à colloquio nostro imprimis sermones de rebus obscœnis, absurdis, & scurrilibus; sicut monet idem Apostolus *Ephes. 5. Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis; sicut decet Sanctos; aut turpitudo, aut stul-*

tiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Quò etiam ſpectant facetiæ ſeu joci illiberales, verba nugatoria &c. S. Baſilius *in Conſtit. Monaſt. c. 13. Vitandæ omnes omninò in ſermone facetiæ & ſcurrilis dicacitas. Siquidem fieri ſolet plerumq́, ut qui ſe ſe in rebus iſtiusmodi occupant, ii rectam rationem deſerant; quippè cùm ex eo illud fiat, ut animus ad ridicula diffundatur, & in tacitâ ſecum cogitatione gravitatis ſeveritatisq́ nervos omnes elidat. Quin accidit ſæpè numerò, ut iſtiusmodi contagio ſenſim proſerpens, poſtremò ad verborum turpitudinem, & abſurdam atq́ extremam obſcœnitatem delabatur.* Et *in admonit. ad filium Spirit. Nec in modum parvuli jocari velis aſſiduè: quia non convenit ei, qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Jocus remiſſam efficit animam & negligentem erga Dei præcepta. Non ergò te delectet puerilis jocus; non te ſolvant in riſum verba inania.* Item *in animadverſ. adverſus Canonicas delinquentes. Quæcunq́ ſcurrilitatem in ſermone adhibuerit, aut immodeſtum riſum, hebdomadam unam ſegregator.* Et *ſerm. 2. de inſtit. Monach. ſermo futilis, & quæ è familiaribus & mutuis congreſſionibus mentis importuna naſci ſolet diſtractio, prorsùs exterminantor. At ſi quid ad animarum ædificationem utile ſit, de hoc tantummodò ſermo habeatur.* Deniq́ue *ſerm. de Abdicat. futiles qui habeantur ſermones, tu magnoperè nè attendito; ſed ſi quæ ex divinis litteris ad ſalutem animæ pertinentia memorari audieris; tùm verò ad ea audienda doceto te intellectu & ſcientiâ præditum.*

ditum. Acerba gustatu tibi ea sunto, quæcunq; de mundanis rebus memorentur: contraq; favis mellus similia, quæ à pietatis colentibus viris narrentur. Scilicet *inter sæculares, nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis & Religiosi blasphemiæ. Consecrâsti os tuum Evangelio*, & laudi divinæ: talibus *nugis* illud *jam aperire illicitum; assuescere sacrilegium est*; ut inquit S. Bernardus *lib. 2. Consider. ad Eugenium.*

Deindè debent excludi à colloquiis nostris sermones *detractorii*, qui lædunt famam proximi absentis; *calumniatorii*, seu convitiatorii, qui tendunt in dehonorationem & injuriam proximi præsentis; *contentiosi*, qui disturbant charitatem; *susurratorii*, qui dissolvunt amicitias, & seminant discordias; *mordaces* & aculeati, qui subindè quidem proferuntur cum gratiâ, lepôre, & risu aliquorum adstantium; attamen illos, in quos dicuntur, summoperè pungunt, mordent, exacerbant, vel contristant, & occulto interiùs vulnere cruentant; adeoque tùm charitati tùm Justitiæ adversantur; ipsique colloquiorum fini & scopo, qui est animorum à rebus seriis & molestis relevatio, exhilaratio, & recreatio, directè contrariantur, si quidem per hujusmodi aculeata & mordacia dicteria animi eorum, qui tanguntur, non exhilarantur; sed exacerbantur, & ad bilem seu indignationem irritantur; aut contristantur; ita ut cum majori afflictione à colloquio discedant, quàm accesserint.

Præterea excludendi sunt à colloquiis nostris

sermones de objectis vanis, inutilibus, mundanis, & futilibus. De quibus S. Basilius *in Constit. Monast. c.* 12. *Verborum ea, opinor, utilitas erit, si aut de virtute disseratur; aut si ad rei alicujus, quæ facienda instat, urgeatq;, usum sermo accommodetur; aut etiam denique ad audientium ædificationem referatur. Qui autem in alio quovis genere sermones versantur, ij rejicitanquàm supervacanei ac inutiles debent.* Et S. Ephrem *de vitâ Spirit. Qui ad sæculi vitam propensi sunt, sermones spiritales audire contemnunt; & eos, qui de illis loquuntur, interpellant. Tu verò inutilibus sermonibus contemptis, in spiritualibus insiste; ut te Dei memoria nunquam deserat.* S. Bernardus *in Apolog. ad Guilielm. Abbatem* valdè deplorat morem & consuetudinem aliquorum Religiosorum sui ævi, qui in colloquiis suis non nisi vana & nugas tractabant: *O quantum*, ait, *distamus ab his, qui in diebus Antonii extitêre Monachi! siquidem illi, cùm se invicem per tempus ex charitate reviserent, tantâ aviditate abinvicem panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitùs obliti, diem plerumq; totum jejunis ventribus, sed non mentibus transigerent. Nobis autem convenientibus in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare: panem scilicet cœlestem nemo est, qui requirat, nemo qui tribuat; nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum.* Quapropter monet *in form. S. vitæ: Cùm loqueris; verba tua sint rara, vera, ponderosa, ac de Deo. Si sæcularis loquitur tecum,*

cum, ac vana proponit; quàm citissimè potes, succide sermonem; & transfer te ad ea, quæ Dei sunt: Nam qui de terrâ est, non mirum, si de terrâ loquatur: sed qui profitetur se esse cœlestem, loqui debet de cœlo, & circumcidere verba terrena.

122. Tertium medium contra linguæ mala est, ut semper, dum loquendi tempus est, antecedenter maturè expendamus *ipsam rem*, de quâ loqui volumus; *verba*, quibus eam exprimere; Et modum, quo eam proferre in medium volumus. Sicut monet S. Scriptura *Eccle. 5. Nè temerè quid loquaris; neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem.* Et *Eccli. 4. Noli citatus esse in linguâ tuâ.* Item *Eccli. 20, Cum sapientiâ proferas responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo tuo: sin autem: sit manus tua super os tuum; nè capiaris in verbo indisciplinato.* Et *Eccli. 28. Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram.* Deniqúe *Proverb. 13. Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Tradunt Physici, duas in linguâ principales reperiri venas; quarum una ad cor descendit; altera ad cerebrum ascendit: ut author Naturæ Deus nos admoneret, quod locuturi seu verbum aliquod prolaturi, debeamus, cum veritate præviâ consideratione, & plenâ rationis advertentiâ loqui, trutinantes prius & ponderantes apud nos ipsos, quid, qualiter coram quibus & an loco ac tempori convenienter loquamur. *Diu antè considera, quod loquendum est; & adhuc tacens provide: nè quid dixisse pœniteat. Verba tua*

ponderet cogitatio ; & linguæ officium animi libra dispenset ; inquit S. Hieronymus *Epist. ad Celantiam.* Communis etiam SS. Augustini, Bernardi, Bonaventuræ, & aliorum sententia est, quod omne verbum debeat priùs venire ad limam, quàm ad linguam : Et quod tam circumspecti ac parci debeamus esse in aperiendo ore ad loquendum ; quàm parcus & invitus solet esse avarus aliquis in aperiendâ crumenâ ad dandum. Item sicut homo studiosus sanitatis conservandæ & sobrietatis, nihil cibi per os in stomachum demittit, nisi benè mansum prius & dentibus minutim concisum ; ita nos verbum nullum emittamus ex ore & proferamus, nisi benè ruminatum & ex omni parte consideratum.

123. Quartum medium est, ut tempus aptum & opportunum ad loquendum adservemus. Est enim *tempus loquendi Eccle.* 3. Sæpè dicitur aliquid sine fructu, imò cum audientium damno & subversione; quia dicitur tempore non opportuno ; sicut videmus in ebriis, vehementer iratis, aut aliâ passione præoccupatis ; apud quos monita saluberrima frustrantur effectu & fine. Undè. *Proverb.* 25. dicitur : *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo* Et *Eccli.* 20. *Est tacens, sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit usq; ad tempus : lascivus autem & imprudens non servabunt tempus. Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo.* Item *Eccli.* 22. *Musica in luctu, importuna narratio.* Imprudens-

prudenter ergò & fatuè agunt, qui eo tempore, quo seria veniunt tractanda, proferunt ludicra & jocos; aut qui loquuntur & respondent antequàm alius suum sermonem finiverit, & mentis suæ conceptum sufficienter declaraverit; sicut dicitur *Proverb.* 18. *Qui priùs respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Et *Eccli.* 11. *Priusquàm audias, nè respondeas verbum: & in medio sermonum nè adijcias loqui.*

124. Quintum medium est, ut servemus in loquendo modum convenientem, v. g ut Religiosus loquatur voce submissâ; verbis paucis & parcis; verecundè; humiliter; non festinanter & linguâ præcipiti, sed cum moderatâ gravitate, vox non sit petulans, non affectata, *non fracta, nihil fœmineum sonans, sed formam quandam ac succum virilem reservans; non etiam agrestis, inurbana, rustica: uti enim molliculum aut infractum vocis sonum non probo; ita neq; agrestem & rusticum*; inquit S. Bernardus *lib. de Ordine vitæ.* Addit S. Bonaventura *in speculo disciplin. part. 4. c. 5.* Homini Religioso attendendum esse, ut inter loquendum nulli ridiculi oris gestus efformentur; labia indecorè non hient, aut comprimantur; nihil in oculis torvum appareat; sed facies loquentis sit serena, frons explicata, vultus hilaritatem spiret; nasus non corrugetur; caput in utramque partem non jactetur; nec manus suâ agitatione plus loquantur quàm linga; ex oculis nulla animi latentis signa colligantur; nihil etiam digi-

tis exprimatur ; *Homo* enim *Apostata & vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Proverb. 6. Et annuens oculis fabricat iniqua. Eccli. 27.* Verbo: tot observandæ sunt inter loquendum conditiones, Regulæ & circumstantiæ, ut meritò dixerit S. Jacobus *c. 1. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Et Alphonsus Rodericus *part. 2. De Exercit. Perfect. tract. c. 8. n. 10.* miraculi loco habendum esse censeat, si quis in loquendo non impringat. Propter quod Scriptura & SS. Patres *silentium* & *taciturnitatem* tantis encomiis extollunt, tanquam securissimum asylum & fortissimum propugnaculum contra universa lingua mala & incommoda; sine quo homo innumeris se exponit periculis: *ubi* enim *non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur*; inquit Albertus Magnus *lib. de Virtut. c. 31.* quia *sicut urbs patens, & absq. murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Proverb. 25.*

Caput II.

De secundo Novitiorum munere & officio.

125. Exprimit & describit hoc Propheta Regius *Psalm. 33.* & *Psalm. 36.* duobus hisce verbis: *fac bonum.* Et Isaias *c. 1. Discite benè facere.* Pluribus verò S. Paulus *Rom. 6. Exhibete vos Deo tanquàm ex mortuis viventes; &*

mem-

membra vestra arma justitiæ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Et *Ephes* 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ; & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ, & sanctificatione.* Item Christus *Joann.* 15. *Ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis.* Denique S. Petrus *Epist.* 2. *c.* 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Requirit ergò secundum hoc Novitiorum mûnus ab eis, ut reliquum vitæ, quod supereſt, cum omnibus viribus ac potentiis animæ ac corporis totû servitio Dei consecrent & impendant; *perfectumq;* ei famulatum exhibere satagant per opera vocationis suæ ordinaria, & quotidiana exercitia; ita quidem ut hæc obeant cum eâ saltem perfectione, quæ in Regulis & Statutis præscribitur; ac habitum seu promptitudinem & facilitatem prædicta opera sic perfectè obeundi acquirant; priusquàm ex Novitiatu ad professionem, & ad gradum seu statum *proficientium* transeant. Secundum enim hæc opera vocationis suæ ordinaria judicabuntur omnes Religiosi; *ut referat unusquisq;, pro ut* illa *gessit* & perfecit, sivè præmium, sivè pœnam. Quoniam verò prolixum nimis foret, omnia & singula opera quotidiana Religiosi Statûs pertractare; solùm hic aliqua, quæ Deum & proximum concernunt, ac tam Novitiis quàm Professis sunt communia & ordinaria, breviter perstringemus.

§. 1.

De Oratione.

126. AC quidem quàm frequens & familiaris Religioso debeat esse *Oratio*, declarat illius tùm utilitas, tùm necessitas. Est autem triplex potissimùm Orationis utilitas: prima consistit in eo, quod sit medium impetrandi à Deo omnia beneficia corporalia & spiritualia, quatenùs ad vitæ æternæ consecutionem nobis conducunt, dicit enim Christus Dei filius *Matth. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram; de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* Et *Luc. 11. Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit.* Item *Joann. 13. Quodcunq; petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis. Usq; modò non petiistis quidquam in Nomine meo: petite, & accipietis.* Quibus conformiter S. Jacobus Apostolus *in Canonicâ suâ* nos monet *c. 1.* dicens: *Si quis vestrûm indiget Sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.* Item *c. 5. Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Scilicet *unum indubitanter è duobus sperare possumus; quoniam aut dabit Deus, quod petimus per orationem, aut quod noverit nobis esse utilius;* ut inquit S. Bernardus. *lib. Meditat. c. 6.*

127. Secunda Orationis *utilitas* est, quod per eam

eam Animus abstrahatur à creaturis, & ad Deum bonorum omnium authorem ac datorem convertatur, eique adhærere consueſcat. *Ipsa Orationis intentio cor nostrum serenat & purgat*; ut inquit S. Augustinus *de Serm. Dom. in monte. c. 3. Capaciùsq; efficit ad excipienda Divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare lucem suam nobis, non visibilem, sed intelligibilem & spiritalem: sed nos non semper parati sumus accipere, cùm inclinamus in alia. Fit ergò in oratione conversio cordis ad Deum.* Propter quod Orationem aliqui definiunt, quod sit *ascensus* & elevatio *mentis ad Deum*; per quam vel bona petimus, vel mala deprecamur. Neque enim Oratio solùm respicit rem, quam vult impetrare; sed simul orantis animum convertit & dirigit ad Deum, cui honorem & cultum defert; qui est *actus virtutis Religionis, quæ nos Deo subjicientes; summamq; nostram indigentiam profitentes, Ipsum verò omnium bonorum principium & authorem contestantes, petimus ea, quæ nobis vel aliis necessaria, aut utilia sunt*; pro ut communiter loquuntur & docent Ascetici.

128. Tertia *utilitas* Orationis, maximè vocalis, & cum externâ corporis mortificatione v. g. genuflexione, jejunio, vigiliis &c. conjunctæ est, quod sit meritoria vitæ æternæ, & satisfactoria pro pœnis temporalibus. Numeratur enim Oratio à Raphaele Archangelo inter bona opera. *Tob.* 12. dum ait: *Bona est Oratio, cum*

cum jejunio & eleemosynâ. Tenet autem communis Theologorum sententia, quod omne opus bonum in Statu gratiæ, & ex charitate actuali erga Deum, ab homine viatore exercitû, sit impetratorium, meritorium, & satisfactorium: propter quod communissima confessariorum in Ecclesiâ Catholicâ praxis obtinuit, ut pœnitentibus injungatur Oratio in satisfactionem pro peccatis suis.

129. *Necessitatem* Orationis ad vitam Religiosè instituendam, tentationes superandas, & in proposito persistendum, significat passim Scriptura; dum variis in locis ad orationem nos tanquàm ad clypeum confugere jubet. Nam *Matth*, 26. ait Christus: *Orate, ut non intretis in tentationem.* Et *Luc.* 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* S. Paulus 1. *Thessal.* 5. clamat. *sine intermissione orate.* Et *Philip.* 4. *In omni oratione, & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Item *Ephes.* 6. Postquàm dixisset, non esse nobis colluctationem adversus carnem tantùm & sanguinem. sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum; subdit tandem: *Propterea armaturam Dei; ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Quæ sit autem hæc armatura Dei, explicat, dicens: *Per omnem orationem & observationem, orantes omni tempore in spiritu.* S. Petrus 1. *Epist. c. 4.* hortatur: *Vigilate in Orationibus &c.* ex quibus & similibus Scripturæ verbis Ecclesia Catholica colligit præceptum orandi, dum in Sacrificio Missæ Orationi Dominicæ

cæ præmittit hæc verba: *Præceptis salutaribus moniti & Divinâ instructione formati, audemus dicere Pater Noster &c.* Causam & necessitatis hujus rationem tradunt Patres Tridentini in suo Catechismo de Oratione, dicentes: *tam multis indigemus bonis & commodis ad animum & corpus tuendum necessariis, ut ad precationem confugere oporteat; tanquam ad unam omnium optimam & indigentiæ nostræ interpretem, & conciliatricem eorum, quibus egemus: nam cùm nihil cuiq. debeat Deus; reliquum profectò est, ut quæ nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit, ad id, quod optaremus, consequendum.*

Adde, quod nec Christo Dei Filio Pater cœlestis voluerit Bona aliqua dare, nisi petenti & oranti; prout Patres colligunt ex illo. *Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Propter quod in Evangelio reperimus, quod Christus frequentissimè oraverit. & in oratione pernoctaverit. *Luc. 6.* ut meritò proindè exclamet S. Ambrosius *lib. 5. comment. in Lucam. Species tibi datur, forma præscribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tuâ facere oportet, quando pro te Christus in Oratione pernoctat? Quid te facere convenit, cùm vis aliquod officium pietatis adoriri?*

130. Ut verò Oratio nostra sit efficax & impetratoria, quinque conditiones habeat, necesse est. Prima tenet se ex parte objecti, sivè rei petitæ, ut videlicet hæc bona sit, honesta, & justa,

justa, sivè talis, quæ Deo nos vel proximè vel remotè conjungat; neutiquàm verò nos ab eo sejungat, aut causam separationis & disjunctionis afferat: nè dicatur nobis illud *Matth.* 20. *Nescitis, quid petatis.* Et *Jacob.* 4. *Petitis, & non accipitis; eò quod malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Notant autem Patres Tridentini in suo Catechismo, quod Bona quædam possimus à Deo petere *simpliciter, absolutè, & sine conditione*; quando videlicet in se talia sunt, ut illis abuti non valeamus; cujusmodi est Visio beatifica & fruitio Dei, remissio peccatorum, gratia Dei, Timor Domini, augmentum Fidei, Spei & Charitatis; gloriæ Divinæ propagatio, Peccatorum & infidelium conversio &c. Alia verò bona, tum externa corporis, uti sanitas, robur, integritas membrorum & sensuum, agilitas, dexteritas &c. tùm interna animè, ut felicitas ingenii, memoriæ tenacitas, judicii maturitas, scientia &c. Item Bona fortunæ v. g. Possessiones agrorum, dignitas, & officium honoratum, favor & gratia Magnatum &c. quia frequentissimè præbent materiam peccato; non sunt petenda simpliciter & absolutè, sed eâ solùm conditione; *sic ad Dei gloriam & ad salutem nostram profutura sunt nobis.*

131. Porrò inter omnes Orationes, quas sancta frequentat Ecclesia, primatum obtinet *Oratio Dominica*; uti benè notavit Jodocus Clichtovæus. *Serm.* 1. *de Orat. Domin.* primo ob dignitatem Authoris; quia scilicet ab ipso

Dei

Dei filio composita fuit, sacroque ipsius ore deprompta, atque ideò Patri cœlesti gratissima existit. Undè Catechismus Tridentini Concilii eam nuncupat *Divinam formulam*, quæ *omnes necessariæ precationis numeros continet.* Secundò propter *succinctam brevitatem*; ratione cujus dicitur faciliùs, iteratur frequentiùs, & absque fastidio orantis persolvitur. Tertio propter universalitatem petitionum, quas continet: Omnia enim Bona, quæ à Deo licitè desiderari possunt, in septem illis petitionibus includuntur. Undè S. Augustinus *lib. ad Prob. de Orando Deo, ait: Si rectè & congruenter oramus, nihil aliud petere possumus, quàm quod in Oratione Dominica positum est. Si omnia Sanctorum precationum verba discurras, quantùm existimo, non invenies, quod ista Oratio Dominica non contineat.*

132. Secunda conditio tenet se ex parte *Orantis*, & est præparatio ante initium Orationis requisita; juxta illud *Eccli. 18. Ante orationem præpara animum tuam*; *Et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Consistit autem hæc præparatio potissimùm in tribus: primum est compunctio cordis sivè contritio perfecta, & dolor de peccatis ex motivo charitatis erga Deum elicitus; si fortè unius aut plurium peccatorum conscientiam habuerimus. Dicit enim Scriptura 1. *Joann. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; Et quidquid petierimus, accipiemus.* Alterum est, ut antecedenter animum nostrum maturè abstra-

strahamus & avocemus à negotiis, laboribus & sermonibus prophanis, sivè ludicris & jocularibus, sivè seriis: Nan seria negotia, quorum tractatio magnam attentionem requirit, valdè animum fatigant, infirmant, distrahunt, & dissipant: ludicra autem colloquia vigorem mentis debilitant & resolvunt, nec non intellectum variis & importunis imaginibus tanquam quibusdam præcedentium sermonum reliquiis adimplent, & inter orandum perturbant. Propter quod commune & tritum erat priscorum Patrum teste Cassiano *Collat.* 9. c. 2. effatum: *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus: ex præcedenti enim Statu mens atq; animus in supplicatione formantur.* Tertium est, ut antecedenter ad Orationem nos constituamus in præsentia Dei, per actum fidei supernaturalem nobis repræsentando Immensitatem Dei, in quo movemur, & sumus, magis quàm pisces in profundissimo mari; Nec non infinitam Dei Majestatem, Angelorum innumerabili multitudine stipatam; qui non cessant clamare jugiter & sine fine, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Omnipotens &c.* Talis enim ad Divinæ Majestatis præsentiam reflexio excitat in nobis timorem reverentialem, humilitatem, animi attentionem, & externam morum compositionem.

133. Tertia conditio est similiter ex parte Orantis, ipsa videlicet applicatio mentis, & attentio ad id, quod oramus: definitur enim

Oratio

Oratio à Patribus Tridentini Concilii in suo Catechismo, *quod sit mentis ascensus ad Deum*, & quædam cum Deo collocutio; *Sivè est petitio, quæ ad Deum effunditur*; ut inquit S. Basilius *homil. in mart. Julittam.* Undè necessariò requirit mentis applicationem attentionem, & ad Deum elevationem, juxta illud vulgatum: *Si cor non orat, invanum lingua laborat.* Adeoq; qui orationem profert absque animi attentione, similis est populo illi, de quo conqueritur Deus *Isaiæ* 29. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Propter quod S. Augustinus in Regulâ suâ hortatur: *Cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

134. Quarta conditio tenens se ex parte orantis est fiducia ad Deum, juxta illud monitum S. Apostoli Jacobi *c. 1. Postulet in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergò æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domno.* Consistit autem hæc fiducia in eo, ut certò ac firmiter nobis persuadeamus, Deum infallibiliter concessurum nobis, quæ petimus, si ea ad Nominis sui gloriam & nostram salutem fuerint. Quam spem & fiduciam firmam in nobis excitare, corroborare, & confirmare potest ac debet primò *Fidelitas Dei promittentis*; quia juxta Apostolum 2. *Timoth. 2. Ille fidelis permanet; negare se ipsum non potest.* Quod autem Deus nobis promiserit dare, quidquid ab eo petierimus, jam suprà ostensum est ex

Evangelio. Secundò eandem ſpem ac fiduciam in nobis confirmat *Bonitas* ſivè *Benigitas Dei*, multis jam modis hactenùs in nobis declarata & manifeſtata, maximè in beneficio Redemptionis, de quo *Roman.* 8. dicitur : *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit ; ſed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Et *Joann.*3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.*

Tertiò prædictam in orando fiduciam in nobis excitare & confirmare debet, quod ipſiſſimus Dei Filius ſit noſter apud Patrem cœleſtem Advocatus, qui per exhibitionem meritorum ſuorum nobis impetrat, quod ritè petimus, non ſolùm intercedendo, ſed etiam jus noſtrum ad auxilia ſupernaturalia per paſſionem, ſanguinem, & mortem nobis ab ipſo acquiſitum Patri cœleſti exponendo; quod propriè Advocati Officium eſt. Undè 1. *Joann.* 2. dicitur : *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum Juſtum.* Et *Roman.* 8. *Chriſtus Jeſus, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

135. Quinta conditio tenens ſe ex parte Orantis eſt *perſeverantia* in Oratione; ut ſcilicet non ſtatim recedamus præ puſillanimitate, quaſi Deus nolit exaudire preces noſtras; ſed multo etiam tempore in petitione unius ejusdemque rei conſtantes perſeveremus: *quoniam oportet ſemper orare*, ait Chriſtus, *& non deficere. Luc.* 118 Undè cùm parabolam ibidem adduxiſſet de Viduâ conſtanter & cum magnâ importunitate in-

instante coram Judice, ut illam de adversario vindicaret; ac tandem propter suam perseverantiam impetrante, quod volebat; subdit: *Audite, quid Judex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte?* & *Luc.* 11. Postquàm in parabolâ ostendisset, quomodò etiam homo homini, qui perseveraverit pulsans, mediâ nocte surgens tribuat, quod petit, propter constantiam ejus & perseverantiam in petendo; statim subjungit: *Et ego dico vobis: petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* S. Jacobus Apostolus etiam in suâ Canonicâ *c.* 5. ait: *Multum valet deprecatio Justi assidua*, jugis, constans, & perseverans; qualem scilicet ad Deum sine intermissione fundebant primi Christiani; de quibus dicitur *Actor. 2. Erant perseverantes in Orationibus.* Et *c.* 6. dicunt Apostoli: *Nos orationi instantes erimus.*

§. 2.
De Adoratione.

136. ALterum virtutis Religionis exercitium hominibus Religiosis frequentissimum ac familiarissimum est *Adoratio*; quæ definitur: *Actus virtutis Religionis, quo per convenientem aliquem corporis gestum protestamur nostram subjectionem erga Deum, veluti omnium creaturarum Dominum, ipsique Divinum honorem tribuimus.* Est enim Adoratio propriè dicta cultus latriæ, soli Deo debitus, & exhibendus; jux-

ca illud *Matth.* 4. *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Undè cum S. Joannes vellet Angelum adorare, hic prohibuit, dicens: *Vide, nè feceris : conservus tuus sum. Deum adora: Apocal.* 19. Quando igitur in Scripturis dicitur, quod Sanctis Angelis vel hominibus Adoratio quoque fuerit exhibita; tunc nomen *Adorationis* sumitur impropriè & latissimè, quatenus cultum Duliæ, vel etiam cultum politicum significat; sicut *Genes.* 23. dicitur: *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ.*

137. Solet autem Adoratio propriè dicta includere in se duo: primum est *interna, animi reverentia, affectio, & submissio erga Deum*; sine quâ exterior corporis gestus non tam Adoratio est dicendus, quàm simulatio : debet siquidem Adoratio fieri in spiritu & veritate; juxta illud *Joann.* 4. *Veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus; & eos, qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Alterum est *externa* submissionis & reverentiæ internæ *testificatio, per gestum aliquem corporis ad hoc accommodatum significata.* Quia enim *ex duplici naturâ compositi sumus, spirituali scilicet & corporali;* hinc convenit, *ut utriusq; generis operationibus protestemur, nos omnia Deo debere;* ut inquit S. Damascenus *lib.* 4. *de Fide c.* 13. Addit S. Augustinus *lib. de curâ pro mortuis c.* 5. per externum corporis gestum in Adoratione magis excitari, foveri, & augeri in nobis internum mentis affectum erga Deum. E-

jus

jus verba sunt: *Nescio, quo pacto, cùm hi motus corporis non possint nisi motu animi præcedente fieri, eisdem exteriùs visibiliter factis ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit.*

138. Porrò tres sunt externi corporis gestus, in Ecclesiâ Catholicâ usitatiores, quibus in adorando Deo utimur. Primus est *genuflexio*, *quâ* juxta D. Thomam *q. 84. a. 2. nostram infirmitatem designamus, in comparatione ad Deum*; ipsiusque excellentiam & supremam Majestatem profitemur. De quâ Adorationis specie sæpiùs fit mentio in Scriptura veteris & novi testamenti: nam *Danielis 6.* dicitur, quod Propheta *tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat. Rom. 14.* Inducit S. Paulus Deum apud Isaiam *c. 45.* dicentem: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* Et ipse de se scribit *Ephes. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi:* De Christo verò ait. *Philip. 2. Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in Nomine Jesu omne genu flectatur.* Secundus corporis gestus in Adoratione est *prostratio corporis in terram*; quâ juxta eundem S. Thomam suprà *profitemur, nos ex nobis nihil esse.* Cujus etiam meminit S. Scriptura: Nam *Tobiæ 12.* dicitur, quod Senior Tobias & Domestici ejus *ceciderunt super terram in faciem suam: & prostrati per horas tres benedixerunt Deum. Gens. 17.* Cùm Deus vel potius Angelus loco Dei appareret Abrahamo Patriar-

chæ, hic *cecidit pronus in faciem.* Quod etiam de se narrat Propheta Ezechiel. *c.* 43 & 44. Tertius gestus est *inclinatio corporis.* De quâ dicitur *Genes.* 24. *Inclinavit se homo, & adoravit Dominum.* Item 1. *Paralip.* 29. *Inclinaverunt se, & adoraverunt Deum.*

139. Denique occasiones exercendi prædictos corporis gestus in adorando Deo plures quotidiè occurrunt in Statu Religioso. Nam primò Deum sic adorare possumus, quandocunque sub officio Divino dicitur versus: *Gloria Patri &c.* aut in Psalmis vel hymnis fit mentio Adorationis Deo vero exhibendæ; veluti in Hymno Angelico: *Adoramus te.* In Symbolo Apostolorum: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur.* In Psalmis: *Venite Adoremus, & procidamus ante Deum &c. Adorent eum omnes Angeli ejus &c.*

Secundò Possumus exercere actum Adorationis, quotiescunque transimus ante Venerabile Sacramentum, vel imaginem Crucifixi. Item cùm Sanctissimum Sacramentum in Missâ elevatur, & ostenditur; vel è tabernaculo extractum populo adorandum proponitur; ad infirmum defertur &c. Verbo: quotiescunque in Missali & Rituali præscribitur inclinatio corporis, genuflexio, prostratio &c. tunc nobis offertur occasio exercendi actum Adorationis; dummodò tamen externo corporis gestui semper internus animi affectus, submissio, & reverentia conjungatur.

3. De

§. 3.
De Devotione.

140. TErtius virtutis Religionis actus in statu Religioso frequens & necessarius est *Devotio*; non tamen illa, quæ sumitur pro jucunditatis spiritualis sensu; utpotè quæ non est propriè ipsa devotio, sed effectus quidam devotionis, juxta Dei beneplacitum & inscrutabile judicium aliquibus concessus; aliis verò paria aut etiam majora merita habentibus subtractus; Neque etiam illa, quæ accipitur pro fervore spiritûs; Nam & hæc prompitudo sivè fervor non est actus Religionis distinctus & specialis; sed tantùm est circumstantia & conditio actuum aliorum. Propria igitur *Devotio*, ut est specialis actus Religionis, definitur, quod sit *Oblatio nostrum in obsequium Dei.* Sivè: Devotio est *actus voluntatis, quo quis totum se offert, tradit, dicat, & devovet cultui divino; ut promptè & alacriter exequatur omnia ad Dei servitium spectantia.* Dicitur enim Devotio *à Devovendo;* eò quod per illam nos & omnia nostra Deo ad obsequium & servitium ejus totaliter devoveamus & subjiciamus.

141. Necessitas hujus actûs in homine Religioso patet indè, quod is sit basis, ac fundamentum aliorum actuum virtutis Religionis; quo solo sublato prætermisso longuet & tepet, imò planè friget cultus divinus. Quod enim aliqui tardiùs nonunquam ad Dei sevitium, ad

quod evocantur, accedant; sub laudis Divinæ decantatione dormitent, oscitent, pandiculentur, voci ac firmis suis lateribꝰ parcant, labia vix moveant, verba solùm dimidiata proferant, aliena interim tractent, tædio afficiantur, ad Officii finem anhelent, sæpè ante illius finem recedant, aliquando etiam ob modicam difficultatem aliquam aut levioris momenti negotium planè non accedant; communiter & ordinariè provenit exindè, quod per actum *Devotionis* antecedenter ac prævie totos se quoad omnes corporis & animæ potentias Deo ad obsequium & servitutem illius non obtulerint; sed vel ex purâ consuetudine, vel ob respectum humanum, & ex timore pœnarum, accesserint ad Officium Divinum.

142. Porrò præter *necessitatem* movere nos debet ad Devotionis actum frequenter exercendum primò summa & infinita Excellentia, Perfectio, dignitas & Majestas Dei, propter quam infinitè dignus est, ab omnibus creaturis coli, adorari & laudari omni tempore ac sine fine, secundùm omnes illarum potentias & vires. Quo motivo familiariter usus fuit Regius Propheta ad Devotionem in se & in aliis excitandam ac conservandam; ut *Psalm. 47. Magnus Dominus & laudabilis nimis Psalm. 65. Jubilate Deo omnis terra. Psalmum dicite Nomini ejus; date gloriam laudi ejus. Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ. Omnis terra adoret te, & psallat tibi; Psalmum dicat Nomini tuo. Psalm. 94. Venite*

nite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei: Quoniam Deus Magnus Dominus, & Rex Magnus &c. Quæ Prophetæ verba idcircò etiam Catholica Ecclesiæ præmittere solet Officio Divino, quatenùs illius ministri per ea ad Devotionem concipiendam excitentur, & ad Laudes Deo alacriter decantandas animentur accendanturque. Secundò ad eandem Devotionem movere nos potest Exemplum Ecclesiæ triumphantis, in quâ perpetuus Beatorum jubilus est: *Alleluja! Salus & Gloria, & virtus Deo nostro. Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei. Apoc.* 19. Et: *Dignus es Domine, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Apoc.* 5. Propter quod Ecclesia Militans in Hymno Officii *de Dedicat.* canit: *Illa sedes cœlitum semper resultat laudibus Deumq; Trinum & unicum jugi canore prædicat: Illi canentes jungimur Almæ Sionis æmuli.*

143. Demùm occasio maximè opportuna exercendi Actum *Devotionis*, & se totum offerendi Deo ad Cultum & obsequium illius, est tempus illud, quod Officio Divino semper præmittitur, sivè quo in *stationibus* juxta Ordinis Nostri Statuta & consuetudinem congregamur. *In Stationibus*, inquiunt citata Statuta *Dist.* 1. *c.* 4. §. 3. *Ad devotè Deo psallendum Fratres mentem disponant; illud Sapientis adimplentes: ante ora-*

tionem præpara animam tuam. Quæ etiam causa est, quod eadem Statuta nos tantoperè urgeant, ut omnibus sepositis maturè ad Stationes accurramus. Nam *distinct. 1. c. 20. de culturâ Novitiorum. §. 10.* dicunt: *Ad Officium Divinum diu noctuq; peragendum magno fervore Spiritûs, & cum alacritate cordis tempestivè, & devotè accurrere consueścant.* Et *eâdem distinctione. c. 8. §. 10. Pulsu inchoato, relictis omnibus, quæ in manibus sunt, in loco Stationum omnes sine morâ conveniant.* Item §. 14. *ibidem. Sepositis omnibus primo pulsu auspicato omnes conveniant.* Deniqué *distinct. 3. c. 1. §. 2.* inter culpandos numerantur, *qui mox, ut signum datum fuerit, relictis omnibus, quæ in manibus sunt, cum maturâ festinatione ad locum Stationum non venerint, & ad Divina reverenter peragenda se non præparaverint.*

Præterea sub ipso etiam Divino Officio frequenter occurrunt occasiones exercendi Actum *Devotionis*, quando scilicet in Psalmis & Hymnis offerunt se verba ac sententiæ ad hujusmodi affectum excitandum idoneæ & accommodatæ; v. g. cùm in *Psalm. 102.* cantantur aut recitantur hæc verba: *Benedic Anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus.* Aut in *Psalm. 103. Cantabo Domino in vitâ meâ: Psallam Deo meo, quamdiu sum &c.* Imò necessarium planè est, ut per decursum Divini Officii aliquoties actum Devotionis repetamus, ac quasi flabro reaccendamus & conservemus fervorem Spiritûs maximè si Officium extiterit paulò longius,

gius, & aliæ incommoditates v. g. frigoris, caloris &c. accesserint. Nisi enim identidem tunc nos excitemus ad alacriter Deo cantandum, & cultum ipsi juxta omnes corporis ac animi potentius deferendum, fieri vix potest, ut non tandem remissi ac tepidi, planeque tædiosi efficiamur.

§. 4.

De laude Dei.

144. QUartus virtutis Religionis Actus, & tam nocturnum quàm diurnum Religiosorum Exercitium est *Laus Dei*, quæ Statutis ab Ecclesiâ temporibus alternatim, & sub certâ formâ præscriptâ, in choro diu noctuque publicè Deo persolvitur. Cujus originem si inquiramus, videtur eam Ecclesia Militans in terris accersisse de cœlo, & ab Ecclesiâ ibidem Triumphante accepisse: Refert enim Isaias Propheta *c.* 6. Quod Angeli collaudantes Deum *clamabant Alter ad Alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum.* Et Socrates *lib.* 6. *Histor. c.* 8. scribit de S. Ignatio Ecclesiæ Antiochenæ Episcopo, & Apostolorum discipulo, quod is formam sivè methodum alternis cantandi choris, quam priùs viderat observari & practicari ab Angelis, introduxerit in Ecclesiam. Ejus verba sunt: *Ignatius Antiochiæ, quæ est in Syriâ, tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis multùm versatus est, visionem vidit Angelorum, Sanctam Trinitatem*

Hym-

Hymnis alternâ vice decantatis collaudantium; Et formam canendi in eâ visione expressam, Ecclesiæ Antiochenæ tradidit: Undè illa traditio ab omnibus recepta est: Quod ultimum tamen intellige factum non statim à morte Sancti Ignatii, sed successu temporis & post aliquot sæcula: Nam S. Augustinus *lib. 9. Confess. c. 7.* indicat, D. Ambrosium extitisse primum, qui consuetudinem cantandi alternantibus choris transtulerit in Occidentem. S. Basilius author illius fuit in Cappadociâ; prout colligitur ex ejus *Epist. 69.* Et S. Chrysostomus *teste Socrate loco cit.* Eundem morem incepit Constantinopoli.

150. Neque omnibus in locis & Ecclesiis eadem aut similis fuit canendi ratio & Norma. Nam de S. Athanasio Alexandriæ Episcopo testatur S. Augustinus *lib. 10. Confess. c. 33.* Quod in Ecclesiâ Alexandrinâ fecerit sonare Lectorem Psalmi tam modico vocis flexu, ut pronuntianti vicinior esset, quàm canenti. In Oriente cantabatur suaviori vocum concentu, quàm in Ægypto: quem proindè canendi modum cùm in Ecclesiam suam Mediolanensem introduxisset D. Ambrosius; mirificè exindè commotus fuit S. Augustinus; sicut ipse fatetur *lib. 9. Confess. c. 6.* dicens: *Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis, suavesonantis Ecclesiæ vocibus commotus.* Verùm quia posteà in hunc concentum tot irrepserant abusus, ut Musici Histrionibus similiores essent, quàm Cantoribus Sacris; Romana Ecclesia mediam secuta viam, nec Alexandrinam simplicitatem, nec Orientales compositos

nume-

numeros amplecti voluit ; sed utrumque ita temperavit, ut miram cum suavitate conjunxerit gravitatem. Propter quod Cantus Romanus appellari solet *Cantus planus* ; à Gregorio Summo Pontifice XIII. ejus reformatore, Gregorianus ; Et à choro *choralis*.

151. Locus siquidem, in quo Divinæ laudes in Ecclesiis cantari solent, vulgò nunc *chorus* appellatur, sivè *Odeum*, antiquitùs *Ambon*; estque pars Ecclesiæ proxima sanctuario ; quæ muro olim circumsepta erat, aut clausa caucellis ; intra quos solus Clerus cantans consistebat, omnibus laicis indè exclusis . *Pars illa*, inquit Concilium Turonense II. *quæ à cancellis versus Altare dirigitur, choris tantùm psallentium pateat Clericorum.* Undè S. Ambrosius nè quidem ipsum Theodosium Imperatorem pati inibi voluit ; sed ad Navim & gremium Ecclesiæ, ubi laici stabant, eum ablegavit. Dicitur autem *Navis* Ecclesiæ Locus ille, qui ab ingressu Ecclesiæ extenditur usque ad chorum: Nam, uti rectè notat Carbassutius *in Notit. Ecclesiast.* ad Sæculum *II. Dissertat.* 10. Ecclesia apud primos Christianos tribus partibus constabat ; quarum prima dicebatur *Navis sivè gremium* ; ubi populus ad Divinum Officium congregabatur. Secunda pars gradibus aliquot supra Navim assurgens vocabatur *Ambon, Suggestus, Chorus, vel Odeum;* in quo Psalmi solemniter à Clero concinebantur, & ex quo Sacræ Scripturæ ad populum legebantur, sermones à Concionatoribus habebantur ; ac constitutiones sivè edicta tum Episcoporum

tùm

tùm imperatorum promulgabantur. Tertia pars dicebatur *Sanctuarium*; in quo Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragebatur.

152. Porrò definitur Laus Dei, quod sit *vocalis professio interioris Existimationis & Reverentiæ, quam de Deo habemus*. Sivè particulariùs loquendo de solâ illâ Laude Dei, quam Ecclesia militans Deo per ministros suos certis horis diu noctuque persolvit & exhibet, quamque communiter *Divinum Officium & Horas Canonicas appellamus*, describi ea potest, *quod sit cultus Dei vocalis, & publicus ex Hymnis, canticis, psalmis, & precibus, nec non Sacræ Scripturæ verbis, & SS. Patrum homiliis constans, & ordinatissimè constitutus, horis diurnis & nocturnis ex Sacrorum Canonum Decreto à personis Ecclesiasticis nomine ipsius Ecclesiæ militantis, ad Exemplum & imitationem Ecclesiæ Triumphantis, Divinæ Majestati persolvendus.* Dicitur primò *professio* sivè *cultus vocalis*; ad significandum, quod vox exterior debeat esse vel maximè accommodata ad testificandum interiorem devotionis reverentiæque affectum. Undè Concilium Oecumenicum VI. *Canone 75*. ait: *Eos, qui in Ecclesiis ad psallendum adsunt, volumus, nè utantur inordinatis clamoribus, aut naturam ad clamorem urgeant, aliquidvè eorum, quod Ecclesiasticæ Sanctitati inconveniens & inconsuetũ est, adsciscant.* Et St. Bernardus; *Epist.* 312. præscribit; ut *cantus plenus sit gravitate; nec lasciviam resonet, nec rusticitatem. Sic suavis, ut non sit levis; sic mulceat aures, ut moveat corda. Sensum literæ non evacuet, sed fœcundet. Non enim*

enim est levis jactura gratiæ spiritualis, levitate cantûs abduci à sensuum utilitate; & plus sinuandis intendere vocibus, quàm insinuandis rebus. Requirit etiam Concilium Aquisgranense Anno Domini 816. celebratum, ut verba *integrè, planè, ac dilucidè cantentur;* uti videre est *c.* 137. Non autem præcipitentur, absorbeantur, vel dimidientur; neque ut fluctus fluctum, & procella procellam urget, ita festinatò versus versum consequenter & instando propellat; sed justa semper pausa intermediet, & debita tùm verborum, tùm syllabarum mensura observetur. Contra quod cùm nonnihil peccatum fuisset in choro Religiosæ cujusdam Familiæ; miraculosa visio ostensa Fratri cuidam Novitio in Ecclesiâ pernoctanti, quæ eidem inter alia insinuavit; *Dicas Guardiano, ut curet in choro Canonicas Horas lentius recitari: quia nihil in Ecclesiâ post usum & cultum Sacramentorum Deo gratius est recitatione Horarum Canonicarum.* Pulchrè Statuta Canonica Ordinis Præmonstratensis *Dist.* 1. *c.* 4. *§.* 9. *Tam in legendo quàm cantando omnes simul incipiant, simul in medio versûs respirent sivè pausent, ac simul finiant, sitq; pausa notabilis. Versum suum unus Chorus non incipiat, antequàm alius absolvat suum; ac omnes Syllabæ perfectè, eâdemque mensurâ sivè æquè tractim proferantur; nec ullæ absorbeantur. In cantu ubiq; serventur eædem notæ in Ordine consuetæ; ac ut omnis vitetur dissonantia, æquali spatio sivè eâdem mensurâ, quantum fieri potest, sine præci-*

præcipitantia absolvantur. Nec quisquam suo judicio festinet, vel protrahat; sed ad se mutuò attendentes, reverenter & tractim Divina officia compleant.

153. Dicitur secundò in definitione, quod Laus Dei sit professio *interioris existimationis & reverentiæ* erga Deum; quo significatur, quod cantui vel recitationi & pronuntiationi externæ debeat conjungi interna mentis applicatio & attentio; juxta illud *Ephes.* 6. *Cantantes & Psallentes in cordibus vestris.* Quia, *si cor non orat, invanum lingua laborat.* Et ut ait glossa *in c. Cantantes. Distinct.* 92.

Non vox, sed votum; non musica chordula, sed cor,
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Propter quod S. Augustinus in Regulâ monet: *Psalmis & Hymnis cùm oratis Deum; hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Et Concilium Oecumenicum VI. *Can.* 75. præcipit, ut Ecclesiastici *cum multâ attentione & compunctione Psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerant,* Innocentius item Papa III. *in c. Dolentes.* 9. *de Missarum celebratione, districtè & in virtute Obedientiæ mandat, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum studiosè celebrent pariter ac devotè.* S. Theodorus Studita *Serm.* 99. ait: *Decorè riteq; orandum est, & Psallendum; non obiter, & supinè, confuseq;*; sicut illi faciunt, qui labiis utcunque videntur laudare Deum;

Deum; cor autem eorum longè est à Deo. Denique Apostolus 1. *Corinth.* 14. *Orabo spiritu, orabo & mente; Psallam spiritu, psallam & mente.* Psallere autem mente, est cantare sivè psallere cum mentis attentione & applicatione. Solet verò triplex mentis attentio Statui ab Authoribus tam pro Oratione quàm pro Laude Dei, & Sacrificio. Prima dicitur *spiritualis*, dirigiturq; ad Deum, quem ut præsentem intuetur; & ad eum per affectus voluntatis tendit: vel certè interim, dum lingua exteriùs verba profert, mens interiùs piâ meditatione alicujus Mysterii v. g. Passionis Dominicæ, mortis, Resurrectionis &c. affectuosè occupatur. Addit Hugo Roth *part.* 1. *Viæ Regiæ. c.* 6. sufficere ad hanc attentionem, si quis inter cantandum vel precandum memoriâ recolat Beneficia Dei communia, aut specialia, Dei præcepta, Evangelica consilia, quatuor hominis Novissima, virtutes, gesta, doctrinam, aut miracula Sanctorum. Secunda dicitur *litteralis*, per quam verus verborum sensus percipitur, eique affectus accommodatur. Quæ attentio est omnium perfectissima; non tamen necessaria; imò multis est moraliter impossibilis, propter obscuritatem sensûs in verbis Psalmorum latentis. Adde, quod doctissimi etiam viri inter orandum & psallendum non semper curent sensum verborum; sed superficiali attentione contenti sint, partim quia major non requiritur; partim etiam nè continua mentis ad sensum cujuslibet versûs applicatio nocumentum afferat capiti infirmo, vel

aliis jam occupationibus defatigato. Tertia attentio vocatur *superficialis* & *verbalis* ; quia tantùm curat verba; ut circa illa nullus committatur error, *malè pronuntiando illa*, *vel truncando*, *vel præcidendo*, *vel omittendo*, *vel non audiendo ab aliis pronuntiata*; ut inquit S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 3. Ut verò hæc species attentionis sufficiat, conjuncta esse debet cum animo & voluntate sivè proposito colendi & laudandi Deum in principio orationis vel cantûs, saltem confuso & virtuali, non solùm præcedente, sed etiam comitante verborum pronuntiationem; ita ut prior voluntas laudandi Deum in principio orationis actualiter habita & concepta duret & perseveret adhuc virtualiter. Quæ *virtualis duratio* in hoc consistit, ut primò non sit revocata *directè* prior voluntas per intentionem contrariam, quâ quis cœptam attentionem & intentionem consultò & expressè abjicit, nolens deinceps verba proferre animo colendi Deum. Secundò, ut neque prior attentio & intentio sit interrupta & destructa *indirectè* per distractionem voluntariam; quæ tunc contingit, cùm quis advertit, se animo distrahi ad alia, vel se exercere actionem attentioni repugnantem; & nihilominùs voluntariè omittit ac negligit cogitationem distrahentem repellere; vel actionem intermittere non vult, sed eam prosequitur, quâ prævidet cum attentione fore incompossibilem. Addunt Navarrus *in Enchirid. c.* 25, *n.* 107. Cajetanus & alii, voluntariè distractum non esse cum, qui advertit quidem, se cogitationibus suis

esse

esse alibi v. g. in hortis Italiæ, castris Hungariæ &c. Non tamen advertit, se talia cogitando distractum esse, vel se cum hujusmodi cogitationibus attentum esse non posse.

154. Atque hæc tertia *attentio ad verba*, ut ritè proferantur, & ab aliis prolata audiantur, quamvis inferior & imperfectior sit duabus prioribus attentionibus; est tamen magis necessaria non solùm Tyronibus, sed etiam adultioribus in choro existentibus, maximè ubi urgetur observatio cœremoniarum diversarum in Ritualibus libris præscriptarum. Qui enim intentioni *spirituali* aut *litterali* insistunt, alligantes se ad meditationem alicujus mysterii, vel ad sensum verborum percipiendum; sæpè numerò ita abripiuntur & involvuntur suis cogitationibus etiam piissimis, ut obliviscantur officii & muneris sui in choro tunc præstandi, pausas præscriptas negligant, ritus & cæremonias omittant, aliaque multa committant, per quæ adstantes perturbantur, & vel ad risum vel ad indignationem commoventur. Secùs accidit in iis, qui conceptâ semel in principio cantûs, & deinde continuatâ intentione laudandi Deum, attendunt expressè, ut verba ritè pronuntient, & ab aliis pronuntiata audiant, pausam in medio versûs competentem observent; cum aliis incipiant & finiant; præscriptis temporibus se inclinent vel erigant; caput aperiant vel operiant &c. Undè rectè S. Bonaventura *c.* 19. *Spec.* consulit debilibus hanc attentionem ad verba, ad notas in cantu, ad ceremonias, ad decentiam totius ministerii

sterii in choro aut in sacrificio; ut omnia & singula integrè ac decenter sine festinatione aut detruncatione pronuntientur.

Ut verò necessaria sub Laude Dei *attentio* conservetur, & mens voluntariis distractionibus non evagetur, juvabit *primò*, si ante initium Divinæ Laudis per moram aliquam temporis seponamus negotia, sermones, & cogitationes, quæ caput defatigare solent; ac interim in quiete spirituali nos recolligentes, paulatim mentem transferamus & elevemus ad Deum. Docet enim experientia, quod animus seriis occupationibus v. g. studiis literarum fatigatus, difficulter & non nisi violenter possit se applicare orationi & rerum Divinarum contemplationi: Quæ violentia non solùm obest & officit capiti; verùm etiam ipsam attentionem efficit debilem, infirmam, ac minimè stabilem; nullum enim violentum est diuturnum.

Accedit quod rerum earum, quas immediatè aut cogitavimus, locuti sumus, aut gessimus, relictæ species ac phantasiæ in orationis decursu frequenter recurrant, ac millenis distractionibus materiam præbeant; prout quotidiè experimur, quando de colloquio transimus ad Divinum Officium vesperi complendum. Propter quod censeo, ad hanc necessariam mentis ex-occupationem & recollectionem non sufficere modicum & breve illud tempus, quod Stationibus ordinariè impendimus; sed requiri moram aliquantulum prolixiorem, v. g. spatium dimidii quadrantis; maximè tunc, quando caput & cere-

cerebrum sentimus valdè debilitatum, aut animum seriis cogitationibus ita gravatum, vel in suis viribus dispersum, ut tam facilè alleviari & recolligi non possit.

155. Secundò juvabit ad conciliandam *animi attentionem*, si maturè ad Stationes accurramus, & sub iisdem vivaciter nobis repræsentemus præsentiam Divinæ ac tremendæ Majestatis; prout eam vidit Propheta Isaias *cap.* 6. sedentem super solium excelsum & elevatum, circumdatam & stipatam Sanctis Angelis, facies suas præ reverentiâ velantibus, & ad se invicem clamantibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum; plena est omnis terra gloria ejus.* Quod enim medium hoc sit efficax, patet ex ipsâ praxi Ecclesiæ; quæ ut in animo Sacerdotis celebrantis, populique adstantis attentionem excitet & conservet sub Canone Missæ, præmittere solet eandem *in præfatione* visionem Prophetæ ostensam, his verbis: *Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates; cæli cælorumq; virtutes ac beata Seraphim sociâ exultatione concelebrant, cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes Sanctus &c.* Refert Climacus *Grad.* 18. se quâdam vice observâsse Religiosum quendam in Psalmis decantandis attentiorem & recollectiorem cæteris in choro constitutis, ex eoque interrogâsse causam tantæ suæ recollectionis: qui respondit: *Ego sub Divini Officii exordium soleo mentem & cogitationes meas colligere, eisq; ad me convocatis dicere: Venite, adoremus,*

remus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster.

Tertiò juvabit ad concipiendam & fovendam attentionem, si inter cantandum nobis imaginemur, quod cum Angelicis Choris stemus simul ad laudandum Deum; ac quodammodò voces nostras cum illorum vocibus uniamus & conjungamus. Hæc enim cogitatio efficiet in nobis, ut & fervorem Angelorum, puritatem intentionis, & charitatem erga Deum æmulari conemur.

Quartò proderit etiam, oculos subindè conjicere in piam aliquam imaginem, vel convertere illos ad Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ; in quo Christus, verus Deus & homo realiter & specialiter præsens existit, ac propterea asservatur, ut à nobis colatur, laudetur, & adoretur; sicut testatur Concilium Tridentinum *sess.* 13. *de Eucharistia c.* 5.

Quintò utile vel etiam necessarium erit, in decursu divinæ Laudis aliquoties renovare intentionem, fervorem, & devotionem sivè oblationem potentiarum corporis & animæ ad Dei obsequium. Quod quidem tunc facillimè poterit fieri, quando sub divino Officio occurrunt versus & verba huic exercitio accommodata.

156. *Sextò* summoperè confert ad conservandam attentionem exterior Modestia, sensuum custodia, & morum compositio sub Laude Dei. Undè Regula S. Leufridi Abbatis erat: *facto signo pro Officio Divino, dimittas omnia, quæ erunt*

in

in manibus tuis. Exiens è cellâ fores sine strepitu aperi, & claude. In cantu non frangas vocem; aut fœmineis accentibus aliis te dulciter canere ostentes; sed vocem tuam in fortitudine spiritûs exaltans, Deum tuum laudare satage. Non adhæreas humeris ad sedilia, neq; lacertis; sed stans jugiter & viriliter genibus junctis & pedibus, nec tibias super genua, neq; pedem super pedem omninò reponas. Cùm sederis, pedem ultra fimbriam non extendas. Non suspires ibi, non clames, non legas, aut horas dicas altâ voce, dum tacent alii. Non gemas aut pectus ibi percutias immoderatè; quia hypocritarum hic mos est. Inclina & erige te uniformiter cum aliis. In Choro non loquâris, aut rideas. Non sis vagus & curiosus; sed semper aspectus tui defixi maneant ad pedes tuos. Cùm ibi errores contigerint; tu neminem corrigas, sed quietus persevera. Cùm strepitus aut rumor acciderit, tu non eò statim oculos volve, sed sempen in eodem statu perseveres. Non sis inquietus & strepitosus. Si nasi aut pectoris indiges purgatione; tam discretè hoc perage, nè aliis nauseam crees. In auribus aut naribus non figas digitos; neq; ibi dentes purgaveris: hoc enim valdè indecens est. Si pulicibus aut pruritu alio stimulatus fueris, si sufferre non potes, honestè & cautè tibi provide, nè advertant id alii; sine urgente necessitate non recedas ab Officio. In fine defectus tuos examina. Graviter S. Chrysostomus *homil. 8. in Isaiæ c. 6. Sunt quidam inter nos, qui hic adsunt, quì contemnentes Deum, ac spiritûs eloquia pro vulgaribus ac profanis ducentes, mores præ se*

ferunt à ſpirituali ſtatione alienos. Miſer & infelix! oportebat te cum tremore & reverentiâ Angelicam Glorificationem reſonare, cumq; fervore Confeſſionem reddere Conditori.

157. Cœterùm quod attinet tempora Divinis Laudibus decantandis præſtituta; numerabantur olim ſequentia: Noctis medium, Matutinum, Hora diei prima, Tertia, Sexta, Nona, Tempus veſpertinum, & Completorium. Nam antiqui Patres ſeparabant Officium Nocturnum à Laudibus; & has manè décantabant; illud verò circa noctis medium: quod propterea vigilias nuncupabant: imitantes in hoc Pſalmiſtam Reginum, qui de Nocturnis vigiliis ait *Pſalm.* 118. *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* De Laudibus verò Matutinis dicit *Pſalm. 62. Deus Deus meus, ad te luce vigilo.* Reliquarum etiam minorum horarum meminerunt S. S. Clemens, Cyprianus, Caſſianus, Hieronymus, Tertullianus, & alii apud Nebridium *in Antiquar. epiſt* 68. quamvis non ſub iisdem planè terminis, quibus nunc utitur Eccleſia Latina: Nam *Completorium*, quod diem & Officium complet, clauditque, Caſſianus vocat *Horam Lucernalem*: S. Epiphanius *preces Lucernales*; S. Baſilius *lib. de Spiritu Sancto c. 29. Lucernariam gratiarum actionem*; S. Chryſoſtomus *in Pſalm.* 118. & *homil. 59. ad popul. Antioch. Lucernarium officium*; eò quod cantari tunc ſoleat, quando incipiente jam nocte inferuntur lumina, & accenduntur lucernæ. Aliam temporis rationem in Divinis

Lau-

Laudibus decantandis obſervatam reperio à Religioſis, qui *Acœmetæ*, vel juxta Cedrenum *Acœmeti* ſive *inſomnes* vocantur ; Et primitùs inſtituti ſunt Conſtantinopoli per Alexandrum Abbatem ; translati verò poſteà Romam, & collocati per Gregorium Papam II. in Monaſterio propè Baſilicam Sancti Pauli ; per Gregorium III. apud S. Stephanum, S. Laurentium, & Chryſogonum per Paulum I Papam in cœnobio S. Stephani Papæ & martyris à ſe noviter erecto; per Hadrianum I. in aliis pluribus cœnobiis ; ac deniqúe per Sergium Papam. II. in Monaſterio à ſe extructo. Horum enim Acæmetarum propoſitum fuit, Sanctos Angelos pro poſſe æmulari in laudando Deum & juges ei diu noctuque Laudes offerre ; ita ut nulla diei noctisque hora eſſet, in quâ non fratres aliqui mutatis inter ſe vicibus Divinæ Laudi vacarent. Propter quod *inſomnes* dicti ſunt ; non quod ſinguli ſemper vigilarent ; ſed quia totum Monaſterium ſivè congregatio nunquam planè dormiebat ; ſed ſemper aliqui inveniebantur, qui cœteris dormientibus, vel alia agentibus, alacriter Divinis Laudibus inſiſtebant.

158. Verùm (heu) quàm longè nos hoc tempore defecimus & receſſimus à Devotione ac fervore primorum noſtrorum Patrum maximè quoad vigilias, & Synaxes ſivè Collectas nocturnas ! utpotè quæ in pluribus jam Eccleſiis Regularibus planè expirârunt ; ita ut Devotus nunc habeatur ille, qui ſedulò ad auroram ſurgit, & manè jam lucis orto ſydere nocturnum

Officium absolvit cum Laudibus. Quid quod multi à reliquis etiam per diem Horis Canonicis se absentent & subducant sub prætextibus coloratis, & speciosis magis, quàm veris, causantes negotiorum multitudinem, Ecclesiæ & Chori frigus ac humiditatem, virium suarum defectum, corporis infirmitatem, capitis dolorem, & sexcentas alias excusationes. Verùm consulant tales *Eximii* propriam suam conscientiam; & in re tantâ, ad quam vi suæ professionis sunt obligati; Judicem vel Arbitrum non constituant Amorem proprium. Audiant etiam, quid S. Basilius moneat *serm. de Abdicat* dicens: *Non dicas, cùm ad preces accedendum est, ventrem caputq; doleo; incertos hujus falsi rei testes adducens, ut quietis gratiâ concors studium vigilantiæ dimittas.* S. Dorotheus *doctrinâ* 9. ægerrimè fert excusationes Dormitantii, qui ad vigilias nocturnas non surgens, postea in capitulo somnolentiam suam purgare vult his & similibus verbis: *Febrem passus sum & vertiginem, nec potui ullo pacto surgere. Deficiebam, debilis eram, caput dolebam, stomachi tormina patiebar &c.* cùm potiùs ignaviam fateri debuisset. Quapropter aliam ipse formulam pro tali præscribit, videlicet ut dicat: *ignosce mihi Pater; quia ex ignaviâ, torpore, & negligentiâ hac nocte non exurrexi ad vigilias.* Refert Surius in vitâ S. Gregorii Turonensis, quod, cùm aliquando excitatus ad Nocturnas Collectas, nollet è strato surgere, quidam ignotus Canonarchus fortem ei alapam impegerit, dicens: *Tu, cùm*

alios

alios ad matutinum excitare deberes, dormitas ipsius! De alio quodam Monacho narrat idem Author in vitâ S. Gerardi Abbatis Cellensis, quod S. Venantius Episcopus jam vitâ defunctus, eum verbis & verberibus ad vigilias nocturnas compulerit, dicens: *impudentissime Monache, quid stertis? itanè debitum nocturni pensi exolvis?* Quod si D. Venantius Officium Canonarchi sivè Excitatoris & compulsoris adhuc in terris gereret, quantum putas hoc tempore in excitandis Dormitantiis negotium haberet? aut quas gratias apud quosdam referret? utique minores, quàm prisci Monachi rependerint suo Canonarcho & Excubitori; à quo cùm per mallei lignei pulsum & vocem *Alleluja* excitarentur, intus in Cellâ suâ respondebant: *Benè Domine; charitas tua oblivioni non detur. Det tibi Dominus hujusce rei præmium;* ut refert S. Dorotheus *Doctrinâ* 11. Qui etiam addit, se Excubitores suos & Canonarchos sivè vigiliarum præfectos (ita enim prisci Monachi vocabant Excitatores suos ad Nocturnas vigilias) non aliter coluisse & amâsse, quàm viros tales, à quibus salus sua æterna dependeret. Et merito; est enim nocturnarum vigiliarum tempus aptissimum, ut in eo mens possit liberè & expeditè vacare lectioni, meditationi, Psalmodiæ, Orationi, compunctioni, contemplationi, & Dilectioni Dei; sicut ait S. Isaac Monachus *de contemptu mundi Tom. 6. Bibliothec. S. S. Patrum. Noli putare, ô homo, quod inter operationes Monachorum sit alia sancta conversatio major*

vigi-

vigiliis nocturnis, quibus citissimè perveniat, & volet, & exaltetur mens in dilectione Dei. De Regularibus sui temporis ait S. Chrysostomus *homil. 56. ad popul. surgentes statim ex cubili, hilares & læti, chorumq; constituentes, in alacri conscientiâ consonantes omnes tanquam ex uno ore Hymnos Omnium Deo concinunt, eum venerantes. Interrogemus, quid ab Angelis differat hic Chorus super terram canentium, & dicentium: Gloria in altissimis Deo.* Et *homil. 57. Noctes dies faciunt, in Gratiarum actionibus & Hymnodiis degentes.* Item *homil. 59. Postquam gallus cantavit, statim veniens Prælatus, & pede solùm simpliciter cedens, omnes excitat. Mox surgentes, stant Hymnos Cantantes multâ cum vocis consonantiâ. Cum Angelis cantant; nam & Angeli tunc canunt: Laudate Dominum de cœlis.* Et *ibidem: Omnes statim cum reverentiâ somnum deponentes exurgunt, excitante eos Prælato, & consistunt sanctum Chorum constituentes, Sacros Hymnos decantant.*

§. 5.
De charitativâ conversatione.

159. DE hac dicitur *Actor. 4. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.* Et *in Regulâ S. Augustini. c. 2. Unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una & cor unum in Deo.* Item *c. 3. Omnes ergò unanimiter & concorditer vivite.* Ubi viget Charitativa conversatio; ibi cœnobia sunt para-

paradisus & cœlum ; incolæ verò inhabitantes Religiosi sunt quidam Angeli Dei ; *quippè qui conversatione cœlesti electâ nihil ab Angelis differunt : Nam sicut inter hos nulla est inæqualitas ; sic & inter illos. Nemo siquidem paupertati exprobrat. Nemo de divitiis gloriatur. Meum & tuum, quod cuncta evertit, eliminatum est. Omnia ibi communia, & mensa, & habitatio, & vestes. Et hoc quid mirum ? cùm & illis anima una eademq; sit. Omnes eâdem nobilitate nobiles, eâdem servitute servi, eâdem deniq; libertate sunt liberi. Nempè cuncta ipsorum tanquàm unâ eâdemq; liberâ mensurâq; æstimantur ; ut nulla inter eos diversitas aut inæqualitas locum habeat ; verùm omnia eodem ordine, convenientiâ, concordiâ, jugiq; tranquillitate constituta sunt. Commune esse existimatur, quod cuiq; tam triste, quàm jucundum acciderit* ; ut inquit S. Chrysostomus *lib. 3. adverſ. vit. Monaſt. vitup. cap. 10. Quiq; sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant ; ut sit illis verè, sicut scriptum est, una anima, & unum cor ; multa corpora, sed non multa corda ;* ut ait S. Augustinus *in Psalm.* 132. Et S. Basilius *in constitut. Monast. c. 19. Perfectissimam ego vitæ communionem illam appello, undè dissensio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abest & rixæ : contraq; universa communia, animi, mentes, &c. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum exantlatorum coronæ. Ubi multi unus ; & unus non solus, sed in pluribus.*

bus. Huic vitæ instituto quid est tandem quod æquiparari possit? quid eo beatius dici? Quid hac conjunctione, unitate, & necessitudine aptius excogitari? quid mutuâ inter se morum, animorumq; contemperatione gratiosius fingi? Homines ex diversis nationibus, ac Regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeò in unum veluti coalaisse, ut in pluribus unus modò esse animus videatur. Vicissimq; plura corpora mentis unius instrumenta cernantur. In his, qui infirmâ corporis valetudine est; is complurium animos imbecillitatis suæ participes habet. Qui verò animo æger est, & affligitur, ei complures præstò sunt, à quibus curetur, à quibusq; assiduè erigatur. Hi æquabili jure inter se alii aliorum & famuli sunt, & domini; & invictâ libertate accuratissimam sibi inter se serviunt servitutem. Hi Angelorum vivendi ritum æmulantur: nulla est inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controversia, &c. Econtrà ubi non est charitativa conversatio; ibi cœnobia sunt infernus & gehenna; inhabitantes verò cœnobitæ sunt Dæmones; ut inquit S. Hieronymus *in Regulâ.* Quia in talibus locis regnat diabolica superbia; quâ frater fratrem despicit, & illi servire, vel cedere detrectat. Regnat ibidem diabolica invidia; quâ unus alteri suæ naturæ talenta, scientiam, virtutes promotionem, obedientias, & gratiam apud Superiores invidet. Regnat affectus nocendi, vindictam sumendi; audiuntur murmura, dissensiones, rixæ, convitia, detractiones, sur-

surrationes, & similia contra justitiam & charitatem peccata. Propter quod vigilantiores Monasteriorum Antistites semper in hoc incubuerunt, ut fratres imprimis se ritè haberent in iis, quæ sunt in Ordine ad Deum, & ad debitum illius cultum pertinent: Deindè etiam ut iidem charitativè inter se agerent, & fraternè conversarentur. S. Basilius *serm. de Abdicat.* monet: *Cùm quid locuturus es; ea ex ore tuo prima semper verba prosiliant, quibus & proximum consoleris, & charitatem erga illum tuam magis confirmes; idque adhibitâ quâdam festivâ oris hilaritate; ut qui tecum loquitur, per te exhilarari se sentiat.* Et *serm.* 1. *de Institut. Monachor. Jracundiæ, aut memoriæ injuriarum, aut invidiæ, aut contentionis nullus prorsùs sit nevè gestus, neq; motus; non verbum, non oculorum acris obtutus, non vultûs conformatio ulla, non aliud quippiam, ex quo eorum, quibuscum vivimus, irritari animus possit.* Item *Epist. ad Chilonem Discipul. Dabis operam haud segnem, nè cui sis offendiculo eorum, quibuscum intercedit tibi familiaris congressus. Magis ipse in hoc incumbito, omnibus ut sis perquàm gratiosus, fraterni sodalitii amator, syncerus, suaviloquus, nulli non insinuans animi tui modestiam.* Denique *Epist. 1. ad Gregorium Theolog. Magno studio id comparandum habemus, scitè ut sermocinari possimus; ut nec contentiosius percunctemur, nec affectantiùs respondeamus; ut differenti non obloquamur; nec interfari atq; interpellare gestiamus absurdâ ostentatione, fastumq; præferente: ut modum teneamus & sermocinandi,*

nandi, aſcultandi. Vocis porrò intentio mediocritate temperanda eſt; ut nec exilior fallat aures, nec contentior odiosâ radat offenſione. Expendendum priùs, quid dicturus ſis; atq; ita demum edendum & provulgandum eſt. In congreſſibus comiter appellare oportet, atq; in conſuetudine ſuavem ſe præbere.

160. Ut verò converſatio noſtra ſit charitativa, requirit ſequentes conditiones: *prima* eſt, ut verba non ſint dura & inhumana; ſed placida, ſuavia, & amicabilia; juxta illud *Coloſſ. 4. Sermo veſter ſemper in gratiâ ſale ſit conditus; ut ſciatis, quomodò vos oporteat uuicuiq; reſpondere.* Quomodò de Chriſto prædixit Propheta Iſaias *c. 42. Ecce puer meus, quem elegi: non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem ejus.* Et de eo teſtatur S. Lucas *c. 4. Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* Undè S. Bonaventura *lib. de informat. Novit. part. 1. c. 32. Quàm benignus inter diſcipulos; quàm placidus in omnibus dictis ſuis; quàm mitis in reſponſis!* Quod ſi forſan proximus aut frater duriùs & acriùs nos alloquatur; aut irâ aliâvè paſſione præoccupatus, verbis contumelioſis & injurioſis dicteriis nos afficiat; non debemus illi in eodem tono vel accentu reſpondere: ſed dulcia ac placida verba cum omni manſuetudine ſunt reponenda; quomodò iterùm de Chriſto teſtatur S. Petrus *1. Epiſt. c. 2.* dicens: *Qui cùm malediceretur, non maledicebat.* Et S. Bonaventura ſuprà: *quàm patiens ad contumelias: Non enim ſtuduit ſe vindicare*

dicare verbo mordaci & amaro; sed blando & humili responso alterius malitiam sanare. Idem nos docet S. Dorotheus *Doctrinâ 15. Si quis asperè nos affabitur, & increpabit; vel etiam objiciet ea, quæ nunquam fecerimus; nihilominùs submissè & humiliter respondeamus, veniam ab illo petentes, tanquam si nos illi ita loquendi occasionem dedissemus, etsi eam minimè dederimus; dicamusq; : ignosce frater, & ora pro me.* Et S. Augustinus *in Regulâ c. 10. Vobis à verbis durioribus parcite.* S. Basilius etiam monet discipulum suum Chilonem, ut sit *omnibus perquàm gratiosus, suaviloquus, nulli non insinuans animi sui modestiam.* Ad Gregorium verò Theologum ait *Epist. 1. In congressibus comiter appellare oportet, atq; in consuetudine suavem se exhibere. Nusquàm acerbum se præbere convenit, etiamsi objurgatione opus sit.* Causam dat Scriptura *Proverb. 15. Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* Et *Proverb. 16. Favus mellis composita verba; dulcedo animæ, sanitas ossium.* Item *Eccl. 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Et *Eccl. 20. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit.*

162. Altera conditio est, ut proximo aut fratri loquenti vel aliquid narranti non contradicamus; (nisi fortè scandalosa, & vel contra Deum, vel contra proximum tendentia verba proferret.) Neque dicta illius improbemus; sed potiùs eidem, quantum salvâ conscientiâ fieri potest, in omnibus consentiamus; aut saltem, quæ approbare non possumus, prudenter dissi-

mulemus, & silentio prætereamus. Ita enim monet Apostolus Philipp. 2. *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam.* Et *Roman.* 12. *Idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Item 2. *Corinth.* 13. *De cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; Et Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Denique *Ephes* 4. *Supportantes invicem in charitate, soliciti servare unitatem spiritûs, in vinculo pacis; unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ.* Eodem quoque pertinet, ut proximum loquentem non interpellemus, quasi ipse erraret, & nos meliùs rem sciremus. *Differenti non obloquamur; nec intersari atq; interpellare gestiamus absurdâ ostentatione, fastumq; præseferente*; ait S. Basilius suprà *Epist.* 1. *ad Gregorium Theolog.* Nec refert, quod frater ille, qui loquitur falsum aliquid, aut incredibile, aut cum aliis circumstantiis, quàm factum sit, referat: in his enim & similibus non est contradicendum narranti; nisi silentium nostrum cedat in Dei injuriam, aut pusillorum scandalum, aut absentium infamationem, & damnum tale, quod nos impedire tenemur: sed propter amorem pacis & concordiæ toleranda patienter & dissimulanda est errantis vel imperitia, vel temeritas in loquendo, quamdiu nihil indè mali rationabiliter time-

timetur Juxta Apoſtolum 1. *Corinth.* 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non irritatur, non cogitat malum, omnia ſuffert, omnia credit.* Sanè diuturna & quotidiana experientia docet, quod illi homines, qui Spiritum contradictionis habent, & libenter iis, quæ ab aliis proferuntur, contradicunt, ea impugnant, in dubium vocant, &c. intolerabiles ſint in communitate: ac ſæpè leviſſimis de cauſis rixas ſuſcitent.

163. Tertia conditio ad charitativam converſationem requiſita eſt, ut Fratres noſtros magnifaciamus apud noſmetipſos in animo, & hanc noſtram de illis exiſtimationem foris etiam verbis, opere, & ſignis demonſtremus, tam in eorum abſentia, quàm præſentia; ita quidem, ut de illis abſentibus honorificè loquamur; præſentes verò honore præveniamus; ſicut monet Apoſtolus *Rom.* 12. *Charitate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem prævenientes.* Et *Philipp.* 2. *In Humilitate Superiores ſibi invicem arbitrantes.* Nemo ſiquidem eſt tam barbarus & durus, qui non accendatur ad redamandum eum, à quo ſe videt æſtimari & amari. *Vis laudari? lauda alium; vis amari? ama*; inquit S. Chryſoſtomus *homil.* 13. *ad populum.* Undè S. Baſilius *ſerm. de Abdicat.* docet, nunquam in converſatione loquendum eſſe cum proximo & fratre etiam nobis inferiore taliter, ut oſtendamus, nos ipſum parvi facere, aut contemnere. *Si cum inferiore te ſermonem habes; aut interrogatus ab eo, aliquid reſpondes;*

cave, nè ſubſpenſo animo illi negligenter reſpondeas, eâ re videlicet, quod fratrem contemnas. Et *ſerm. 2. de Inſtit. Monachor.* vetat in converſatione & publicò colloquio, alicui privatim loqui in aurem, aut per nutus ipſi ſignificare aliquid: eò quod talis agendi modus præſeferat contemptum, aut exilem de aliis præſentibus exiſtimationem, pariatque ſuſpiciones, odia, &c. Ejus verba ſunt: *In aurem locutiones, & quæ per nutus fieri ſolent, ſignificationes, hæc omnia à fratrum conventu longiſſimè ſubmoventor. Nam quæ nutu fit ſignificatio, ea fratri indicio eſt, malitioſum aliquem dolum in re obſcurè latere. Porrò ex iſtiuſmodi rebus odia, ſuſpicionesq; naſcuntur.*

164. Quarta conditio eſt correctio & emendatio morum eorum, qui Fratribus noſtris poſſunt diſplicere in nobis, & nos illis in converſatione graves ſeu difficiles & moleſtos reddere. Solet enim inurbanitas & ruſticitas morum offendere illos, qui ſunt honeſtiores & benè educati. Undè S. Auguſtinus *in Regulâ. c. 6. Nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum.* Et S. Baſilius *Epiſt. ad Chilonem Diſcipul. Dabis operam haud ſegnem, nè cui ſis offendiculo eorum, quibuscum tibi intercedit familiaris congreſſus; magis incumbito, omnibus ut ſis perquam gratioſus, fraterni ſodalitii amator ſyncerus, ſuaviloquus, nulli non inſinuans animi tui modeſtiam.* Atq; hinc primò, quia meritò omnibus prudentibus

tibus displicet inepta quorundam consuetudo jocandi, & alios mordacibus ac scommaticis verbis pungendi, ad excitandum risum, vel ad ostentandam ingenii sui felicitatem in hujusmodi acuminibus & dicteriis aculeatis inveniendis; Hi, quibus talis jocandi irridendique mos est, toto conatu incumbere debent, ut eum radicitùs extirpent, & se in conversatione syncéros, apertos, innocuos, & omnibus gratiosos exhibeant. Solent enim in communitatibus & congregationibus odibiles, invisi, & detestabiles esse omnibus bonis illi, qui insulsis ejusmodi salibus, & vexandi seu illudendi artibus sunt dediti; uti & illi, qui student amphibologicis & æquivocis verbis; ita ut audientes in omni ferè eorum dicto & sermone dubii hærere debeant, serianè sint & vera, quæ tales histriones loquuntur, an verò tantùm jocentur. Quis enim cum talibus libenter conversabitur & aget, quos in omnibus ferè sermonibus suspectos habere debet? *Non te delectet puerilis jocus*, ait S. Basilius *in admonit. ad Filium Spirit. Nec in modum parvuli jocari velis: quia non convenit.* Sacra Scriptura hoc hominum genus vocat *Illusores*, & *Sophistas*. De quibus *Eccl.* 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Et *Proverb.* 3. *Abominatio Domini est omnis illusor.*

Secundò cavendum est, nè altiori voce loquamur, quàm necesse sit; sed potiùs submissè interrogemus, aut interroganti respondeamus; sicut monet S. Basilius *serm. de Abdicat. Interrogatus de re aliquâ, gravi ac submissâ voce re-*

ſponde. Et *ſerm. 2. de inſtitut. Monachor. Quoties de re inter ſe colloquium haberi conveniet, vocis modum ipſis neceſſitas ipſa definiet, ut ſcilicet cum eo, qui propinquior ſit, preſſiùs agatur: qui autem remotior, is altiore aliquantò voce appelletur. Illud autem, ut aliquis in dando conſilio alicui hortationevè de re aliquâ adhibendâ, majore aſperioreq; utatur vocis ſono; hoc ut res contumelioſa è conventu prorsùs amovetor.* Item in Epiſt. 1. ad Gregorium Theologum. *Magno ſtudio id comparandum habemus, ſcitè ut ſermocinari poſſimus; ut nec contentioſiùs percunctemur; nec affectantius reſpondeamus. Vocis intentio mediocritate temperanda eſt; ut nec exilior fallat aures, nec contentior odiosâ radat offenſione.* Ipſe verò S. Gregorius Theologus *Orat.* 14. ait, quod Monachorum ſit *vox compoſita & quieta.*

Tertiò abſtinendum eſt à loquacitate & dicacitate; ut non ſimus garruli, blaterones, & verboſi; ſed rarò, parcè, & parùm loquamur; ita ut aliis etiam præſentibus ſpatium & occaſionem tribuamus aliquid proponendi: ſolet enim garrulitas & verboſitas aliquorum in congregatione valdè moleſta & oneroſa eſſe cœteris. Undè Scriptura monet *Eccl.* 5. *Sint pauci ſermones tui.* Et *Eccl.* 32. *Loquere major natu; decet enim te primum verbum. Adoleſcens loquere in tuâ causâ vix. Audi tacens; & pro reverentiâ accedet tibi bona gratia. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. In multis eſto quaſi inſcius; & audi tacens ſimul & quærens*

In

In medio Magnatorum non præsumas; & ubi sunt senes, non multum loquaris. Item *Eccl.* 20. *Est odibilis, qui procax est ad loquendum.* Job etiam amicos suos reprehendit ob nimiam suam loquacitatem, dicens: *Audivi frequenter talia. Nunquid habebunt finem verba ventosa? poteram & ego similia vestri loqui. &c. c.* 16.

Quarto non est effusè ridendum & cachinnandum: quia *fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Eccl.* 21. S. Basilius *in Regul. fus. interrogat.* 17. ait: *Non mediocriter caveri ab iis debet, qui colendæ pietati student, nè in risum videlicet præter modum effusi sint; quandoquidem non abesse intemperantiam significatis, qui profuso nimis petulantiâq; risu tenetur; sesegq; animi sui motus nequaquàm sedatos, ejusq; mollitiem ac veluti laxitatem nequaquam ratione severâ habere compressam declarat. Verùm modicè rictum diducere, eoq; modo animi sui diffusionem leviter significare, non est contra decorum. Illud autem, in inanes cachinnos prorumpere, & corpore contra animi voluntatem subsultare, nequaquàm est ejus, qui animo composito sit, aut planè probo, & compote sui ipsius.* S. Gregorius Nazianz. *Orat.* 14. tradit, quod in Monachis debeat esse *subrisio levis, imò subrisionis vix nota.* S. Bernardus in vita S. Malachiæ scribit, quod *risus ejus* fuerit *index Charitatis, aut provocans Charitatem; rarus tamen & ipse; equidem interdum eductus; excussus nunquàm: qui ita nuntiaret cordis lætitiam; ut ori gratiam non minueret, sed augeret:*

ret : tam modestus ; ut levitatis non posset esse suspectus : tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni tristitiæ nævo vel nebulâ vindicare sufficeret.

Quintò corrigenda est in nobis morositas, tristitia, & inhumanitas vultûs ; ita ut *nullus prorsùs sit nevè gestus, neq; motus, non verbum, non oculorum acris obtutus, non vultûs conformatio ulla, non aliud quippiam, ex quo eorum, quibuscum vivimus, irritari animus possit ;* ut inquit S. Basilius *serm. 1. de Instit. Monachor. Qui & serm. de abdicat.* monet, ut loquamur *adhibitâ quâdam oris festivâ hilaritate.* Id quod etiam Statuta Canonica Ordinis Præmonstratensis requirunt *dist. 1. c. 20. Sint in communi conversatione benigni atq; modesti ; in animi relaxatione cum religiosâ moderatione & gravitate læti.* Et *c. 22. Facies sit serena ; & hilaritatem potiùs exhibeat, quàm tristitiam. Omnes mores suos accuratè componant ; ut nihil sit torvum in oculis &c.*

Sextò vitandæ sunt etiam aliæ quædam inurbanitates, quæ præsentes offendere possunt ; videlicet *coram natu majore quàm tu, cave nè assidere festines. Quod si, ut id facias, jubeare ; nolito tu in pari cum illo sellâ sedere ; sed operam da, ut sellam tibi humiliorem aliquam invenias. Inter sedendum cave, nè crus cruri alteri superponas ; siquidem istud facere animi parùm attentè atq; aliud agentis indicium est. Cave, nè læva tua petulanter se jactet ; nevè spreto naturæ ordine imperium sibi in dexteram usurpet ;* uti monet S. Basilius *serm. de Abdicat. Indecens quoq;*

quoq; est, inter loquendum vestem alterius attrectare; aut salviâ ex ore prosiliente eum compluere: undè non nimis approximandum est ei, quo cum loquimur; sed justum semper intervallum mediare debet loquentem inter & audientem; quale est spatium unius passûs. Similiter non convenit, ut quis inter loquendum manu tractet vel gyret strophiolum, dentiscalpium, clavem, cingulum &c. Quod si forsan necessitas cogat exspuere, vel nares emugere; id fiat facie & corpore conversо ad latus illud, quod nemo claudit; ita ut sputum non projiciatur ante alios & sub aspectum illorum. Si verò utrumque latus claudatur ab adstantibus; tunc recedendum est nonnihil, & à tergo illorum ejiciendum est sputum, vel emungendæ nares. Fœdissimum autem est & maximè inurbanum, si quis nares purget aut emungat non Strophiolo, sed manu vel nudâ, vel chirothecis tectâ, vel etiam uno digito admoto sordes ejiciat. Item si quis mucum & materiam emunctam in Strophiolo intueatur & contempletur; vel Strophiolum ventilando & excutiendo, sordes inhærentes projiciat in terram. Indecorum quoque est, coram aliis purgare dentes, nares, vel aures immisso digito, cultro, scalpro &c. aut dum sentis pruritum in capite vel alio quovis corporis membro, illud fricare, aut manum intra vestes mittere ad sedandum pruritum &c.

Septimò abstinendum est in conversatione à nimiâ gesticulatione & motu brachiorum aut manuum, contorsione labiorum, corrugatione

frontis, agitatione humerorum, contractione narium, gyratione oculorum, inclinatione & applicatione corporis ad parietem &c.

165. Quinta conditio charitativæ conversationis est, ut *objectum* colloquii sit honestum, decens, & tam loquentium quàm audientium statui ac conditioni conveniens; nulliqúe sivè præsentium, sivè absentium præjudicans & noxium. Undè primò non est loquendum de vitiis & defectibus absentium moralibus aut naturalibus; sivè hi publici & notorii sint, sivè occulti; juxta illud tritum: *De Absentibus non nisi benè.* Secundò præsentibus vitia & defectus non sunt exprobrandi, aut in faciem objiciendi. Neq; in colloquium adducenda sunt ea, quibus prævidere possumus aliquem ex adstantibus fore irritandum, & ad indignationem provocandum; aut contristandum; vel confundendum, & rubore afficiendum. Hæc enim & similia causant animorum alienationem, diffidentiam, & aversionem; uti & manifestatio seu revelatio secretorum, irrisio, & improperium. Undè *Eccl. 22.* dicitur: *Ad amicum etsi produxeris gladium; non desperes: est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto convitio, & improperio, & mysterii revelatione, & plagâ dolosâ: in his omnibus effugiet amicus.* Tertiò omnium adstantium aures meritò offenduntur & exasperantur, si religiosum audiant loquentem de rebus obscœnis, aut fœdis, & indecentibus; de nuptiis, puerperiis, saltationibus, fœminis conjugatis vel solutis;

lutis; de formâ, ſtaturâ, veſtitu, aut inceſſu mulierum &c. Quia hæc omnia ſunt alieniſſima à vocatione, conditione, & ſtatu illorum, quem profeſſi ſunt, & ſacro Habitu præſeferunt.

§. 6.

De miniſterio fratribus exhibendo.

166. COnſiſtit hoc miniſterium in eo, ut fratribus noſtris ſpiritualibus exhibeamus ſervitia & charitatis officia tùm ſpiritualia tùm corporalia; Et hæc non tantùm honorifica ac ſplendida; ſed etiam viliſſima, & abjectiſſima; ſicut Chriſtus Dei filius exhibuit diſcipulis ſuis *Joann.* 13. Quandò ſurgens à cœnâ, mittens aquam in pelvim, *cœpit lavare pedes diſcipulorum*, ſuitque *in medio diſcipulorum, ſicut qui miniſtrat Luc.* 22. Undè ſubjungit *citato capite Joannis* 13. *Scitis, quid fecerim vobis? vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis: ſum etenim: ſi ergò ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter; & vos debetis alter aterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis; ita & vos faciatis. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos; ut & vos diligatis invicem.* Et S. Paulus *Galat.* 5. hortatur: *per charitatem ſpiritûs ſervire invicem: omnis enim lex in uno ſermone impletur: diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Item *Galat.* 6. *Alter alterius onera portate; Et ſic adimplebitis legem Chriſti.* S. Baſilius pro magno beneficio reputat, ſervire Fra-

Fratribus posse in necessitatibus etiam temporalibus & corporalibus ; sic enim ait *const it. Monast. c. 27. Nemo in adjuvandis communibus aliorum corporis necessitatibus operam denegare suam debet; quin suppliciter potiùs petendum est à Deo, ut facultatem adjuvandi cæteros ab ipso promereamur accipere.* Et *serm. 1. de Instit. Monachor. Quæ necessariò in communi conventu tractanda ministeria sunt, ea mutatis in orbem vicibus circumaguntor: ut humilitatis merces communis sit.* Atque hinc *serm. de Abdicat.* monet, ut quilibet ministeria sibi assignata & imposita personaliter obeat, & nulli alteri perficienda committat: *Nè passus sis, ut quæ propria muneris tui sunt, ea alius faciat: nè merces quoq; erepta tibi, alii tribuatur.*

167. Qualiter verò & quibus modis quilibet injuncta sibi ministeria Fratrum obire debeat, quâ charitate, promptitudine, & alacritate unumquodque opus ac laborem etiam vilissimum perficere, tradit idem S. Pater *serm. de Abdicat.* dicens ; *Quotiescunq; tuæ tibi in fungendis pro communi re Fratrum ministeriis vices obtigerint, in eo vigila, ut ad laborem corporis verborum etiam lenitatem adhibeas; ut ii, quibus ministras, charitatem te habere adversum ipsos intelligant: quò videlicet gratum sit illis ministerium tuum.* Et infrà: *assignato tibi ministerio cum modestia fungitor sedulitateq;, perindè ac si Christo ipsi ministrares, Maledictus enim homo, qui facit opera Domini negligenter: esto, quæ tibi præmanibus sunt ministeria, contempta admo-*

admodùm abjectaq; videantur. Magna res est alteri ministrare, ejusmodiq;, ut per eam nobis ad cœleste regnum ascensus paretur. Causam dat *in Regul. brevior. interrogat.* 160. Quia scilicet ministeria Fratribus nostris exhibita, ipsi Christo præstantur. Cùm enim interrogâsset, *cujusmodi animi affectione debeamus Fratribus ministrare?* respondet: *perindè ac si Domino ipsi ministraremus, qui dixit: quatenùs fecistis uni de his Fratribus meis minimis mihi fecistis.* Aliam dat *in Constit. Monast. c.* 24. dicens: *Intelligendum illud est, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum studio, magnâq; cum animi alacrite suscipere; scientem, nihil minutum esse, quod Dei causâ fiat, sed grande & spirituale, & ejusmodi, quod cœlum nobis & præmia cœlestia conciliat. Si de muneribus iis, quæ abjectiora sunt, aliquid exercendum sit, scire convenit, Salvatorem quoq; ipsum discipulis ministrâsse, & abjectiora opera facere non recusâsse; magnumq; homini esse, si Dei imitator existat; cùm per hæc, quæ humilia sunt, ad altitudinem illam, quod illum est imitatus, ascendat. Quanquàm quis jam humile ausit quippiam appellare, quod Deus ipse attingere non recusavit?*

168. Ex his autem S. Patris & Doctoris Ecclesiæ verbis colligitur, quàm graviter errent, ac seipsos defraudent, qui hujusmodi fratrum ministeria reputant & vocant *difficilia Religionis onera*; illaque vel planè subterfugiunt & excutiunt tanquàm jugum importabile; vel non

nisi

nisi invito & indignabundo animo faciunt; aliquando etiam ut nimis vilia & abjecta, suoque statu indigna, & solis Novitiis convenientia non sine murmure & stomacho recusant. Nam imprimis vile, abjectum & contemptibile non est, quod ipse Dei Filius, cœli terræque Dominus propriis suis manibus obivit, & suo exemplo nobilitavit, dignificavit, ac magnificavit. Deindè tales præter superbiam suam, quâ servire aliis detrectant, satis etiam produnt, & manifestè convincuntur, quod proximos & confratres suos nondum corde & opere diligant. Charitati enim nhil grave & onerosum videtur, dicente Apostolo, *1. Corinth.* 13. *Charitas patiens est: Omnia suffert; omnia sustinet.* Nec potest legem charitatis adimplere, qui fratrum suorum onera portare recusat; sicut dicit idem Apostolus. *Galat.6. Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi.* Cumque S. Joannes *1. Epist. c.* 3. dicat; *In hoc cognovimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit; Et nos debemus pro fratribus animas ponere*: Quomodò tales animam seu vitam ponent pro Fratribus; qui modicum & brevem corporis laborem, molestiam, difficultatem in ministerio Fratrum tolerare nolunt? Præterea sunt ministeria & servitia, quæ Fratribus exhibentur, ipsi ministranti & servienti summoperè proficua & utilia: Nam primò in illis non solùm imitamur Christum Dei Filium in terris conversantem, & ipsi conformamur; sed insuper ministrando Fratribus, ipsi Chri-

Christo ministramus. Dicit autem Christus ministris suis *Joann.* 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur ; Et ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Secundò cùm in ministeriis Fratrum communiter sit adjunctus quidam labor, difficultas, & molestia ; hinc fit, qnod satisfactoria sint ejusmodi opera pro pœnis temporalibus in hac vel alterâ vitâ exolvendis ; sicut docet Tridentinum *Sess.* 14. *De Pœnit. c.* 9. Tertiò quia servitia Fratribus exhibenda sunt quædam corporis & animi erga ipsos submissio & humiliatio ; per illa viam nobis sternimus ad virtutem profundæ Humilitatis obtinendam: *Humiliatio* enim *via est ad Humilitatem; sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis ; nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi ;* inquit S. Bernardus *Epist.* 87. Undè S Augustt. *tractatu.* 58 ait : *Cùm ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius Humilitatis affectus.* Quartò cùm vita communis Religiosorum stare & durare non possit sine ministeriis & servitiis corporalibus ; neque etiam functiones spirituales (cujusmodi sunt Laus Dei in Choro, prædicatio verbi Divini, Catechesis, Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ administratio &c.) ritè peragi valeant ; nisi aliqui sint, qui vitæ necessaria curent, & in corporalibus ministeriis serviant iis, qui propter sublimiores mentis occupa-

cupationes exteriora hæc tractare impediuntur: hinc planè sequitur, quod illi, qui in Religiosâ communitate exhibent necessariâ corporis & vitæ ministeria his, qui in Laude Dei, Officio prædicandi, catechizandi, confessiones pœnitentium excipiendi, aliisque spiritualibus functionibus sunt constituti, vel per studia litterarum ad easdem se disponunt & perficiunt, cum iisdem spiritualibus operatoribus participent in omnibus eorum fructibus & meritis; quia ad omnes eorum spirituales functiones suo modo concurrunt, & illis cooperantur. Sumus enim invicem membra unius corporis mystici; uti ostendit Apostolus *Rom. 12.* dicens: *Sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Sicut igitur Deus in corpore humano ita disposuit, ut nullum membrum sibi soli operaretur, sed omnia & singula pro bono & conservatione totius corporis laborarent; & quodlibet etiam minus nobile de fructu, operatione & labore aliorum participaret; quamvis eandem cum illis actionem immediatè neutiquam exerceret: ita in congregatione Religiosâ, ubi nullus sibi soli operatur, sed omnes & singuli ad totius bonum & finem suo modo concurrunt, quamvis non per eandem actionem; quilibet etiam de Bono & Fine totius participat, ac meritorum & præmii aliorum fit particeps; juxta illud 1. *Reg.* 30. *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas,*

cinas, quia uterque suo modo concurrit ad victoriam. Id quod colligitur etiam ex S. Augustin. *serm. 14. de Sanctis*; ubi ait de Saulo vestes lapidantium Sanctum Stephanum asservante: *Non satis ei fuit, suis eum manibus lapidare; sed ut esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat, magis saeviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando.* Sicut enim ideò Saulus omnes lapidantes adjuvabat, & in singulorum manibus erat, quia asservando vestes eorum, faciebat, ut reliqui expeditiùs & sine impedimento possent lapidare: ita meritò dici potest, quod illi Religiosi, qui curando temporalia, & serviendo aliis suis Fratribus ejusdem congregationis in ministeriis corporalibus, causa sunt, cur hi promptiùs, liberiùs, & expeditiùs possint obire functiones suas spirituales erga Deum & Proximum, sint in omnium spiritualiũ operariorum manibus, & plus præstent ac majus præmium mereantur omnes adjuvando per suum ministerium corporale, quàm si propriis suis linguis prædicarent.

§. 7.

Quæ requirantur conditiones ad operum nostrorum ordinariorum rectitudinem & perfectionem.

Ex parte modi operandi.

169. QUamvis opera ordinaria, quæ quilibet Ordo Religiosus ex vitâ Christi transumpsit, ac certis Regulis & constitutionibus

præscripsit, ex objecto suo honesta sint & laudabilia; utpotè quæ spectant vel Divinæ Majestatis cultum, vel ad nostram, aut alienam salutem: Nihilominùs ut eadem opera sint perfecta; & nos operantes constituant ac denominent perfectos; certas adhuc conditiones exigunt tum ex parte subjecti, & principii operantis; tum ex parte modi operandi; tum ex parte finis, ob quem exercentur. Et quidem *ex parte subjecti ac principii operantis* diximus jam suprà, requiri statum gratiæ, ut videlicet operans sit liber & purus ab omni peccato mortali, & præditus gratiâ sanctificante seu habituali, justus & Amicus Dei. Nam *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. *Corinth.* 13. Quid ex *parte finis* requiratur, ut opera nostra sint perfecta, dicam inferiùs. §. 9. Nunc autem agetur solùm de conditionibus tenentibus se *ex parte modi operandi.* Porrò non est sermo hic de illâ perfectione operum, quæ exigitur ab iis, qui in tertio gradu perfectorum sunt jam constituti; sed tantùm inquiritur, quas conditiones Novitii seu Tyrones, qui in primo adhuc gradu comprehenduntur, observare debeant in operando, ut eorum opera suo modo sint perfecta.

170. *Prima* igitur conditio est, ut quodlibet opus præscriptum fiat integrè, totaliter, completè, & secundùm omnes suas partes, prout in Regulâ vel Statutis ordinatur. Hoc enim est, quod

quod dicitur *Eccl. 33. In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Et *Matth. 3. Decet nos implere omnem justitiam. Quia bonum ex unâ integrâq; causâ existit;* ut inquit S. Dionysius *lib. de Divinis Nomin. c. 4.* Undè *Eccl. 7.* dicitur; *Qui timet Deum, nihil negligit;* etiamsi parvum videatur. Et Apostolus 1. *Corinth. 15.* hortatur, ut simus *abundantes in opere Domini semper; scientes, quod labor noster non est inanis in Domino.* Qui autem abundat in opere, is nullum in illo admittit defectum. Deniq́ue Christus, qui est perfectissimum nostrum in operando exemplar, ad Patrem suum ait. *Joann. 17. Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Et *Joann. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Secunda conditio est, ut in operando servetur ordo debitus & præscriptus, singulaq́ue opera certis & statutis suis horis ac temporibus peragantur, juxta ilud Apostoli 1. *Corinth. 14. Omnia honestè & secundùm ordinem fiant.* Nam *si in humanis & corporalibus rebus expedit omninò, ut ordo servetur; nè confusione deficiant: Quantò magis in spiritualibus habendus est?* inquit B. Laurentius Justinianus. *lib. de Disciplin. & Perfect. Monast. conversat. c. 10.* Ubi etiam addit, maximi procul dubio periculi rem esse, *prout suggerit animus, velle degere. Propterea cunctis consulendum est, ut taliter unumquodq; disponant opus, quatenùs quælibet hora propriam habeat actionem: Sciant, quando orationi, quando lectioni, quando operi manuum incumbendum*

sit. Servanda est igitur temporis & horarum pro quolibet opere distributio, sicut in Regulâ & constitutionibus ordinatum & dispositum est: Qui autem eam dispositionem negligit, is turbator est communitatis, & Dei ordinationi resistit; atque ideò, quia juxta propriam suam voluntatem operatur, omni se fructu obedientiæ privat. *In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*; inquit Deus *Isaiæ* 58. *Nunquid tale est jejunium, quod elegi?* Quod de omni opere Religionis dici potest, si non tempore suo fiat, & contra ordinem præscriptum. Undè B. Laurentius Justinianus supra ait, tales effici ludibrium immundorum spirituum, qui *lectioni vacant, cùm orare deberent; orationi insistunt, cùm liceret operari.* Censetque hanc in operando confusionem & disordinem esse adscribendum imprudentiæ eorum. Nam *qui pollent prudentiâ, suo tempore orant, suo tempore legunt, suo tempore manibus operantur; singula singulis suis peragunt horis.* S. Bonaventura *in Speculo Discipl. part.* 1. *c.* 4. ait: *Habenda est in agendis obedientiæ sanctæ authoritas: sine quâ nec etiam ipsa bona sunt bona: voluntas siquidem propria boni virtutem infirmat.*

Tertia Conditio est, ut in operando non simus inconsiderati, leves, remissi, negligentes, perfuctorii, tepidi, tædiosi, ex merâ tantùm consuetudine opera nostra facientes; sed ut nos exibeamus alacres, gnavos, ferventes, strenuos, excitatos, & fortes, *stabiles* & *immobiles*. 1. *Corinth.* 15, firmiterque persistamus contra diffi-

difficultates; *Sollicitudine non pigri, ferventes, Domino servientes. Roman.* Fervor enim, alacritas, promptitudo decet fidelem & prudentem Dei servum; sicut ait. B. Climacus *grad.* 1. *Quis est fidelis & prudens Monachus? qui fervorem suum servavit inextinguibilem; Et indies usq; ad finem vitæ suæ ignem igni adjicere, fervorem fervori, desiderium desiderio, & studium studio nunquam desiit.* Econtrà tepiditas, animi remissio, & tædium in operando facit nos Deo execrabiles; nam *maledictus, qui facit opus Dei neligenter. Jerem.* 48. *Et Apoc.* 3. ait Christus cuidam operario tepido: *Scio opera tua: quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Undè Eusebius Emissenus *homil.* 3. *ad monachos. Ille tantorum munerum repromissor Deus non vult in opere suo habere tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indevotum.* Et *homil.* 6. *Hoc maximè studeamus, ut illa, quæ in honorem Dei agimus, cum claro agamus animo, cum fidei gaudio, & cum bono devotæ voluntatis affectu. Quidquid inviti atq; compulsi facimus, noverimus nos ex eo non solùm nullum habere fructum, sed maximum incurrere detrimentum. Si cultus atq; honor hominis hilaritatem requirit, quantò magis in honore Dei nostri observare debemus, nè ad obsequia ejus compulsi, nè tristes, nè inviti veniamus. Non respicit Deus ad munera, quæ negligenti ac vili animo offeruntur.* Fervor in operando facit, ut Deus per suam gratiam liberaliùs nobiscum concurrat ad opera nostra.

Quando videt Spiritus Sanctus fervens desiderium & vigilem mentem, tunc & gratiam suam opulentam liberaliùs largitur. inquit S. Chrysostomus *homil. 3. in Genes.* Fervor in operando facit, ut difficultates in quotidianis operibus nostris occurrentes faciliùs superemus; & fervore nobis opus est, ut illis difficultatibus non cedamus; sicut ait idem S. Chrysostomus *homil. 31. ad Popul. Magnum quoddam est, charissimi, generosus & ingens animus; & propterea promptitudine nobis opus est, ardore multo, animo ad mortem exposito: alioqui non licet nisi cruci confixum Regnum assequi.* S. Laurentius Justinianus *lib. de inter. const. c.* 11. describit tepidorum & ignavorum Religiosorum opera his verbis: *Relaxant oris sui custodiam, morum gravitatem, mentem incultam permitiosâ otiositate relinquunt, virtutum habitus & perfectionis culmen obtinere se posse diffidunt. Sat esse arditrantur, si perseverent in claustro, si delicta priora non repetant, si in aperto opere non delinquant mortaliter. Quamobrem orationem negligunt, abhorrent pugnam, fugiunt sanctitatem &c. Nempè ignaviæ torpore oppressi, & charitate frigidi, & in spirituali prælio sunt infirmi. Solâ ducuntur consuetudine; Et plerumq; necessitate, atq; sui rubore compulsi, tam illa, qua ad divinum cultum pertinent, quàm illa, quæ utilitatibus inserviunt, proximorum, remisso peragunt corde. Detestantum est prorsus hoc hominum genus, &c.* S. Bernardus etiam *serm. 6. de Ascensione Domini* fervidorum, & tepidorum Reli-

Religiosorum actiones depingens, ait: *Advertere potes in omnibus ferè Religiosis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, jucundos semper & hilares, spiritu ferventes, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò suspicientes in cœlum, & puras manus in oratione levantes, Solicitos observatores conscientiæ, & devotos sectatores bonorum omnium: Quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves, labor manuum delectabilis, & universa deniq; conversationis hujus austeritas refrigerium videatur. Contrà sanè invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis & rara compunctio animalis cogitatio, tepida conversatio; Quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Quos deniq; (uti videmus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet. Non tibi horum vita inferno penitùs appropinquare videtur? dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur; socii planè tribulationis, sed non consolationis* Subdit deniqúe: *Exurgamus obsecro, quicunq; ejusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes pernitiosam tepiditatem; Et si non, quia periculosa est, & Deo solet etiam vomitum provocare; certè quia molestissima, plena miseriæ &*

doloris, & inferno planè proxima, umbra mortis jure censetur.

Quarta conditio & priori affinis, in hoc consistit, ut opera nostra ordinaria peragamus cum spirituali gaudio & lætitiâ, in hilaritate animi, & mentis exultatione; juxta illud *Psalm.* 99 *Servite Domino in Lætitia.* Et *Eccli.* 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Item 2. *Corinth.* 9. *Non ex tristitiâ aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* S. Laurentius Justinianus *de Discipl. & perfect. Monast. conversat. c.* 24. ait: *Dei servus famuletur lætanter; ut Deo amabilis reddatur: Sanctosq; imitetur Angelos, qui indicibili dulcedine & jucundissimâ conditori suo obediunt charitate.* Et S. Bernardus sermone de virtute Obedientiæ: *Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Nubilosa corporis compositio, & facies tenebris obfuscata tristitiæ, devotionem ab animo recessisse signant. Quis imperat libenter tristitiam efflanti? si vis ergo perfectus esse, hilariter & cum magnâ vultus alacritate suscipe jubentis imperium.*

Quinta conditio est, ut opera nostra ordinaria, cùm sint plerumque actus virtutis Religionis ad Dei cultum ordinati, vel ad proximi salutem & ædificationem pertinentes, cum magnâ circumspectione, reverentiâ decore, & externâ modestiâ peragamus: Quia in illis obeundis *spectaculum sumus mundo, & Angelis, & hominibus; 1. Corinth.* 4. Maximè autem Deo Undè *ipse incessus, & motus, vultus, sermo*

silen

silentium quandam decori sacri preferant dignitatem; uti monet S. Hieronymus *in c. 2. Epistolæ ad Titum. Sanctorum enim non tantùm verba, sed etiam ipsi vultus spirituali gratiâ pleni sunt*; teste S. Chrysostomo *homil. 3. ad Popul.* ita ut intuentes suâ modestiâ provocent ad cõcipiendam condignam de rebus & functionibus sacris existimationem; sicut de S. Mileto Episcopo Antiocheno refert idẽ Chrysostomus, *quod non solùm docens aut loquens, sed etiam si videretur, satis erat ad inducendam virtutum cœlestium doctrinam in eorum, qui videbant, animos.*

§. 8.

De mediis ad hunc operandi modum pertingendi.

171. UT verò assuescamus, opera nostra ordinaria juxta recensitas superiùs conditiones perficere; poterunt servire media sequentia: *Primum* est *virtus obedientiæ*, quæ inclinat voluntatem ad exequendum jussa Præpositorum: Nam objectum materiale hujus virtutis sunt omnia opera ordinaria, actiones, exercitia, & functiones in Regulis & constitutionibus Præscriptæ; uti & opera illa, quæ per Superiorem juxta Regulam imponuntur. Undè primus & infimus illius gradus est, exequi & perficere omnia opera injuncta integrè, totaliter, completè, & sine defectu alicujus partis vel circumstantiæ requisitæ; Qui gradus vocatur *Obedien-*

tia operis. Alter verò illius gradus est, prædicta opera & functiones exequi insuper libenter, promptè, alacriter, cum propensione voluntatis, & lætitiâ spirituali. Quæ *Obedientia voluntatis* nuncupatur, & priore existit perfectior. De quâ S. Columbanus *in Regul. c. 3. Nihil recusandum est Obedientibus veris discipulis Christi, quamvis durum & arduum sit; sed cum fervore & lætitiâ accipiendum est. Quod si talis non fuerit Obedientia, non erit acceptabilis Deo.* Et S. Bernardus *serm. de Obedientia: Verus obediens mandatum non procrastinat; sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri; & sic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Verus igitur obediens opera suæ vocationis ordinaria non negligit; non mutilè & defectuosè illa peragit; non obiter, levi brachio, remissè, tepidè, & cum fastidio illa adimplet; non ea differt in tempus non suum: sed in quovis opere ita se gerit, ut possit fiducialiter cum Christo dicere in fine & articulo vitæ: *opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Joann.* 17. Novit enim, quod Deus *reddet unicuiq; secundùm opera ejus. Matth.* 16. Et quod morientes *sequuntur opera illorum. Apocal.* 14.

172. *Secundum* medium est, ut semper inter operandùm recogitemus, quod omnia nostra exercitia, functiones & opera faciamus in præsentiâ, conspectu, & oculis Dei cuncta cernentis & accuratissimè contemplantis: *verebar omnia opera mea*, inquit Job. *c.* 9. Quia *ipse considerat*

derat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat; ut idem ait *c.* 31. Et S. Augustinus *c.* 14. *Soliloq. Dum attentè considero, Domine, quod in me perpetuò respicias, itaq; noctu & interdiu pro me excubes, ac si aliam in cœlo sursùm & in terrâ deorsùm præter me creaturam gubernandam non haberes; dum inquam attentè considero, omnia opera, cogitationes ac desideria mea tibi patere, & aperta ante oculos tuos esse; timore pariter & confusione impleor. Magna certè nobis incumbit necessitas justè rectèq; vivendi; cùm videamus, omnia nos facere ante oculos Judicis cuncta cernentis.* De quibus Dei oculis dicitur. *Eccl.* 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Suggerit hoc medium Deus ipse Abrahamo Patriarchæ *Genes.* 17. dicens: *Ambula coram me, & est perfectus,* quasi dicat: si ambules coram me & in conspectu meo, jugiter recogitans præsentiam meam; eris in operibus tuis perfectus. De Enoch verò, qui placuit Deo, & fuit perfectus in viis suis, dicit Scriptura *Genes.* 5. *Ambulavit cum Deo*, id est, coram Deo, in oculis & in conspectu Dei; uti explicant interpretes. Econtrà de impio dicit Propheta Regius *Psalm.* 9. *Non est Deus in conspectu ejus: Propterea inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

173. *Tertium* medium est, ut unumquodque opus & functionem, dum præsens ac sub manibus est, taliter peragamus, & ita toti in eâ simus, quasi

quasi nihil aliud nobis prætereà supereſſet peragendum; identidem nobis ipſis occinentes illud, quod ſacrificulis olim acclamabat præco: *Hoc age, quod agis.* Quis enim urget & premit nos in Religione, ubi cuncta opera ſunt ordinatiſſimè diſtributa, & ſuum cuique certum tempus eſt præfixum? Quis, inquam, exactor à tergo inſtat, ut de futuro opere cogitemus, dum præſens adhuc ſub manibus verſatur? Si teſtante Eccleſiaſte *c.* 3. *Omnia tempus habent*; non eſt ratio, cur per curam præproperam & immaturam ſolicitudinem negotii præſentis executionem præcipitemus; & ad aliud, cujus peragendi tempus nondum advenit, feſtinemus. Scilicet inſignis hæc tentatio eſt Diaboli, conantis efficere, ut nullum opus faciamus exactè & perfectè. Undè Magiſter Avila *tom.* 3. *Epiſt.* monet. *Quando mentem rei alicujus cura importuno tempore occupârit, dicito: Nihil tale mihi nunc Dominus meus imperat; ac propterea de eâ cogitare opus non habeo: at cùm id mihi Dominus meus injunxerit; tunc de illo tractabo.* Quia *omni negotio tempus eſt, & opportunitas. Eccl.* 8.

174. *Quartum* medium eſt, ut quodlibet opus & negotium ita tractemus, tanquam id ultimum & totius vitæ noſtræ ſupremum foret. *In omni opere ſuo dicat ſibi ipſi: ſi modò moriturus eſſes, faceres iſtud?* inquit S. Bernardus *in ſpeculo Monachor.* Et S. Baſilius *inſtruct. ad Filium Spiritual. Semper ante oculos tuos verſetur ultimus dies: cùm enim diluculo ſurrexeris; ad veſperam te ambigas pervenire; & cum in lectulum ad quieſcen-*

escendum membra tua posueris, nolis confidere de lucis adventu. Refert S. Athanasius *in vitâ Magni Antonii c.* 21. de Discipulis ab eo institutis: *Erant in monte Monasteria tanquam tabernacula, plena divinis chorus psallentium, legentium, orantium; Tantumq; jejunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo ejus afflaverat, ut futuræ spei aviditate, ad charitatem mutuam & misericordias indigentibus exhibendas jugi studio laborarent &c. Quis tantum Monachorum agmen aspiciens, quis virilem concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, sed multitudo abstinentium & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem: Quàm bonæ domus tuæ Jacob, tabernacula tua Israel!* Sermo autem S. Antonii, qui tantum Discipulis ardorem ad præfatorum bonorum operum studium afflaverat, ut in eo exercitio non langueſcerent, refertur ab eodem Athanasiio *ibidem c.* 15. Ubi S. Antonium introducit ita loquentem: *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lasseſcere; sed quasi incipientem augere semper, quod cœperit. Ad inertiam autem calcandam, Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur: similiter & nos humanæ conditionis vitam ancipitem retractantes, non peccabimus. Cùm enim excitati à somno, ad vesperum nos pervenire dubitemus; & quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus adventu, & ubiq; naturæ ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus providentiâ gubernari, hoc modo non delinquemus, aut aliquâ fru-*

fragili cupiditate raptabimur; sed nec irascemur quidem adversus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus: quin potiùs metu quotidiani recessûs & sejungendi corporis jugi meditatione omnia caduca calcabimus; Idem monuit circa finem vitæ & proximus morti; dicens: *Desidiam instituto non debere subrepere; sed tanquam quotidiè morituros, à sordidis cogitationibus animam custodire, & omnem æmulationem ad Sanctos quosq; convertere.* Hoc igitur Sancti viri documentum, & discipulorum illius exemplum sectantes, cogitemus in quolibet opere, quod unum aliquod sit futurum ultimum & novissimum, post quod non licebit amplius operari. *Negotiamini, dum venio. Luc. 19.* Et: *venit nox, quando nemo potest operari. Joann. 9.* Quia autem nescimus, an non fortè hoc ipsum opus, quod sub manibus versatur, sit ultimum (*nescit* enim *homo finem suum*) illud non obiter, sed tanquam ultimum accuratè, diligenter, & cum magno conatu peragamus; juxta monitum Apostoli: *Dum tempus habemus, bonum operemur.* Et *Eccle. 9. Quodcunq; facere potest manus tua: instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* Item Poetæ:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

175. *Quintum* medium est, ut soliciti simus, & proponamus tantummodò pro die præsenti; juxta monitum Christi *Matth. 6. Nolite soliciti esse*

esse in crastinum, crastinus enim dies erit solicitus sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. Qui enim proponit aliquid observare aut facere, vel ab aliquo abstinere pro toto vitæ suæ tempore; is sæpè à diabolo tentatur & absterretur his aut similibus suggestionibus: Quid? tunè tot annis sustinebis rigorem hujus disciplinæ? semper ad matutinum mediâ nocte in choro decantandum surges? in mensâ nunquam ad satietatem comedes? alterius semper voluntatem facies? tantum frigus per plures, quibus adhuc victurus es, hyemes perferes? &c. Verum qui non ulteriùs quàm pro die præsente solùm proponit aliquid servare aut evitare, hic facilè Diaboli suggestiones explodit, respondendo: Non est, quod de observatione propositi mei in plures annos, menses, aut dies continuandâ sim solicitus: dummodò hoc præsenti die à tali peccato vel imperfectione abstineam; dummodò hodie exercitia mea ritè peragam &c. crastinâ die videbimus deindè, quid ulteriùs faciendum incumbat: sufficit diei malitia, labor, & solicitudo sua. Si enim hodie adhuc morerer, non requireret Deus à me rationem de futuro, sed tantùm de præterito tempore, & præsenti die mihi concesso. Quinimò utilissimum erit, proposita sua concipere non pro integro die; sed tantùm pro aliquâ illius parte v. g. ab Examine matutino usque ad meridianum, & ab hoc usque ad vespertinum; prout suis præscripsit S. Ignatius de Examine particulari; & in praxi observavit Monachus ille in vitis Patrum *lib. 5. de continent. libello*

bello 4. *n.* 58. ubi dicitur : *Esuriit quidam Frater à manè; & pugnavit cum animo suo, nè manducaret, donec fieret hora tertia. Et factâ horâ tertiâ exegit à se, ut fieret hora sexta; infudit panem & sedit, ut manducaret. Posteà verò surrexit, dicens: manebo sic usq; ad horam nonam. Horâ autem nonâ fecit orationem, & vidit opus Diaboli sicut fumum exeuntem à se; & ita cessavit esuries ejus.*

176. *Sextum* medium est, ut per actus frequentatos & sæpè repetitos contrahamus consuetudinem, opera nostra quotidiana & ordinaria peragendi sine defectu, accuratè, & exactè juxta Regulas & Statuta Ordinis Nostri. Talis enim consuetudo & habitus quo fortior fuerit & intensior, eò faciliora, suaviora & sapidiora nobis reddet exercitia nostra quotidiana; sicut docet S. Bernardus *lib. 1. de considerat.* dicens: *Primùm tibi importabile videbitur aliquid: processu temporis, si assuescas; judicabis non adeò grave: paulò post & leve senties: paulò post etiam delectabit.* Id quod maximè locum habet in Novitiis, si maturè incipiant opera vocationis suæ ritè peragere; & assuescant in illis exacti, punctuales, & accurati esse: *Adolescens* enim *juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eâ. Proverb. 22.* Et *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentiâ suâ. Thren. 3.*

177. *Septimum* medium est, ut in exercitio operum ordinariorum & functionum quotidianarum vocationis nostræ nunquam tepescamus, aut segnes & remissi fiamus; sed in fervore pristino

stino semper persistentes, alacres & indefessos nos diu noctuque exhibeamus. Communis siquidem spiritualium Magistrorum sententia est, diuturno usu comprobata, quod Religiosus semel in teporem incidens & ignaviam, ægerrimè sit indè eluctaturus; ita ut miraculi ac prodigii instar haberi soleat, si talis ad primum fervorem revertatur. Undè S. Bernardus *Epist.* 96. Monachorum tepidorum & vitam remissam agentium conversionem nominat *Digitum Dei*; subditque: *rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem fortè in Religione semel attigerit, vel parùm ascendat. Multò facilius reperies multos sæculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de Religiosis tepidis & ignavis ad melius.* Et S. Augustinus *Epist. ad plebem Hipponens.* 137. *Ex quo Deo servire cœpi, quomodò difficile sum expertus meliores, quàm qui in Monasterio profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt. Ita ut communiter nulla vel exigua spes concipi possit de iis, qui in Religiosâ vitâ deficere & obtorpescere incipiunt*; uti inquit Alphonsus Rodericus *part.* 1. *de Exercit. Perfect. tract.* 2. *c.* 8. *n.* 4.

§. 9.

Quid requiratur ad rectitudinem operum nostrorum ex parte finis.

178. *Finis*, propter quem operamur, est una ex præcipuis circumstantiis actuum humanorum; ita ut finis moraliter malus efficiat a-

ctionem malam in genere moris; indifferens indifferentem, bonus bonam; nisi hæc aliundè inficiatur. Undè Christus *Matth. 6.* reprehendit Pharisæorum orationes & eleemosynas; eò quod hæc opera cæteroquin bona facerent ex vano & malo fine, nempè *ut videantur ab hominibus.* Quamvis autem non sit vituperabilis, sed honestus, laudabilis, & bonus finis, si quis operetur propter retributionem supernaturalem v. g. propter consecutionem vitæ æternæ & præmii cœlestis; quomodò Propheta Regius se operatum esse testatur *Psalm.* 118. dicens: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes propter retributionem;* & S. Paulus *Hebr.* 11. scribit Moysen aspexisse *in remunerationem.* Ac propterea Concilium Tridentinum anathematizat eum, qui *dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur;* uti habetur *in Can.* 8 *sess. 6. de justificat.* Nihilominus Religioso ad perfectionem tendenti non est sistendum in hoc fine; primò, quia operari propter commodum & utilitatem propriam est mercenariorum; sicut testatur S. Dorotheus *serm.* 4. dicens: *Si pœnam formidamus, in servili statu sumus: si verò mercedis lucra consectantes, utilitatis & commodi proprii gratiâ divina mandata peragimus, mercenariis assimilamur: Nequaquam enim timore pœnæ, aut præmii cupiditate viri sancti voluntatem Dei faciunt, sed solo amore & benevolentia.* Secundò, quia finis hic in operibus nostris intentus non sufficit ad merendum de condigno præmium supernaturale; sicut expresè docet

docet S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 4. *Et alibi.* S. Bonaventura *in* 2. *dist.* 41. *a.* 1. *q.* 3. Scotus, Bellarminus *lib.* 5. *de Justificat. c.* 15. *cum aliis;* Qui omnes requirunt intentionem finis ex charitate Dei actuali elicitam; probantque ex verbis illis Apostoli 1. *Corinth.* 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Deus igitur debet esse *finis* omnium operum & actionum nostrarum, non quatenùs nobis bonus, benevolus, & beneficus; non quatenùs remunerator est; sed quatenùs in seipso bonus & summum Bonum est; adeoque intendi à nobis debet per actum charitatis & *amorem benevolentiæ* sivè *amicitiæ:* Nam Scriptura dum operibus nostris promittit præmium supernaturale, semper requirit actum charitatis: uti *Matth.* 5. *Beati estis, cùm maledixerint vobis propter me: gaudete & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth.* 19. *Qui reliquerit domum &c. propter nomen meum, centuplum accipiet.* 1. *Corinth.* 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum. Jacob.* 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ; quam repromisit Deus diligentibus se. Galat.* 5. dicitur, quod fides illa aliquid valeat, quæ per charitatem operatur. Undè S. Thomas. 1. 2. *q.* 114. *a* 4. ait, quod *meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes se-*

cundariò, ſecundum quod earum actus à charitate imperantur; adeoque ſi opus quodcunque non fuerit actus charitatis vel elicitus, vel imperatus, non merebitur de condigno vitam æternam.

179. Quamvis autem contraria Doctorum ſententia non careat etiam ſuâ probabilitate, videlicet quod opera bona ſine charitate actuali mereantur quoque præmium ſupernaturale; Nihilominùs conandum eſt Religioſo & tendendum ſemper ad finem perfectiſſimum, quem Chriſtus Dei Filius in terris ambulans omnibus ſuis operibus præfixit; utpotè cujus Actiones tam externæ quàm internæ ſemper procedebant ex puriſſimo amore erga Deum; & qui nihil aliud ſpectabat niſi voluntatem, beneplacitum, honorem, & glorificationem Dei; ſicut ipſe ait *Joann.* 4. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me; ut perficiam opus ejus. Et Joann.* 8. *Ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Item *Joannis.* 17. *Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam; manifeſtavi nomen tuum hominibus* &c. Undè Apoſtolus nos hortatur ad intentionem ejusdem perfectiſſimi finis. 1. *Corinth.* 10. *Sivè manducatis, ſivè bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et *Coloſſ.* 3. *Omne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini Jeſu Chriſti*; ita quidem, ut non ſolùm in principio diei generalem quandam operibus noſtris per diem faciendis intentionem præmittamus, quâ ad

Deum

Deum ut ultimum finem noſtrum ea referamus; ſed inſuper ante quodlibet opus particulare, eliciamus etiam particularem intentionem; imò ſub uno eodemque opere, ſi diutiùs illud duret, aliquoties renovemus & reiteremus intentionem, ex nullo alio fine & motivo quàm charitatis procedentem; uti cum aliis Theologis & Magiſtris ſpiritualibus notavit S. Bonaventura *in 2. ſentent. diſt. 41. a. 1. q. 3.* dicamusque ex intimo cordis affectu: *Hoc, mi Deus, qui & ſummum et infinitum bonum, agam, vel patiar propter te, quia tibi placet, quia tu vis & præcipis, ad tuam gloriam, tui ſolius amore, tibi ſoli placendi gratiâ &c.*

180. Porrò nè quis ſeipſum decipiat, exiſtimando, ſe in operibus ſuis nihil aliud quærere niſi Deum, & ſolam ipſius voluntatem, beneplacitum, honorem ac gloriam intendere; cùm reipsâ forſan nihil minùs intendat, ſed potiùs ſe ipſum & propriam utilitatem vel gloriam quærat: hinc ſpirituales Magiſtri ſtatuerunt certa quædam ſigna, ex quibus dignoſci & diſtingui poſſit vera intentio ex charitate Dei procedens à falsâ & fucatâ intentione.

Primum eſt: ſi in actionibus neceſſitati corporis ſubſervientibus, cujusmodi ſunt refectio corporis per cibum, potum, quietem, ſomnum, recreationem &c. advertenter & voluntariè metam neceſſitatis exceſſeris, plusque tibi indulſeris, quàm neceſſaria corporis vel animi refocillatio poſtulabat; tunc ſignum manifeſtum eſt, te non voluntatem & beneplacitum Dei,

sed tuam commoditatem & voluptatem in iis actionibus intendisse.

Secundum: si defectum aliquem, quem in cibo vel potu, aut recreatione, & similibus pateris, non feras æquo animo; sed propterea impatientem te exhibeas; tunc hoc ipso ostendis, te non respicere ad voluntatem & beneplacitum Dei; utpotè qui hic & nunc vult, talium te rerum penuriam, defectum, & indigentiam pati.

Tertium: si Alio quodam in functionibus publicis v. g. in concionibus, catechesi, cantu, & similibus majorem populi plausum & laudem, vel etiam fructum referente, tu propterea tristeris, angaris, perturberis; aut non tantam capias voluptatem, quantam percepisses, si tu ipsemet hujusmodi munia cum simili successu peregisses; tunc apertè convinceris, quod non Dei gloriam & honorem, sed tui solius gloriam intenderis: si enim Dei gloriam tantùm spectâsses, sanè ex animo optâsses, ut quàmplurimi essent concionatores, confessarii &c. qui Dei gloriam & honorem promoverent; sicut fidelis Dei famulus Moyses quondam optavit, dicens: *Quid æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet. Num.* 11.

Quartum: si post impensum & adhibitum sufficiens ac debitum in functionibus tuis studium, nihilominùs advertas, minùs feliciter eas tibi successisse, nec fructum expectatum te indè retulisse; ac propterea turberis, affligaris, & animo dejiciaris; tunc manifestum est, quod aliud quid intenderis, quàm Dei Beneplacitum & gloriam

riam. Qui enim ſolius Dei voluntatem reſpicit & attendit; is ſemper placidum, tranquillum, pacatum, quietum & ſerenum mentis ſuæ ſtatū tam in adverſis & ſiniſtris, quàm in proſperis laborum ac ſtudiorum ſuorum eventibus æqualiter retinet, & conſtanter ſervat: Quia conſequenter colligit, non placuiſſe Deo, & voluntatem ſeu Beneplacitum illius non fuiſſe, ut labor & conatus ſuus eo modo ſuccederet & fructificaret, ſicut ipſe futurum ſibi imaginabatur; ſed Deum voluiſſe per contrarium eventum glorificari.

Quintum: ſi in acceptandis & dimittendis quibuscunque officiis ac functionibus non exhibeas te omninò indifferentem, & in Prælati tui voluntatem penitùs reſignatum; tunc argumentum eſt minimè fallax, quod non Dei unius Beneplacitum & gloriam, ſed tuum intereſſe, proprium guſtum, & commoditatem intendas.

Sextum: ſi in opere aliquo & functione laudem vel approbationem hominum, maximè Superiorum tuorum anxiè quæras, & ab illis æſtimari ſolicitè deſideres, nunquam ſatis contentatus & quietus, donec hi verbis aut ſigno aliquo oſtendant, ipſis per te in tali functione ſatisfactum eſſe; tunc clarum eſt, quod hujusmodi ſolicitudo & anxietas redoleat potiùs reſpectum ad homines, quàm ad Deum.

181. Atque hinc patet, tres nobis ſcopulos hac in parte eſſe vitandos; primus eſt, nè inconſideratè, ex abrupto, præcipitanter, ſine

ullâ intentione finis, & ex merâ solùm consuetudine opus aliquod aggrediamur. Etenim: *Quod est corpus sine vitâ, hoc est opus sine intentione bonâ. Qualibet ergò actio quamvis bona videatur, quasi mortua judicatur, nisi per consilium ad intentionem bonam animetur;* ut inquit Richardus Victorinus *de statu interni homin.* Aster scopulus est, nè operibus & functionibus nostris vanum aliquem & purè naturalem, aut (quod pejus foret) pravum & perversum finem præfigamus, referentes opera & actiones nostras ad laudem & plausum hominum; vel ad favorem & gratiam Superiorum captandum; vel ad lucrum temporale, commoditatem corporis, voluptatemque sectandam &c. *Magna vecordia est, laboriosa agere; & auræ laudis inhiare: forti opere præceptis cælestibus inservire, sed terrenæ retributionis præmium quærere. Ut enim ita dixerim: qui pro virtute humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat: Undè cæli Regnum mereri potuit, indè nummum transitorii sermonis quærit;* ait S. Gregorius *lib. 8. moral. c. 25.* Quàm multi labores corporis & animi suscipiuntur absque omni spirituali fructu & merito, imò sæpè cum demerito; quia peraguntur cum intentione finis infructuosi, aut planè culpabilis & mali. *Finis*, inquit S. Augustinus *lib. de Morib. Manich. c. 13. quò referuntur ea, quæ facimus, si non solùm inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demùm etiam facta nostra aliquâ laude digna sunt.* Et *Concione 12. in Psalm. 118. Magni interest, cùm aliquid boni faci-*

facimus, cujus rei contemplatione facimus; officium quippè nostrum non initio, sed fine pensandum est, ut scilicet non tantùm si bonum est, sed præcipuè si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. Undè idem S. Doctor *lib. de Serm. Domini in Monte. c. 21.* & S. Gregorius *lib. 28. moral. c. 6.* Intentioni applicant illud *Matth. 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam; totum corpus tenebrosum erit.* Ubi per corpus intelligunt quodlibet opus bonum hominis, vel saltem indifferens ex objecto suo; per oculum verò accipiunt *intentionem.*

Tertius scopulus est, nè sub specie & pallio Divinæ gloriæ, quam in ore habemus, nostram potius gloriam, utilitatem, aut commoditatem latenter in animo intendamus: sed syncero cordis affectu ex motivo purissimæ charitatis supernaturalis procedente cunctas functiones & actiones nostras ad Deum semper referamus. Nisi enim benè attendamus, facillimè & sæpissimè insinuabit se, & subintrabit amor proprius, corrumpens actiones nostras etiam sanctissimas ex genere suo, & evacuans eas omni merito. Non rarò siquidem putatur esse *amor Benevolentiæ & amicitiæ*, qui non est nisi *amor concupiscentiæ.* Ad cujus proindè distinctionem sit

✠

§. 10.

De Charitate erga Deum.

182. Dixímus suprà, perfectionem nostram, & rectitudinem operum nostrorum ordinariorum consistere potissimùm in *charitate* erga Deum; scilicet in actibus charitatis, quibus omnia opera ad Deum ut summum Bonum referimus, ipsi inter operandum jugiter conjungimur, unimur, & adhæremus. Definitur autem charitas Dei, quod *sit virtus Theologica, divinitùs infusa, quâ homo diligit Deum propter ipsum, & se ac proximum propter Deum.* Dicitur: *propter ipsum*; quia *charitas attingit Deum, ut in ipso sistat; non ut ex eo aliquid nobis proveniat*; ut inquit S. Thomas *q. 23. a. 6. in corpore.* In quo distinguitur ab amore concupiscentiæ; qui tendit in Deum, quatenùs nostrum Bonum, noster Benefactor, nostra Beatitudo est; adeoque non est actus virtutis charitatis, sed spei. Verus autem amor, qui est actus charitatis, & dicitur *Amor Benevolentiæ & amicitiæ*, diligit Deum non propter nos, sed propter ipsum, ita ut ratio formalis diligendi sit *Bonitas* ipsi Deo intrinseca, quâ in se bonus existit & amabilis. Porrò nomine Bonitatis non intelligitur hic attributum speciale in Deo, ab aliis ejus attributis quoquo modo distinctum; sed intelligitur Bonitas pro complexo omnium Divinarum perfectionum, sivè quatenùs significat *absolutissimam Dei perfectionem in omni genere Excellentiæ, sivè absolutissimam*

Dei

Dei Excellentiam in omni genere Perfectionis; uti explicat Suarez *Disp. 1. de charit. sect. 2. n. 2.* Deus siquidem amabilis est, & summo amore dignus, non solùm propter Speciale Bonitatis attributum; sed etiam, quia infinitè sapiens, justus, immensus, omnipotens, æternus, et in omni genere perfectionis excellentissimus existit.

183. Dividitur autem charitas erga Deum in habitualem, & actualem. De *Habituali*, quæ in justificatione nobis infunditur, & per modum Habitus in animâ justificatâ perseverat, eique ut Qualitas permanens inhæret, intelligitur illud S. Pauli *Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ejus necessitas patet primò ex eo, quod ipsa sit vel forma justificans & formalis justitia, quâ intrinsecè justi sumus, & in filios Dei adoptamur, Regnique cœlestis hæredes constituimur; Sicut multi ex Theologis docent: vel saltem sit cum justitia & gratiâ sanctificante semper ac infallibiliter conjuncta, ita ut qui charitatem habitualem non habet, neque gratiam justificantem habeat. Nam juxta Tridentinum *Sess. 6. de Justific. c. 7. In justificatione per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur; atq; ipsis inhæret. Et in ipsâ justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem spem & Charitatem; nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neq; unit perfectè cum Christo, neq; corporis ejus vivum membrum efficit.* Patet secun-

ſecundò charitatis Habitualis neceſſitas ex eo, quod abſque illâ homo non ſit vivum membrum Chriſti; ut ſuprà inquit Tridentinum; adeòque nihil mereri poſſit de condigno; uti probatur ex *1. Corinth.* 13. Propter quod opera, quæ procedunt ab homine deſtituto charitate, dicuntur mortua; quia fiunt ab homine ſpiritualiter mortuo, ſeu vitâ ſupernaturali, quæ eſt CharitasHabitualis,deſtituto; juxta illud *Apoc.3. Scio opera tua; quia nomen habes, quod vivas; & mortuus es.*

Charitas actualis eſt quilibet actus charitatis Habitualis, productus ab animâ per potentiam obedientialem elevata à Deo, vel per ipſum habitum infuſum, ſi hic in ſubjecto præexiſtat, (ſicut in juſtis præexiſtit) vel ſaltem per auxilium DEI extrinſecum & actuale; prout in peccatoribus contingit. De charitatis actualis neceſſitate *ad merendum de condigno*, jam ſuperiùs tractavimus, & illam oſtendimus ex S. Thomâ, Bonaventurâ, Scoto & aliis. Quod verò etiam neceſſaria ſit actualis charitas ad remiſſionem peccatorum & juſtificationem in caſu, quo peccator in mortali conſtitutus, nequit ob defectum confeſſarii ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, probatur ex Tridentino *Seſſ.* 14. *de pœnit. c. 4.* ubi docet, contritionem *charitate perfectam* juſtificare peccatorem ante actualem Sacramenti ſuſceptionem; attritionem verò, quamvis in Sacramento ad remiſſionem peccatorum diſponat, non tamen poſſe ſine Sacramento peccatorem

ad

ad justificationem perducere. Ex hoc enim manifestè sequitur, quod extra Sacramentum requiratur in peccatore ad justificationem contritio, *charitate perfecta*: Atqui hæc nihil est aliud, quàm actus charitatis; vel saltem illum involvit.

Prætereà etiam extra articulum mortis & sæpiùs in vitâ necessaria est, *necessitate præcepti*: Actualis charitas, non solùm peccatoribus, sed etiam justis; ita quidem, ut justi esse desinant, si non sæpius in vitâ actum charitatis eliciant: nisi fortè per ignorantiam inculpabilem hujus præcepti excusentur. Colligitur hæc necessitas ex illis verbis Christi *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Hoc est enim maximum & primum mandatũ*. Quis enim prudens sibi persuadere poterit, quod maximum & primum mandatum obliget minus ac rariùs, quàm reliqua minora & inferiora mandata? at qui alia mandata in vitâ sæpiùs obligant: ergo & maximum. Sanè Pontifices summi Alexander VII. & Innocentius XI. damnârunt propositiones & sententias quorundam Neotericorum tanquam falsas & scandalosas, qui docebant, hominem nullo vitæ suæ tempore obligari ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Charitatis, vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium; aut saltem probabile esse, quod nè singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obliget hominem præceptum charitatis erga Deum.

184. Si de dignitate, utilitate, et efficaciâ charitatis erga Deum loquamur; *Habitualis* est

Regi-

Regina, forma, et anima reliquarum virtutum tùm moralium, tùm Theologicarum, eſtque illis longe major et excellentior, dicente Apoſtolo. 1. *Corinth.* 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: Major autem horum eſt Charitas.* Undè quamvis recedente ex animâ Habitu Charitatis, non propterea recedant etiam habitus Fidei ac Spei; ſicut docet Tridentinum *Seſſ. 6. de Juſtif. can. 28.* Communis tamen et veriſſima Theologorum ſententia eſt, quod reliqui Habitus infuſi virtutum moralium et dona Spiritûs Sancti Charitatem Habitualem ſemper ac infallibiliter conſequuntur et concomitantur tanquam pediſſequæ Dominam; ita ut ſimul cum ipsâ infundantur in juſtificatione, et econtrà ſimul etiam per quodvis peccatum mortale cum eâdem expellantur.

Actualis verò Charitas tres præſtat Animæ nobiliſſimos effectus et utilitates; *Primus* effectus eſt, quod per ſuam præſentiam in homine deſtruat, aboleat, et deleat omnia ac ſingula peccata mortalia, quantacunque illa ſint, et quomodocunque multiplicata; ita ut talis actualiter amans Deum in momento fiat ex peccatore juſtus, ex Diaboli mancipio Filius Dei, ex inimico et hoſte amicus Dei, Regnique cœleſtis Hæres. Eſt enim actus quilibet ſupernaturalis Charitatis ultima et proxima diſpoſitio ad infuſionem gratiæ juſtificantis; ita ut etiam ante ſuſceptionem actualem Sacramenti Pœnitentiæ per actum Charitatis remittantur peccata; ſicut docet Tridentinum *Seſſ. 14. de Pœnit. c. 4.* Undè

Prov.

Proverb. 10. dicitur: *universa delicta operit Charitas.* Et 1. *Petr.* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Item *Luc.* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Secundus effectus actualis charitatis est, quod per eam omnia nostra opera de se indifferentia, et ex objecto suo vel circumstantiis nec mala, efficiantur verè bona, Deo accepta, et vitæ æternæ meritoria; utpotè actus Charitatis imperati; qui de bonitate actûs imperantis participant. Undè Apostolus *Rom.* 8. ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Tertius effectus est, quod per actualem charitatem sivè per actus Charitatis Deo conjungamur, uniamur, et adhæreamus, atque ita unus quasi Spiritus cum Deo efficiamur; juxta illud 1. *Corinth.* 6. *Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.*

185. Porrò quamvis charitas actualis sivè actus aliquis charitatis supernaturalis sit præceptus cuilibet homini ratione utenti, idque sæpiùs in vita: Nihilominùs præcepto non est certa intensio, sivè certus et determinatus intensionis gradus; sed potest quis per actum quemvis Charitatis etiam remissum (dummodò sit verus et essentialis actus charitatis, quoad substantiam & entitatem supernaturalis) præcepto satisfacere; sicut communiter tradunt Theologi. Undè per illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ, & ex totâ fortitudine tuâ. Deut.* 6. Uti & per illa verba *Matth.* 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

toto corde tuo, in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ, non intelligitur, quod teneamur Deum diligere actu amoris vehementissimo & summo *intensivè*, sivè tanto & tam forti, ut non possit alius elici major, intensior & fortior : id enim plenum foret scrupulis, anxietatibus & inquietudinibus ; cum nobis constare non possit, quis actus sit altero intensior, fortior, vehementior. Solùm ergò præcipitur, ut amor noster erga Deum sit summus *appretiativè & æstimativè*, quo scilicet Deo ita adhæreamus, ut plúres æstimemus observantiam Divinorum præceptorúm, quàm universas res creatas ; ita ut malimus omnia mundi Bona, & ipsam etiam vitam nostram perdere, quàm contra Dei mandatum aliquod & voluntatem præcipientem in re gravi facere.

Atque hinc debet amor noster erga Deum esse *ex toto*; *corde* sivè *ex totâ voluntate*, uti explicat S. Thomas. *q.* 44. *a.* 5. id est, debemus Deum ita diligere secundùm omnia desideria & affectus nostræ *voluntatis*, ut non habeamus cor divisum ; & propensum ad aliquid repugnans Divinæ voluntati; & ut nihil desideremus, vel affectemus neque in aliquo complaceamus, aut delectemur, quod sit contra aliquod Dei præceptum, saltem obligans graviter. Secundò debet amor noster esse *ex totâ mente*, sivè *ex toto intellectu nostro* ; ut videlicet nihil in intellectu cogitemus aut mente volvamus contra Dei præceptum ; judiciumque nostrum subjiciamus judicio Ecclesiæ, captivantes intellectum

ctum in obsequium Fidei; & totos nos dispositioni Superiorum submittamus per Obedientiam cœcam, nihil discernentes inter ea, quæ jubentur, neque curiosè inquirentes causam, cur hoc illudvè jubeant. Deniqúe ut omnia ac singula addiscere, cognoscere & intelligere studeamus, quæ ad Divinorum mandatorum executionem, & voluntatis Prælatorum adimpletionem pertinent. Tertiò debet Amor noster procedere *ex totâ Animâ*, id est, ex toto nostro *appetitu sensitivo*; ita ut omnes passiones & motus nostri hominis inferioris, sensuumque externorum operationes eatenùs moderemur & coërceamus, quatenùs Divinæ legi non adversentur. Quartò deniqúe debet Amor noster erga Deum esse *ex totâ fortitudine*, id est, secundùm *omnes potentias nostras executivas*; ita ut operationes nostræ exteriores à potentiis executivis dirigantur conformiter voluntati & Legi divinæ, scilicet juxta præcepta Decalogi & Ecclesiæ tanquam juxta Regulas certas ac infallibiles rectè operandi. De quibus ait Christus *Joann.* 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et *Joann.* 15. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ.*

186. Quod verò S. Thomas. 2. 2. q. 186. a. 2. docet, Finem Religionis sivè Statûs Religiosi esse *Charitatem perfectam*; sciendum est, quod tres generatim sint gradus Charitatis erga Deum.

Primus & infimus est, cùm quis omnia mandata Dei sub peccato mortali obligantia obser-

vat, & mavult omnia vitæ hujus Bona perdere, quàm Deum graviter offendere; insuper etiam sæpius actum Charitatis elicit, ita ut præcepto de diligendo Deo super omnia satisfaciat: Nihilominùs tamen de culpis venialibus evitandis non est multùm solicitus; sed illa voluntariè, plenè advertenter & deliberatè admittit. Quo in gradu multi ex sæcularibus hominibus deprehenduntur; estque hæc Charitas, quâ mandata Dei observantur, omnibus omninò hominibus ratione utentibus ad salutem necessaria, dicente Christo: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth.* 19. Non tamen sufficere debet Religioso, qui profitetur tendentiam ad perfectionem. Undè

Secundus gradus Charitatis est, cùm quis non solùm omnia peccata mortalia vitat, sed etiam nullum veniale leviſſimum deliberatè, & cum plenâ advertentiâ admittit: non solùm observat præcepta Dei & Ecclesiæ; sed etiam Evangelica Consilia: Neque solùm aliquoties aut sæpè in vitâ Charitatis actum elicit; sed totum amorem suum à creaturis omnibus abstrahit, soliqué Deo impendit; omnia sua desideria, affectus & opera ad Dei gloriam & honorem, beneplacitum ac voluntatem refert; & quantum in hac vitâ possibile est, per actus Charitatis intensos jugiter Deo conjunctus ac unitus existit, eique constanter amando adhæret. Atque hæc est illa perfecta Charitas, in quâ consistit Perfectio Religiosa, & ad quam omnes Religionem Professi tendere obligantur; imò quam omnes Religiosi

vitam

vitam ex contemplativâ & activâ mixtam tenentes, & saluti animarum incumbentes, actualiter obtinere, & possidere debent. *Non est vestrum circa communia præcepta languere;* inquit S. Bernardus *Epist. ad Fratres de Monte Dei. Nec, solùm attendere, quid præcipiat Deus, sed quid velit; probantes, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum enim est Deo servire, vestrum adhærere.* Hanc autem perfectam Charitatem obtinere nec dum possunt Novitii & Tyrones, primò quia plurimis impedimentis adhuc retardantur, cujusmodi sunt quotidiana peccata, mali habitus, passiones indomitæ, affectus erga parentes & consanguineos, species objectorum sæcularium in memoriâ residentes &c. Undè nondum valent liberâ mente ad Deum evolare, & illi adhærere. Secundò quia voluntas in amando sequitur intellectum in cognoscendo; non enim terri potest incognitum; undè si cognitio Bonitatis sit imperfecta; non potest amor ejusdem Bonitatis esse perfectus. Quod verò cognitio Divinæ Bonitatis sit valdè adhuc tenuis, exigua & imperfecta in Novitiis, colligitur ex eo, quod hactenus & ante ingressum Religionis nullum adhuc usum & praxin habuerint meditandi, libros pios legendi, colloquia & conferentias spirituales instituendi, contemplandi &c. Quæ tamen media requiruntur ad cognitionem & Notitiam Divinarum Perfectionum obtinendam.

Tertius gradus Charitatis est, cùm quis ita fertur in Deum actuali semper amore, ut nunquam

ab amando desistat aut quiescat; sed incessanter Deo conjunctus & unitus existat per Charitatem intensissimam, & ex totâ animi fortitudine procedentem. Qui gradus non reperitur in Ecclesiâ militante; sed proprius est civium cœlestis Jerusalem, sivè Ecclesiæ triumphantis; in quâ perfectiones Dei, propter quas est infinitè amabilis, cernuntur non amplius obscurè per lumen Fidei, sed clarè per visionem Beatificam, & lumen gloriæ; undè hæc clara & intuitiva visio Dei facit, quod Beati non possint cessare & desistere vel per momentum ab actuali amore Dei.

Quamvis autem secundus Charitatis gradus, in quo perfectio nostra consistit, varios comprehendat actus, quibus Anima Deo uniri & adhærere potest; cujusmodi sunt gaudium de Bonis Dei, desiderium glorificationis Dei, conformatio voluntatis nostræ cum Divinâ, intentio gloriæ & Beneplaciti Dei &c. Nihilominùs quia ultimus hic actus, scilicet intentio Bona, ex motivo Charitatis elicita pro incipientibus sufficit, non est, quod Novitii valdè de aliis sint soliciti; sed muneri & officio suo abundè satisfaciunt, si opera vocationis suæ ritè peragere assuescant juxta modum *suprà* §. 7. propositum; & ex *intentione finis perfectissimi*, qui est Deus in ipso summè Bonus, & infinitè perfectus; prout §. 9. fusiùs declaravimus.

§. 11. De

§. 11.

De mediis ad operandum ex charitate Dei requisitis.

187. UT verò in operibus nostris ordinariis & Exercitiis seu functionibus quotidianis possimus jugiter (quantum humana infirmitas, & vitæ præsentis conditio permittit) per actualem charitatem Deo esse & permanere conjuncti & uniti ; duplicis generis media requiruntur. Nam aliqua sunt necessaria ad remotionem impedimentorum positivorum, quæ scilicet obsistunt nobis, & obstaculum ponunt, nè opera nostra ad Deum per intentionem ex motivo Charitatis procedentem referre & cum fine nostro conjungere ac unire nos possimus. Qualia impedimenta sunt imprimis omnia & singula peccata mortalia, quæ charitatem planè excludunt, & cùm eâ sunt incompossibilia ; uti & venialia deliberatè & plenè advertenter commissa ; quæ fervorem charitatis minuunt ; de quibus jam suprà disseruimus. Deindè illa omnia, quæ tranquillum, pacatum, quietum & serenum animæ nostræ statum disturbant, variisque nos distractionibus, curis, solicitudinibus, perturbationibus, & tumultuosis cogitationibus exagitant, etiamsi in se formaliter mala non existant; cujusmodi sunt Bonorum temporalium possessio, conjugium, affectus inordinatus erga consanguineos, passiones

& motus inferioris Appetitûs indomiti, cognitio objectorum vanorum &c. Docet enim quotidiana experientia, quod animus curis gravatus, distractus, aut motibus inordinatis, & perturbationibus agitatus, non sit aptus & idoneus elevari ad Deum, & conjungi sivè uniri illi, atque ex toto adhærere. Undè qui in conjugio vivunt, cor divisum habere dicuntur. *1. Corinth. 7.* Et possessio divitiarum nec non solicitudo hujus sæculi *suffocant verbum* Dei. *Matth.* 13. S. Basilius hanc animi à curis & perturbationibus libertatem seu immunitatem, ejusque tranquillum & pacatum statum pro fundamento spiritualis ædificii sivè perfectionis ponit; ait enim *præfat. Ascet. Age miles Christi, propositum tibi vitæ genus sit, domo, civitateq; ac possessione rerum omnium carens: solutus esto atq; ab omnibus vitæ hujus curis liber.* Et *in Regul. fus. interrogat. 5. Ipsa, quæ ex Evangelio est, pietatis cultura, studiumq; ineundæ apud Deum gratiæ in eo tota posita sunt, si quis animum suum ab omnibus prorsùs mundi hujus solicitudinibus avocârit; seseq; funditus à quâvis re, undè animo mentevè distrahi possit, abduxerit.* Et infra: *Illud nosse convenit, nos cùm nullius alterius mandati cujusquam, tùm nè charitatis quidem ipsius adversus Deum ac proximum observationem posse præstare, si huc illucq; mentem temerè passi fuerimus aberrare. Animadvertimus itaq; necesse esse, ut qui modo verè Deum sit secuturus, is à vinculis affectionum vitæ hujus solutus sit.* Item *Epist. 1. ad Gregorium Theologum.*

logum. *Primùm mentem pacatam habere conveniebat; uti enim oculus continuo circumactu versatus, & nunc horsùm illorsumq; deflexus, nunc sursùm deorsumq; erectus vicissim ac depressus, exactè cernere nequit: hunc in modum mentem humanam sexcentis mundi curis distractam, evidenter cernere veritatem, vix est, ut evenire possit.* Deniq́ue *inconstit. Monast. c. 1.* Cùm Religiosus *Deum unicè sibi amandum proposuerit, & ab omnibus perturbationibus vacuitatem aliquatenùs saltem, quantum possit, cupiat consequi, & spiritualem puritatem tranquillitatemq; mentis, & ab omni intemperie submotam placiditatem, & quæ ex his nascuntur, lætitiam & gaudium optet degustare; in eo elaborat, ut ab omni concretione materiæ corporaliq; affectione animum turbulenter exagitante longissimè cogitationes abducat suas; cœlesti lumine citra ullam satietatem largiter hausto, puro, neq; umbrâ ullâ præpedito mentis oculo res divinas undiq; contemplatur. Is autem ubi ad hujusmodi habitum statumq; hoc modo animum suum jugi exercitio deduxerit; Deo, quatenùs Dei similitudinem mortalis potest attingere, similis efficitur, ab eoq; summè diligitur.*

188. Alia media sunt necessaria ad instruendum, illuminandum, & implendum intellectum nostrum cognitione sivè notitiâ Dei summi Boni, & Divinarum illius prefectionum, propter quas amabilis existit; voluntas enim, cujus est amare, non fertur in incognitum, juxta illud tritum: *nihil volitum quin præcognitum.*

tum. Et: *Ignoti nulla cupido; adeoq;* ut voluntas possit amare Deum propter suamet Bonitatem; debet intellectus priùs cognoscere eam Bonitatem; tantoque major, vehementior & intentior erit amor, quantò major & perfectior fuerit cognitio Bonitatis. Acquiritur autem hæc cognitio & notitia Dei summi Boni per lectionem piorum librorum, colloquia spiritualia, meditationem &c. De quibus suo loco.

§. 12.

De primo medio ad operrandum ex charitate Dei, quod est Humilitas.

189. FUndamentum internæ pacis, quietis, & tranquillitatis, ac consequenter totius perfectionis est *Humilitas. Cogitas magnam Fabricam construere celsitudinis; de fundamento priùs cogita Humilitatis;* inquit S. Augustinus *serm.* 10. *de verb. Dom.* Et S. Cyprianus *serm. de Nativit. Domini. Hic est primus Religionis introitus; sicut in mundum primus Christi ingressus; & quicunq; piè vult vivere, humiliter de se sentiat. Fundamentum sanctitatis fuit semper Humilitas.* Undè S. Basilius *serm. de abdicat.* monet Monachum tyronem, ut studiosè operam det, quatenùs *omnium novissimus sit, ac servus omnium;* firmiterque credat, se *omnium, quotquot sunt, mortalium esse contemptissimum, peccatisq; onustissimum, peregrinum, ac vagum; & quem solâ tantùm misericordiâ adducti ii, qui prio-*

priores illo se à sæculi hujus curis avocârunt, sibi in societatem asciverint. Quod benè notandum contra Juniorum quorundam in cœnobiis superbiam; de quibus S. Ephrem *tract. de correctione eorum, qui honores petunt: licet Monachorum instituta & Juniorum præsertim videre, atq; admirari: nondum mundo renuntiârunt; & jam superbiâ tument. Nondum disciplinam audiverunt; & jam se Magistros profitentur. Nondum primum gradum ascenderunt; & volitant super nubes &c. verùm quid singula persequar? Non est, qui propter Deum mundo renuntiet, ut obediendo se ipsum Fratribus servum exhibeat. Vix tertius est dies, ex quo mundo renuntiârunt; & cum illis, qui in Habitu consenuére, contendunt, nec volunt in ordinem redigi. aut cuiquam obtemperare; sed excusationes excogitant; & nè corpus fatigent, alius alium respicit. Subiit Obedientiæ jugum; & vult imperare, iracscitur, si admonetur. Hoc facito Frater: non faciam, respondet, nisi & ille veniat. Frater quiescit: & ego quiescere debeo. Frater ad Honores provectus est: cur non ego? nonnè ego quoq; hoc atq; illo dignus sum munere? Hæc sunt egregia Juniorum opera.* Et infrà: *Nos cùm vix Habitum induerimus, insolescimus, & unus adversus alium extollimur, & vicissim insultamus, & apud nos ipsos prudentes sumus. Omnes Duces esse volumus, omnes præesse, omnes reprehendere, omnes præcipere, omnes docere, omnes interpretari, omnes esse Doctores, omnes Domini, omnes procuratores, omnes patres familias, omnes primi. Quæso Fratres, nè vitam*

noſtram in hac vanitate traducamus. Non eſt bona gloriatio noſtra. Neq; auctoritate, mihi crede, neq; Magiſtratu, neq; amplitudine, neq; quod primus aut ſecundus, aut præfectus appelleris, neq; quod ſis in ullo honoris aut dignitatis gradu conſtitutus, propterea fiet, ut in Regnum cœlorum ingrediaris: Hæc enim non tribuunt remiſſionem peccatorum, non liberant à ſupplicio, niſi adſit Humilitas, & Obedientia, & Charitas, & patientia, atq; conſtantia. Neq; enim probari, aut ſalutem aſſequi poſſumus, niſi omnibus in rebus Dominum imitemur; Qui, non veni, inquit, ut mihi miniſtraretur, ſed ut miniſtrarem. Et rursùm: Non veni, ut facerem voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me, Patris.

190. *Humilitas* igitur in Novitiis & Tyronibus ponenda eſt pro fundamento, primò quia ſine virtute Humilitatis non poſſunt acquiri & obtineri aliæ virtutes, quas ut neceſſaria ad perfectionem media Statui Religioſo annexuit Eccleſia. Nam ſuperbus & virtute Humilitatis deſtitutus non poteſt obtinere *paupertatem Spiritus*: cùm dedignetur Fratribus ſervire, vilia & contemptibilia munia obire, veſtibus vilibus indui, pati defectum in victu, ſtrato &c. Neque poteſt *virtutem caſtitatis* poſſidere, utpotè ſpeciale Dei donum; de quo dicitur *Matth.* 19. *Non omnes capiunt verbum iſtud; ſed quibus datum eſt. Et Sapient.* 8. *Scivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Quod autem tam ſpeciale donum non ſoleat Deus ſuperbis dare, patet ex illo *Jacob.* 4. *Deus ſuperbis reſiſtit; humili-*

milibus autem dat gratiam. Et *Proverb.*16. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Neque etiam superbus potest obtinere virtutem *Obedientiæ*; quia non potest proprium suum judicium abdicare, intellectum captivare, & Superioris judicio se submittere. Præterea non potest habere charitatē proximi; nam *inter superbos semper jurgia sunt. Proverb.* 13. *Et amando quisq; excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, nè sibi coæquentur; vel superioribus; quod eis non coæquetur;* ut inquit S. Augustinus *lib.* 11. *super Genes. ad lit.*

Secundò quia sine Humilitate non potest acquiri quies interna; pax, & tranquillitas animi; solus enim Humilis est quietus, pacatus, sedatus, & tranquillus in animo. Undè Christus Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.* Superbus autem perpetuis concutitur & exagitatur motibus indignationis, tristitiæ, impatientiæ &c. modò contra Superiores, à quibus humiliatur, corrigitur, reprehenditur, & mulctatur: modò contra æquales, & inferiores; à quibus se despici, aut saltem non satis juxta suam excellentiam imaginariam suspici & æstimari putat. *Consideres quoq; velim,* inquit Alphonsus Rodericus *part.* 2. *Exercit. Perfect. tract* 1. *c.* 10. *n.* 7. *Quanto perturbationum, pœnarum, & inquietudinis æstu jactandus sit superbus, cùm se jam velut in angulum retrusum, præteritum, ac neglectum videbit, nullam sui rationem haberi, nulla sibi speciosa, honorifica, magniq; nominis negotia,*

negotia, muniavè, prout ipsè quidem desiderabat boncredi. Et *tract. 3. c. 22. Qui plenus est supercia, ambitione, & laudum humanarum appetentiâ, videtq; sibi non omnia ad votum succedere; fieri non potest, quin felle amaritudinis cor repletum habiturus sit, magnaq; interiùs inquiete & animi ægritudine torquendus, cùm nimirum alios magnifieri, honorari, sibiq; præferri videbit. Ejusmodi nugarum vel unica satis est ad superbos homines inquietandos, & turbandos, atq; perpetuâ in animi ægritudine ac dolore vitam trahant. Undè tametsi verè morbus aliquis sit, quem Melancholici humoris abundantia generet; sæpè tamen quod quis Melancholicus aut tristis incedat, non tam ex humore Melancholiæ, aut infirmitate aliquâ corporali, quàm humore superbiæ provenit. Tristaris & Melancholicus es, quod præteritum te & abjectum, nullamq; tui rationem habitam putes; & quod, undè honorem & gloriam relaturum te sperabas, indè tantum abest, ut eum retuleris, ut confusionem potius & ignominiam collegeris. Non successit tibi res aliqua ex voto, non Concio, non in publicis disputationibus argumentatio, non Thesium propositarum defensio, prout optabas & sperabas; imò multum in iis de honore tuo te perdidisse existimas; atq; ideo tristis & Melancholicus incedis. Hæc scilicet sunt, quæ superbum tristitiâ & Melancholiâ replent. At Humilis corde, qui honorem & æstimationem aliorum flocci facit, & humilem in locum retrudi gaudet, ab hujusmodi angoribus, inquietudinibus, perturbationibus liber est, magnâq; animi*

pace

pace, & quiete gaudet, juxta Domini Jesu promissum: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.

Tertiò Humilitas Novitiis necessaria est ex eo capite, quod cùm pleni adhuc sint vitiis, defectibus, & imperfectionibus; nec habeant rerum spiritualium notitiam; indigeant frequenti instructione, correctione, reprehensione &c. Superbus autem dedignatur instrui; non vult videri errâsse in aliquo; non sustinet corrigi; multò minùs reprehendi, & mulctari: *Sed si illum admones: admone, inquit, te ipsum: De me erit, quod placuerit Deo. Si quid eum docere vis: utinam, inquit, istud scires, quemadmodùm ego;* uti advertit S. Ephrem *de Obedient.* Imò videre est superbos Novitios, qui Regulam, constitutiones, laudabiles consuetudines, ac praxes in Ordine receptas & approbatas non verentur carpere & vituperare; suos etiam Superiores, & eos, qui multis jam annis in Religione vixerunt, judicare, reprehendere, sugillare, & contemnere; prout sæpè experientia docuit; & deplorat S. Ephrem suprà tract. de correct. eorum, qui honores petunt: *Nondum primam disciplinæ vocem auribus perceperunt; & jam veluti Magistri alios objurgant: nondum in fratrum sodalitium aggregati sunt; & jam sibi auctoritatem usurpant: nondum portas Monasterii ingressi sunt; & jam alios reprehendunt, molestant, condemnant &c.*

191. Definitur autem Humilitas à S. Bernardo *tract. de 12. grad. Humilit.* quod sit *virtus, quâ*

quâ quis verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit. Dicitur primò: *Verissimâ sui cognitione*; quibus verbis significatur primus Humilitatis actus, tenens se ex parte *intellectûs*; quo nostram fragilitatem, vilitatem, & nihilum tam naturale & physicum, quàm morale agnoscimus. Et quidem si nostrum *esse naturale* spectemus, nullam prorsùs superbiendi causam inveniemus; plures autem rationes deprehendemus, nos ipsos humiliandi, deprimendi, & infra omnes abjiciendi: *Si diligenter consideres, quid per os, nares, cæterosq; corporis meatus egrediatur; vilius homine sterquilinium nunquam vidisti*; inquit S. Bernardus *c. 3. Meditat* Et Innocentius Papa III. lib. 1. *de contemptu mundi c.* 8. *Herbas & arbores investiga: illæ de se producunt flores, & frondes, & fructus: Et tu de te lentes, & pediculos, & lumbricos. Illæ de se fundunt oleum, vinum, & balsamum: & tu de te sputum, urinam, & stercus. Illæ de se spirant suavitatẽ odoris: & tu te de reddis abominationem fœtoris.* S. Job illiustri stemmate natus, generis sui nobilitatem describit: *c. 7.* his verbis: *putredini dixi: pater meus es; mater mea & soror mea vermibus.* Maximus ille totius Judaicæ gentis Patriarcha Abrahamus, à quo omnes populi Israelitici, Duces, Principes, & Reges descenderunt, de se ipso fatetur, quod sit pulvis & cinis. *Genes. 18.* Et Ecclesiasticus *c.* 10. Reges quoscunque inclamans, ait: *Quid superbit terra & cinis? Rex hodie est, & cras morietur. Cùm enim morietur homo; hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.* Quod si de *esse*

nostro

nostro & *posse morali* loquamur; ipsa peccata nostra & lapsus quotidiani, defectus & imperfectiones satis testantur, & nos convincunt, quod nihil ex nobis ipsis Boni præstare possimus. Clamat id etiam contra nos infallibilis veritas Christus *Joann.* 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus *Rom.* 9. *Non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Item 2. *Corinth.* 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Dicitur secundò in definitione: *sibi ipsi vilescit.* Per quod significatur alter primarius actus Humilitatis, tenens se ex parte voluntatis; quo efficaciter volumus & desideramus, ut alii quoque homines cognoscant, quod simus fragiles, viles, contemptibiles, nullo honore digni; & ut tales nos habeant, ac reipsâ nos vilipendant, postponant, despiciant, vituperent &c. *Humilitas duplex est*, inquit S. Bernardus *serm.* 4. de Adventu. *Altera cognitionis; altera affectionis. Priore cognoscimus quod nihil sumus; & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propriâ. Posteriore calcamus gloriam mundi: & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens; qui etiam quæsitus in Regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra & ignominiosissimum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum.*

192. Porrò ex his duobus primariis Humilitatis actibus, plures alii magis particulares & practici derivantur; ex quibus tamen hìc solos illos adferemus, qui ad *incipientes* sivè Novitios

& Ty-

& Tyrones pertinent. *Primus* est, ut Novitius, etiamsi fortassis in sæculo fuerit Doctus, prudens, peritus, & sapiens habitus, ac revera etiam magnam habuerit in rebus sæcularibus scientiam, dexteritatem, & experientiam; nihilominùs in spiritualibus agnoscat & habeat se pro ignorante, idiota, imperito, & cœco, qui opus habeat ductore & directore, dicatque cum Propheta Regio: *ut jumentum factus sum apud te. Nemo se seducat* inquit Apostolus 1. *Corinth. 3. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo; Stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.* Et *Galat. 6. Si quis existimat, se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Inter alias causas, cur adultiores difficulter suscipiantur ad Monasteria, non postrema est hæc, quod propter scientiam & prudentiam, quam in sæculo se acquisiviſse existimant, non ita sint docibiles, & prompti atque idonei ad doctrinam spiritualem in Ordine Religioso acceptandam: cùm enim sibi ipsis videantur satis prudentes; non libenter Magistri spiritualis instructionem admittunt, imò frequenter eam despiciunt, adeoque ineptos & inhabiles se reddunt ad hauriendam salutarem doctrinam. Sicut *Proverb. 26.* dicitur: *vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habet insipiens.* Undè S. Paulus *Rom. 12. Dico omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Et *Proverb. 3.* dicitur: *Nè sis sapiens apud temetipsum.* Quis unquam in terris sapientior extitit, quàm ipsa

ipsa Dei Sapientia ? Et tamen *Luc.* 2. legitur: *invenerunt in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.*

193. Secundus actus est, ut Novitius, qui in sæculo fortè claruit honoribus, divitiis, generis splendore & nobilitate; non propterea quærat in Religione honorari, aliis præferri, melius haberi &c. Neque ipse aliquem licet humili loco & pauperibus parentibus nactum despiciat aut alloquium & conversationem dedignetur; non etiam de suis divitiis, parentibus, amicis, honoribus in sæculo relictis se jactet & glorietur. *Cave, nè generis nobitate subnitare*, inquit S. Basilius *serm. de Abdicat. Nevè ob eam causam honores consectere; non instrato molliculo, non in calceamentis, vestimentisve, non in habitu quovis, non in aliis quàm quas communis fratrum usus fert, escis exquirendis, non in mensâ, non instatu, non in sessione, non in manuum opere minus laborioso, magisvè eleganti.* Et S. Augustinus *in Regula: Illi, qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant, non de parentum Divitum dignitate, sed de pauperum Fratrum societate gloriari.* Nam Christus Dei Filius in assumptione discipulorum ad collegium Apostolicum non habuit respectum vel reflexionem ad generis nobilitatem, aut ad Divitias, & honores; sed elegit *Piscatores Matth.* 4. Undè Apostolus 1. *Corinth.* 1. *Videte vocationem vestram; quia*

non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus; ut non glorietur omnis caro.

194. Tertius actus Humilitatis summè necessarius Novitiis est, ut animo lubenti & grato suscipiant correctionem suorum defectuum moralium & naturalium, sivè ea correctio fiat à superiore & Magistro, sivè ab aliquo æquali. Cùm enim *proprium* eorum *officium* sit, deponere pristinam conversationem, & exuere veterem hominem cum actibus suis, omniaque vitia radicata & inveteratas consuetudines extirpare, ac novam insuetamque vitæ rationem instituere, non poterunt hunc finem suum obtinere, nisi vigilantissimum actionum & morum suorum inspectorem habeant, qui ipsos frequenter ac ferè quotidiè corripiat, reprehendat, & quandoque etiam puniat. Hæc autem correctio & reprehensio vix illum affectum bonum & fructum obtinebit, nisi lubenti animo & gratanter accipiatur; sicut videre est in illis, qui contra correctores suos murmurant, & beneficium seu opus bonum misericordiæ spiritualis interpretantur & vocant odium, rancorem, aversionem, persecutionem, &c. Undè S. Basilius *in Regul. fus. c.* 52. ait, eorum, quibus corrigendo medicina fit, officium esse, *Antistitis in se animadversiones non ad odium accipere, neq; impotentem dominationem existimare curationem eam, quam misericordiâ quis adductus, consulendi causâ animæ ipsorum saluti ipsis adhibuit.*

Esset

Esset enim à decoro abhorrens, si, qui adversâ corporis valetudine laborant, ii usq; adeò magnam Medicis suis fidem habeant, ut, esto ipsos secent, esto urant, esto amarissimis medicamentis medeantur, nihilominùs tamen inter benè meritos de se illos numerent; Nos non itidem quoq; adversus animarum nostrarum medicos, qui quandoq; duriore imponendâ nobis re aliquâ salutem nobis efficiunt, fuerimus animati. Sacra Scriptura inflatos & superbos ejusmodi homines, qui correctionem admittere nolunt, vocat *stultos* & *insipientes*; quia omnis superbus est stultus; & rarò invenire est stultum aliquem, qui non sit in aliquo saltem genere superbus. *Qui odit increpationes, insipiens est;* inquit Spiritus Sanctus *Proverb.* 12. & *Proverb.* 17. *plus proficis correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud Stultum.* Item *Proverb.* 18. *Non recipit Stultus verba prudentiæ.* Et *Proverb.* 15. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Pulchrè S. Chrysostomus *homil.* 9. *de Laudibus S. Pauli: sicut insipiens est, qui pharmaca rejicit; ita & stultus est, qui non suscipit grato animo reprehensiones. Atqui non rarò multi exasperantur, & intra seipsos cogitant & dicunt: sapiens ego, & tantâ præditus intelligentiâ hunc ferrem? ignorant autem, quod hoc extremæ dementiæ sit indicium: videbam, inquit Scriptura, hominem, qui sibi videbatur sapiens; & majorem illo spem habet insipiens. Nam licet mirum in modum sapiens sis: attamen homo es, & consiliario tibi opus est; solius enim Dei est, nullius indigere, & opus habere consiliario.* Adfert

verò hanc in rem exemplum Moysis, qui tantus Propheta & populi Israëlitici Dux, non dedignatus est corrigi à socero suo, homine barbaro & infideli. *Exodi 18.* additque : *Etiamsi ingenii acrimoniâ antecellas alios, sisq; valdè perfectus, pervenerisq; ad summum ipsius virtutis fastigium; opus est tibi consilario aliquo, qui te corrigat & arguat. Audi Historiam veterem: neq; enim Moysi facilè par fueris, qui, ut scriptura inquit, omnium hominum erat mitissimus, amicusq; Dei, & in externâ philosophiâ benè institutus, & non minùs spiritualium intelligentiâ insignis; socer autem ejus homo barbarus & obscurus &c.* Aliud exemplum è novo Testamento adducit S. Augustinus. *Epist. 19.* ad Hieronymum de S. Petro, omnium Apostolorum principe & totius Ecclesiæ Christi pastore; qui publicam correptionem & reprehensionem satis acerbam, atque cum publica confusione conjunctam sustinuit humiliter & patienter *Galat. 2. Ipse Petrus*, inquit Augustinus, *quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sanctâ ac benignâ pietate Humilitatis accepit, atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi.* Si igitur tales ac tanti viri grato & humili animo correctionem suorum defectuum admiserunt; summa certè cœcitas & stultitia foret, si Novitius & Tyro nollet corrigi & reprehendi.

195. Quartus actus Humilitatis est, ut libenter

ter *in capitulo* confundamur coram aliis, & publicam confusionem à Superiore nobis factam pro beneficio & magnâ benevolentiâ accipiamus; etiamsi fortè innocentes & absque culpâ simus; quemadmodùm Monachus ille apud Joannem Climacum *Grad.* 4. Macedonius nomine, quem *Abbas amovit, atq; in ultimo incipientium ordine constituit*, eò quod seriùs ex itinere ad Monasterium rediisset, non solùm *sucepit sine mœrore patris sententiam, ut quasi non ipse, sed alius videretur increpatus; sed etiam post* 40. *dies ad pristinum gradum restitutus, rogavit Abbatem, ut se in eadem ignominiæ humilitate restituat.* Quantam enim vim habeat hæc publica confusio & mutatio ad retundendam in nobis & supprimendam latentem superbiam, refert idem Climacus loco citato de eodem Abbate, dicens: *si quos fortè Pater sanctus ostentationi studere denotâsset, hac eos arte curabat; contumeliis illos in conspectu adventantium afficiebat; quo illi increpationis genere sanabantur.* Undè ipse subdit: *Beatus, qui propter Deum quotidie maledictis & convitiis lacessitus, sibi vim fecerit: Hic enim cum Martyribus tripudiabit. Beatus Monachus, qui seipsum omni ignominiâ omniq; abjectione dignum horis singulis existimat.* Ut verò Superior ansam ut causam majorem habeat, nos frequenter publicè confundendi, Idem Climacus jubet, ut in capitulo culparum errata nostra fideliter aperiamus: *Noli, ô fili, spiritu elationis decipi, neq; peccata tua, veluti ex personâ alterius, magistro denuncies. Aperi,*

denuda, detege medico vulnus tuum. Dic, age, meum vulnus est, pater, mea plaga; cujus mihi causa fuit non alterius, sed mea negligentia. Esto, dum confiteris, habitu, specie, cogitatione ut condemnatus reus, dimissis in terram luminibus. Si, cùm jugiter à patre objurgaris, ampliorem in eum Fidem & charitatem assumis; habitat in animâ tuâ Spiritus Sanctus invisibiliter. Is, qui ad placidissimam animi quietem, atq; ad Deum currit; die omni, quâ maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitratur. Bibe summâ alacritate objurgationes ac irrisiones, à quovis homine tibi propinatas, non aliter quàm aquam vitæ: potare enim te quærit salubri potione. Denique recitat doctrinam senis cujusdam habentis gratiam discretionis, qui Juveni ad Statum Religiosum aspiranti dixit: *Si fieri potest, eum exercitationis tuæ in Domino ducem ac Magistrum quære, quo in omnium mortalium naturâ nullus sit asperior aut gravior; sub quo perseverans jugiter, objurgationes & irrisiones quotidiè ut mel & lac bibe.*

196. Quintus actus Humilitatis est, ut Superioribus nostris syncerè manifestemus tentationes nostras quotidianas, atque etiam consuetudines vitiosas, & malas naturæ nostræ inclinationes seu propensiones. Nam sicut latens in nobis superbia, ut bonam apud Superiores conservemus existimationem, & aliquem consequamur honoris gradum, vel promotionem ad Officia, solet omni studio celare & abscondere defectus nostros & lapsus, vel etiam tentationes

& in-

& inclinationes ad lapsum : ita vicissim Humilitas eosdem defectus, tentationes & propensiones libenter superioribus aperit; ut falsam de se existimationem, & ad honores sibi indebitos, officiaque splendida promotionem effugiat Undè Joannes Cassianus *lib. 4. institut. c. 39.* inter *officia Humilitatis* ponit, *si homo non solùm actuum suorum, verùm etiam cogitationum nihil suum celaverit Seniorem.* Plura de sui ipsius coram Superiore circa statum internum manifestatione videri possunt suprà de mediis superandi tentationes.

197. Actus sextus Humilitatis est, ut promptè & alacriter obeamus labores, munia & opera vilia, abjecta, contemptibilia; fratribusque nostris libenter serviamus in necessitatibus etiam corporalibus; quomodò Christus Dei Filius se humiliavit, & demisit usque ad lotionem pedum suorum discipulorum. *Joann. 13.* Undè S. Basilius *in constitut. Monast. c. 24. Intelligendum illud est, debere pietatis cultorem vilia etiam munera magno cum studio, magnaq; cum animi alacritate suscipere; scientem, nihil minutum esse, quod Dei causâ fiat. Si de muneribus iis, quæ abjectiora sunt, aliquid exercendum sit, scire convenit, Salvatorem quoq; ipsum discipulis ministrâsse, & abjectiora opera facere non recusâsse; magnumq; homini esse, si Dei imitator existat; cùm per hæc, quæ humilia sunt, ad altitudinem illam, quod illum est imitatus, ascendat. Quanquàm quis jam humile ausit quippiam appellare, quod Deus ipse attingere non recusavit?* Et *serm. 1.*

de institut. Monachor. Quæ necessario in communi conventu tractanda ministeria sunt ; ea mutatis in orbem vicibus circumaguntor : ut Humilitatis merces communis sit. Item *serm. de Abdicat. Assignato tibi ministerio cum modestiâ fungitor, sedulitateq; ; perindè ac si Christo ipsi ministrares ; esto, quæ tibi præ manibus sunt ministeria, contempta admodum abjectaq; videantur. Magna res est alteri ministrare.*

198 Septimus Humilitatis actus est, ut in nostris actionibus, exercitiis & functionibus sivè corporalibus sivè spiritualibus, atque etiam in mortificationibus & quibuscunque modis fugiamus *singularitatem*, & communi ac ordinariæ in omnibus viæ & rationi vivendi insistamus, quam tenent & sequuntur alii prudentes & timoratæ conscientiæ homines ejusdem professionis & Instituti. Singularitas enim à S. Bernardo *tract. de grad. Humilit.* numeratur inter effectus superbiæ ; & vera humilitas exigit, ut Religiosus *nihil agat, nihil præsumat, ad quod non vel communis regula, vel majorum cohortentur exempla;* ut inquit Cassianus *lib* 4. *Institut. c.* 39. Est autem multiplex singularitas, quam evitare debemus ; prima est, cùm quis in victu, vestitu, incessu, strato, sermone & modo loquendi quærit esse singularis, & habere aliquid peculiare. Cõtra quam singularitatem monet nos S. Basilius *serm. de Abdicat. Nè eorum quippiam, quæ verâ jam pridem consuetudine inveteraverint, adulterare ac pervertere præsumamus ; non in strato, non in calceamentis, vestimentisvè, non in Habitu quo-*

quovis non in aliis, quàm communis Fratrum usus fert, escis exquirendis, non in mensâ, non in statu, non in sessione &c. S. Joannes Climacus etiam *Grad.* 4. ait: *Esto fratribus tuis per omnia similis; neq; per elationem dissimilis.* Secunda singularitas est, cùm quis in suis exercitiis spiritualibus v. g. in modo orandi, cantandi &c. non se conformat cœteris; sed vult alios contra Regulam & constitutiones, vel contra morem hactenùs laudabiliter observatum inducere, ut ipsum sequantur, & se illi conforment. Contra quam idem S. Basilius *in constitut. Monast. c. 27.* hortatur dicens: *Convenit, ut qui in spiritualem societatem adlectus sit, nequaquam illos ad morem suum velit detorquere; sed contra ipse morem suum debet aliorum Fratrum moribus institutisq; conformare.* Tertia & apud Novitios non infrequens singularitas est, cùm quis peculiarem & singularem observat modum jejunandi, vigilandi; aliasq; extraordinarias mortificationes usurpat; puta, cùm quis legit in vitis Patrum, quomodò aliqui eorum pluribus diebus abstinuerint ab omni cibo, aut nihil coctum admiserint, totis noctibus vigilaverint, &c. & contra morem ac praxin sui Ordinis velit talem vitæ rigorem sequi. Quæ utique periculosa & damnosa est singularitas, destruens vires necessarias & sanitatem corporis; operumque ordinariorum & functionum præscriptarum executionem, debitam impediens. Propter quod SS Patres statuerunt, ut tyro nihil extraordinarium, quantumvis valdè bonum videatur, sine scitu & con-

sensu sui Magistri spiritualis agat; ita ut *non modò à rebus flagitiosis ex ejus consilio abstineat; sed etiam nè ea quidem, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia, & omnis corporis incommodorum perpessio, vigiliæ, labor &c.* suam quidem habent commendationem: *at si quis propriæ obsequens voluntati spretis consiliis Antistitis sui id facere voluerit, quidquid ipsi collibitum sit, hic plus erit quod faciet mali, quàm quod boni;* inquit S. Basilius *serm. 2. de institut. Monachor.* Quod idem dicendum de privatis & peculiaribus quorundam devotionibus, quæ in statu & vocatione tali non possunt observari sine perturbatione & neglectu operum ordinariorum præscriptorum: prout videmus in quibusdam, quod magis soliciti sint & accurati in præstandis confraternitatum (quibus ante susceptionem Statûs Religiosi fuerunt adscripti) operibus & exercitiis; quàm in ritè obeundis functionibus suæ vocationis; putentque, se plus lucrari osculando unum numisma, quàm frequentando Chorum cum suis fratribus, & cum iis Deum pariter laudando. Dixi autem suprà, insistendum esse *communi viæ, quam tenent alii viri timorati illius statûs:* nam si in congregatione aliquâ Religiosâ major pars tenderet ad laxitatem, & vilipensionem Regulæ vel statutorum, ad morum dissolutionem & disciplinæ Monasticæ conculcationem; tunc utique laudabilis foret singularitas paucorum aliquorum, qui neglectâ peccantium multitudine firmi & constantes insisterent Regulæ & constitutionum

num exactæ observationi ; sicut monet S. Hieronymus *Epist. ad Rusticum Monachum*, dicens : *Nè peccantium ducaris multitudine ; nec te pereuntium turba sollicitet.* Sed tu tibi attende ; *nequaquam considerans, quid alii mali faciant, sed quid boni tu facere debeas.* Et S. Basilius *serm. de Abdicat. Eorum, quos rectè atq; ex virtute videris vivere, æmulator esto : & institutorum vitæ actionumq; exempla descripta in animum tuum transferto. Opta, ut sis denumero paucorum : rara siquidem, quæ bona. Cave putes, eos omnes fieri salvos, qui se intra cellas suas contineant : neq; enim ita res habet : quandoquidem sunt multi, qui ad honestæ vitæ genus se conferunt ; rarissimi autem, qui ipsius jugum suscipiant.*

199. Octavus, qui Novitiorum præ cæteris debet esse proprius & peculiaris, consistit in eo, ut non sint garruli & loquaces ; maximè coram Senioribus ; sicut jubet Scriptura *Eccli. 5. sint pauci sermones tui. Et Eccli. 32. Audi tacens : & pro reverentiâ accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in tuâ causâ vix, si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius ; & audi tacens.* Superbus enim & inflatus, qui in oculis suis prudens est, ut talis etiam ab aliis habeatur, verborum ac sententiarum in multiloquio copiâ ac varietate conatur prodere auditoribus prudentiam suam ; sicut videre est in amicis Job, maximè in Eliu. c. 32. Qui diutiùs se continere non valens, in hæc verba tumoris plena prorupit. *Respondebo & ego*

partem

partem meam, & ostendam scientiam meam plenus enim sum sermonibus; & coarctat me spiritus uteri mei &c. Econtrà verus humilis non tantùm verbis & sermonibus magnificare se refugit, juxta illud *Tob. 4. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Et *Proverb. 27. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Item illud S. Bernardi *in Specul. Monachor. Loquens nihil dicas, undè multum eruditus, multumvè religiosus possis putari.* Sed etiam tacendo abscondit & occultat, undè possit aliis prudens, doctus, aut peritus videri. Propter quod Joannes Climacus *Grad. 25* inter Humilitatis actus ponit *loquacitatis elongationem.* Et Cassianus *lib. 4. Institut. c. 39.* ait: Signum animi humilis esse, *si quis Linguam cohibeat.* Humilis igitur libenter in loquendo cedit omnibus; nec alicujus sermonem interrumpit; nec aliis suâ garrulitate spatium loquendi adimit; nec alicujus sermonem tanquam minus peritum carpit aut improbat; nec in loquendo vocem extollit; non contendit verbis; non pertinaciter opinionem suam tuetur; & cùm fortè in loquendo erroris arguitur, non se defendit; quia agnoscit, quod errare possit: *Nimis* enim *perversè se ipsum amat, qui alios vult errare, ut error suus lateat;* inquit S. Augustinus *Epist. 7. ad Marcell.* Præterea nullam profitetur scientiam aut notitiam, quam non reipsâ habet; sed in rebus, quarum peritiam non habet, ignorantiam suam candidè fatetur, sequens D. Augustinum, qui nè incerta pro certis, aut falsa pro

veris

veris venderet, respondit *in Epist.* ad Hesychium: *Mallem quidem eorum, quæ à me quæsivisti, habere scientiam, quàm ignorantiam; sed quia id nondum potui; magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quàm falsam scientiam profiteri.*

200. Nonus deniqúe Humilitatis actus ad Novitium spectans est, ut libenter in Ecclesia, refectione, vel in alio quocunque consessu plurium, teneat postremum & ultimum locum, sitque omnium novissimus; etiamsi in sæculo fortè extiterit primus; secutus in hoc exemplum Filii Dei, de quo Isaias *c. 53. vidimus eum despectum, & novissimum virorum; undè nec reputavimus eum.* Quamvis enim Religiosum quemvis deceat, *novissimum locum præoccupare*, ut inquit S. Basilius *in Regul. fus. interrogat.* 21. Nihilominùs tyrones & juniores reliquis cedere, ac postremo loco stare, vel sedere, aut incedere debent: Quia *senes decet cæteros ante ire, tanquàm qui diu multumq; Christo servierunt;* ut inquit S. Ephrem *de Humilitat. acquirend. c. 79.* Undè de Religiosis S. Pachomii scribit D. Hieronymus *in præfat. Regulæ*: *Quicunq; Monasterium primus ingreditur; primus sedet, primus ambulat, primus Psalmum dicit, primus in mensâ manum extendit, prior in Ecclesia communicat,* Et in Regulâ S. Benedicti *c. 36.* dicitur: *Omnes, uti convertuntur, ita sint; ut, qui secundâ horâ venit ad Monasterium, juniorem se noverit illo, qui primâ horâ venit diei, cujuslibet ætatis aut dignitatis sit.* Cum quo tamen non pugnat, quod junior aliquis & tardiùs ad Deum conversus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sus possit ferventi bonorum operum exercitio ac serio ad perfectionem conatu longè præcurrere ac superare tepidum senem, qui multos in Religione annos exactos numerat: Nam homines, qui tantum vident ea, quæ parent, judicare tantùm solent juxta faciem rerum externam, & sicut ordinariè solet evenire: Deus autem qui intuetur cor & internam animi constitutionem, non attendit, *quamdiù*, sed *quàm benè*. Et in supputatione divinâ *senectus venerabilis est non diuturna, neq; annorum numero computata; sed ætas senectutis est vita immaculata;* Et sæpè *consummatus in brevi explevit tempora multa. Sapient.* 4. sicut patet ex *Matth.* 20. ubi pater familias eos, *novissimi* fuerunt, & unâ horâ tantum *fecerunt* opus, pares habuit & æquavit illis, *qui portaverunt pondus diei & æstus.* Quapropter S. Hieronymus *Epist. ad Paulinum de institut. Monachor.* scribit: *Noli annorum nos æstimare numero. Nè me idcircò meliorem putes, quod prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus & vas electionis, de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est. Non Hierosolymis bene vixisse laudandum est.*

201. Porrò medium ad Humilitatem acquirendam practicum & efficacissimum est Humiliatio quotidiana, quâ vel ipsi nos humiliamus, exercendo & obeundo ministeria vilia, abjecta, contemptibilia; eligendo locum inferiorem, ubi id commodè fieri potest; assumendo vestes viliores &c. vel à Superioribus nostris humiliamur per

per impositionem Obedientiarum despicabilium, & per correptiones, reprehensiones, mulctationes, depressiones, publicas confusiones &c. *Humilatio* enim *via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis Humilitatis, viam non refugias Humiliationis; nam si non poteris humiliari, non poteris ad Humilitatem provehi;* inquit S. Bernardus *Epist.* 87. Et Bonaventura *in spec. part. 2. c. 6. Quoniam ad Humilitatem humiliatio via est, non erubescant Religiosi humilia; nec Humilitatis officia facilè respuant.* Item S. Joannes Climacus *grad. 25. Viam humilitatis atq; materiam corporales labores esse, sancti & semper memorandi Patres diffinierunt.* S. Dorotheus *serm. 2.* docet, *humiliato corpore, humiliari & animam.* Rationem dat *ibidem*: quia *anima disponitur ab his, quæ patrantur in corpore, sequiturq; habitum corporis: aliter enim disponitur v.g. anima insidentis in asino, aliter sedentis in throno; aliter optimis vestimentis induti, aliter pannosi.* Denique S. Augustinus *tract. 58. Cùm ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius Humilitatis affectus.*

202. Gradus autem, per quos ad perfectam Humilitatem ascenditur, numerantur sex à Beato Laurentio Justiniano *tract. de Humilit. cap. 7. in ligno vitæ*; qui juxta Nicolaum Lancicium *opusc. spirit. 8. c. 3. n. 46.* videntur ordinatissimi. *Primus* gradus est, *se peccatorem, vel contemptibilem esse agnoscere. Secundus*, peccata sua cognita

nita per confessionem Sacramentalem fideliter & syncerè aperire. *Tertius*, peccata & defectus suos sivè errata, quando sine scandalo fieri potest, extra confessionem Sacramentalem etiam manifestare, maximè coram Superiore, aut Patre spirituali ad consilium accipiendum, vel pro directione faciliori & securiori personæ suæ; aut etiam in capitulo culparum pro accipiendâ correctione & mulctatione. *Quartus* gradus est, velle toto affectu, ut ab omnibus credatur malũ, quod de nobis ipsis sentimus, & narramus. *Quintus est*, desiderare, ut in ore hominum extincti simus, & à cunctis dicantur errata nostra, ac quidquid in nobis deprehenderint vitiosum. *Sextus* gradus est, toto conamine & magnitudine desiderii nostri esurire ac sitire Christi convitia; exultare in opprobriis, contumeliis, irrisionibus, & infamiis; abhorrere cuncta, quæ nos facere possunt commendabiles; fugere quidquid applaudit; & gratanter suscipere omne, quod abjectum est; ac nihil appetere, vel timere, quod foris est. Verùm ex his sex gradibus non pertinent nisi tres primi ad Novitios & Tyrones; uti suprà vidimus; reliqui tres ultimi spectant ad *Proficientes*, de quibus suo loco.

203. Deniqúe ut per recensitos Humilitatis gradus ascendamus alacriùs, nec propter occurrentes difficultates absterreamur; movere & incitare nos debet præter illius necessitatem superiùs explicatam, maxima illius *utilitas* & fructus spiritualis. Nam primò Humilitas reddit nos insuperabiles, & omnibus Diaboli tentationi-

tionibus & insidiis superiores. *Nihil humilitate potentius, inquit* S. Chrysostomus *serm. 20. in c. 12. ad Roman. Sed & petrâ est fortior & Adamante solidior, & in majorem nos securitatem collocat, quàm queant vel turres, vel urbes, vel muri; omnibusq; Diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit.* Et Ephrem *lib. de rectâ vivendi ratione c. 8. Humilitatem diligito; & nunquam Diaboli caqueis capieris: velocissimis enim Humilitatis alis semper sublevatus, sublimor eris, quàm ut inimici retibus capi possis.* Item *in paræn. 46. Humilitas murus firmus & inexpugnabilis est à facie inimici ac petra ex opposito percutiens atq; confringēs machinas Sathanæ, & tela nequissima ignea.* Unde *cum Beatus Antonius tot laqueos Dæmonis orbi cuncto intensos cerneret, suspirans Dominum interrogavit, quis evasurus eos potissimùm esset? ei responsum est: Humilitas sola evadet hos laqueos; Neque eam contingere omninò poterunt*; uti refert S. Dorotheus *Doctrina 2. de Humilit.*

Secundò virtus Humilitatis speciales nobis à Deo gratias, dona, & favores impetrat: *Deus* enim *superbis resistit; Humilibus autem dat gratiam Jacob. 4.* Et *1. Petri 5.* Undè Christus ad Patrem cœlestem ait *Matth. 11. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* Et de se ac sociis suis inquit Paulus *2. Corinth. 7. Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* De Beatissima Virgine

Maria, quæ in *Cantico suo* ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ Luc.* 1. S. Augustinus exclamat *Serm. 2. de Assumpt. O vera Humilitas, quæ Deum hominibus peperit! facta est Mariæ Humilitas scala cœlestis, per quam descendit Deus ad terras.*

Tertiò Humilitas suos amatores & sectatores exaltat in futurâ & beatâ vitâ. *Quicunq; humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno cœlorum;* inquit Christus *Matth.* 18. Et *Matth.* 23. *Qui se humiliaverit, exaltabitur.* Item S. Petrus *Epist.* 1. *c.* 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei; ut vos exaltet in tempore visitationis.* Et S Jacobus *c.* 4. *Humiliamini in conspectu Domini; & exaltabit vos.* De Christo Dei Filio ait S. Paulus *Philipp.* 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum.*

Alterum motivum, quod Novitios incitare debet ad contemptum, ludibria, reprehensiones, postpositionem, contumelias, & irrisiones, opprobria, confusiones, dicteria injuriosa, & quæcunque adversa humiliter perferenda, est Humilitas Christi Jesu Filii Dei, quem relictis omnibus sequi proposuerunt. Quas enim contradictiones, opprobria, detractiones, convitia, reprehensiones, summorum & infimorum oblocutiones, siniſtras interpretationes, irrisiones, & despectiones passus sit innocentissimus Dei Filius, etiam propter præclarissima & laudabilissima tum opera tum verba, refertissimæ

mæ sunt omnium Evangelistarum historiæ; ita ut verissimè in ipso impleta prophetia *Isaiæ c. 53. Vidimus eum despectum, & novissimum virorum; nec reputavimus eum.* Tituli illius ordinarii, quibus à Summis Pontificibus, sacerdotibus, scribis, Pharisæis, & omni magistratu affectus & honoratus fuit, non alii leguntur, quàm *seductor Matth. 27. & Joann. 7, Insanus. Joann. 10. Dæmoniacus Marc. 3, Galilæus. Joann. 7. Blasphemus Matth. 26. Peccator. Joann. 9. Peccatorum amicus, Homo vorax & potator vini. Matth. 11. violator legis. Joann. 9. Faber. Marc. 6. Fabri Filius.* Matth. 13. &c. Ut nihil dicam de contumeliis & injuriis, quæ in operibus & factis consistebant. In quibus tamen omnibus summam Humilitatem ostendit; nam *cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè. 1. Petri 2.* Undè S. Bernardus *serm. de Nativit.* ait: *Aut stultus fuit Dei Filius, dum se adeò exinanivit, atq; annihilavit, probraq;, ludibria & opprobria sibi elegit: aut certè stulti sumus nos, qui tam avidè gloriam & hominum laudes atq; existimationem aucupamur. Atqui stultitia in Dei Filio non fuit, nec esse potuit; etsi id esse mundo videretur. Si ergò hæc ejus Humilitas summa fuit sapientia; nostra certè arrogantia mera est stultitia; & stulti sumus, dum tam sollicitè hominum opinionem, honoresq; aucupamur, tantique facimus.*

)o(

§. 13.

De secundo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est virtus paupertatis.

204. FUndamento pacis internæ & quietis animi posito, progrediendum nunc est ad removenda alia impedimenta & obstacula, quæ pacatum & tranquillum animæ nostræ statum perturbant, atque ideò ejusdem cum Deo per charitatem unioni & adhæsioni obsistunt. Inter quæ non postremum est *possessio bonorum temporalium* v. g. pecuniæ, domorum, vinearum, agrorum, pecorum &c. utpotè quæ innumerabiles parit curas, distractiones, solicitudines, anxietates, & inquietudines; juxta illud Christi apud *Matth. c. 13. Solicitudo sæculi istius, & fallucia divitiarum suffocat verbum.* Et 1. *Corinth.* 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Propter quod Bona temporalia à Christo comparantur spinis. *Matth.* 13. *Quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant;* ut inquit S. Gregorius *homil. 15. in Evangel.* Et *Matth. 19.* Christus illis, qui ad perfectionem aspirant, consulit, ut temporalium Bonorum possessionem à se abdicent, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Nam *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; ut inquit idem *Luc. 14. Perfecta* qui-

quidem *renuntiatio initium sumit ab alienatione rerum terrenarum, veluti possessionum*; teste S. Basilio *in Regul. fus. interrogat.* 8. Qui proindè tyronem spiritualem hortatur *præfat. in Ascet. Age miles Christi! propositum tibi vitæ genus sit domo, civitateq;, ac possessione rerum omnium carens. Solutus esto, atq; ab omnibus vitæ hujus curis liber.* Et *in Regul. fus. interrogat.* 5. *Ipsa quæ ex Evangelio est, pietatis cultura, studiumq; ineundæ apud Deum gratiæ, in eo tota posita sunt; Si quis animũ suum ab omnibus prorsus mundi hujus solicitudinibus avocârit, seseq; funditùs à quavis re, undè animo mentevè distrahi possit, abduxerit.* Item *serm.* 2. *de Institut. Monachor. Qui colendæ pietatis causâ ad solitariam vitam accedunt; omni rerum vitæ hujus materia exuti, genus vitæ, quod est secundùm philosophiam, ingrediantur: siquidem earum rerum, quæ sunt cum materiâ conjunctæ, solicitudo procuratioq; magnoperè mentem atq; animum distrahunt.*

Hæc autem renunciatio, animi abductio & abstractio à curis & inquietudinibus temporalium possessionum contingit per *virtutem Evangelicæ Paupertatis.* De qua Christus *Matth.* 5. *Beati Pauperes Spiritu. Qui enim proposuit Christo obedire, & ad vitæ genus rerum omnium possessione nudum, neq; ullis distractum sæculi curis festinat, verè admirabilis ille est beatusque dicendus;* inquit S. Basilius *serm. de Abdicat.* Porrò consistit hæc *Paupertas spritûs* in eo, quod quis non tantùm omnia Bona temporalia relinquat, & exterius à se abdicet; nec

non futuris, quæ deinceps jnſto titulo poſſidere poſſet, totaliter renuntiet ; & per ſolenne votum Caſtitatis ſe omnis dominii, proprietatis, juris, & liberi usûs talium Bonorum prorsùs incapacem reddat : ſed inſuper eadem interius animo & affectu relinquat, omnem erga illa cupiditatem & amorem deponat; quatenùs Chriſtum toto corde à rerum mundanarum affectu planè evacúato ac libero poſſit expeditiùs ſequi. Tres ſiquidem Paupertatis latiſſimè acceptæ ſunt guadus, à Novitiis & tyronibus ſuperandi, antequam digni habeantur ad profeſſionem & Ordinem proficientium admitti.

Primus & infimus (qui tamen vix nomẽ Evangelicæ Paupertatis meretur) eſt eorum, qui *exteriùs* quidem cũ ſæculo omnia reliquerunt; nihilominus interiùs corde & affectu illis adhuc adhærent, & perditè erga derelicta adhuc afficiuntur; ſolo corpore degentes in Monaſterio; ſpiritu autem & animo verſantes & circumvagantes in mundo; nõ veri, ſed ficti & larvati Religioſi. Quibus non immeritò accenſebis illos, qui amplas quidem facultates & præpingues hæreditates aliquando propter Deum contempſerunt & reliquerunt : verùm poſteà in Religione pueriliter erga res quasdam minutas. v. g. erga librum, imaginem, veſtem, cubiculum &c. afficiuntur, ita ut propter hujusmodi recularum ſubtractionem vel denegationem ſummoperè inquietentur, animo turbentur, angantur & contriſtentur. Cum enim primaria & principalis Evangelicæ Paupertatis ratio conſiſtat in depoſitio-

sitione & extirpatione affectûs erga res temporales, ut perfecta animi quies & tranquillitas obtineatur ; tales autem Religiosi suum erga bona temporalia affectum & amorem nullatenùs deposuerint, sed tantùm illius objectum cum alio commutaverint, & cupiditatem magnarum possessionem in alias reculas, minutias, & pueriles nugas transtulerint ; *pauperes spiritu* nullo modo dici possunt : nisi in alieno sensu per paupertatem spiritûs intelligas carentiam spiritûs religiosi. Unde Cassianus *Col.* 4. *c.* 21. ait, Religiosos hujusmodi esse dignos partim risu, partim commiseratione : visu quidem, quod ad pueritiâ reversi, erga inanias & pueriles ineptias ita afficiantur, ut, si has fortè per Superiorem aufferi illis contingat, aut denegari, non aliter turbentur & inquietentur, ac pueri solent turbari ac flere, quando pomum vel nuces, aliave infantilia illis aufferuntur. Commiseratione verò digni sunt, quod post generosum ampliſſimarum facultatum & totius mundi contemptum, tandem naufragium virtutis, Paupertatis ejusque præmii in hujusmodi minutiis patiantur ; sicut advertit S. Bernardus *Epist.* 341. dicens : *Nos Monachi miserabiliores sumus omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientiæ ; imò quid insaniæ est, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus ? si mundum contempsimus universum, si abrenunciaverimus affectibus propinquorum, si Monasteriorum carceri mancipavimus nosmetipsos, si denique non veni-*

non venimus facere voluntatem nostram, sed imposuimus homines super capita nostra; quid non oportet fieri, nè fortè contingat, hæc omnia nobis in insipientia nostrâ & negligentiâ deperire? Et Eusebius Emissenus *homil. 4. ad Monachos: Ad professionem pertinet nostram, Paupertatem studio quærere, & non solùm facultates, sed etiam ipsas cupiditates è cordibus eradicare. Nihil enim habere, interdum res necessitatis est: nihil verò cupere, res virtutis. Hunc specialiter modum Religiosus sibi debet imponere, ut tantum habeat, quantum necessitas poscit, non quantum cupiditas concupiscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum resecetur, ardentior est in parvis, & plus torquet in minimis; & nisi ex corde pauper sis & affectu, paupertas ipsa non virtus, sed miseria judicanda est.* Et *homil. 5. Non contenti sumus necessariis; sed rursùm per cordis teporem abundantiam, quam in sæculo reliquimus, desideramus. Inde est, quod interdum de rebus parvissimis excitamur, & pro vilium rerum appetitu vilissimas contentiones movemus. Hoc quarè? Quia licet reliquerimus in rebus exteriora bona, adhuc tamen in cordibus mala interiora retinemus. Et inter hæc quomodò exultat adversarius noster, quando nos videt ad hoc maxima contempsisse, ut in minimis vinceremur?*

Secundus Evangelicæ Paupertatis gradus est eorum, qui omnia Bona temporalia reliquerunt non tantùm exteriùs, sed etiam *interiùs & affectu*; quique simul deposuerunt omnem cupiditatem & amorem erga res superfluas & non necessarias;

sarias: interim tamen valdè adhuc afficiuntur erga res hujus vitæ necessarias, ideoque studiosè procurant, nè quid sibi desit in necessario victu, vestitu, aut in strato, cubiculo &c. cupiuntque sibi in omnibus sufficienter prospectum. Si verò contingat ipsis deesse aliquid necessariorum, valdè dolent, conqueruntur, ac sæpè etiam murmurant. De quibus S. Bernardus *serm. 4. de Adventu: sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit; & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* Et S. Vincentius *tract. de vita spirit. c. 1, prô dolor! multi de paupertatis solùm nomine gloriantur, sed quo pacto? ut eis nihil desit. Dicunt se amicos Paupertatis; sed paupertatis sodales & amicos fugiunt suo posse, sitim, contemptum, despectionem.*

Tertius Paupertatis Evangelicæ gradus est eorum, qui ita deposuerunt omnem affectum & amorem erga res hujus vitæ necessarias, negliguntque corporis commoditates, ut æquo etiam animo & patienter perferant defectus occurrentes circa victum, vestitum, stratum &c. Neque exteriùs solum indignationem, vel impatientiam nullam verbo aut signo alio ostendant, si quid in cibo, potu, indumentis &c. desit; sed etiam in animo nullum vehementiorem propterea motum experiantur. Non tamen requiritur ad hunc gradum, ut quis *libenter* etiam & *gaudenter* hujusmodi defectus toleret; quia sufferentia hæc gaudiosa perfectorum est; ad quam proindè conniti debent non *incipientes* & Novitii, sed *proficientes* & professi, ut ante Sacerdo-

tium eò perveniant. Tyroni igitur & Novitio sufficit, si paupertatis ita fuerit studiosus, ut propter defectus in rebus necessariis occurrentes non murmuret exteriùs, neque in animo & apud se ipsum; non indignetur; non impatiens fiat; sed eos defectus æquanimiter & patienter ferat, respiciens ad paupertatem Christi Filii Dei, qui non habuit, ubi caput reclinaret *Matth.* 8. Quique propter defectum domûs, & cunarum natus est in stabulo, reclinatusque in præsepio. *Luc.* 2. Undè S. Paulus, qui ad nos clamat: *imitatores mei estote; sicut & ego Christi.* 1. *Corinth.* 11. de se & coapostolis suis ait. 1. *Corinth.* 4. *Usq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Et 2. *Corinth.* 11. recenset, quomodò vixerit *in fame, & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Docet enim S. Chrysostomus homil. de Laudibus Pauli, *eum sæpè necessarium non habuisse cibum; nec quo se circumdaret, indumentum.*

205. Porrò quia ad Novitium pertinet, nôsse omnes obligationes, quas per solennem professionem sibi ipsi imponet, operæ pretium erit hic apponere verba Innocentii Papæ III. *in c. Cùm ad Monasterium. 6. de statu Monach. & Canonicor. Regularium.* Ex quibus clarè colligitur, quanta sit obligatio voti Paupertatis in Religione editi. Sunt autem hæc: *prohibemus quoq; districtè in virtute Obedientiæ sub obtestatione divini Judicii; nè quis Monachorum proprium aliquo modo possideat; Sed si quis aliquid proprii, totum in continenti resignet. Si verò post hoc pro-*

proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere; regulari monitione prævia de Monasterio expellatur; nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam, quod si proprietas apud quempiam inventa fuerit in morte: ipsa cum eò in signum perditionis extra Monasterium in sterquilino subterretur; *secundum quod* Beatus Gregorius narrat in dialogo, se feciſſe Similia ferè, magis tamen particularia habet Tridentinum. *sess. 25. de Regular. c. 2.* dum ait: *Nemini Regularium tam virorum quàm mulierum liceat Bona immobilia, cujuscunq; qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventùs possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conventuiq; incorporentur. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui Paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilq; superflui in eâ sit.* Ex quibus proindè Theologi & Canoniſtæ ſequentes deducunt veritates:

Prima eſt, quod Religioſus profeſſus non poſſit alienare quidpiam, & per contractum transferre rei alicujus dominium, aut proprietatem, aut quodcunque jus in alterum, ſine conſenſu ſui Superioris; ita ut irritum ac nullius valoris, roboris, & firmitatis ſit, quidquid contra voluntatem ſui ſuperioris attentaverit.

Secunda eſt, quod Religioſus ex iis rebus, quas de licentiâ ſui Prælati ad ſuum ſuum tenet, cujusmodi ſunt libri, veſtes, aut alia utenſilia, non poſſit quicquam abſque licentiâ *dare commodato*,

modato, etiam ad breve tempus, alicui etiam domestico & confratri; quantumvis per commodatum non soleat transferri dominium rei commodatæ. Dixi: *absq; licentiâ*, scilicet expressâ, vel tacitâ; quia potest fortè alicubi concessa esse generalis & tacita facultas, alteri in eâdem familiâ & domo degenti ad breve tempus aliquid commodandi: quæ tamen ad extraneos nullatenùs est extendenda, quia ad commodandum aliquid extraneis non sufficit licentia tacita, aut præsumpta; sed requiritur consensus Superioris expressus.

Tertia est, quod Religiosus non possit authoritate propriâ & absque licentiâ sui Prælati accipere quicquam ab extraneis per donationem, mutuam commutationem, depositum, commodatum, aut alio quovis modo; etiamsi extraneus esset parens vel alius consanguineus. Undè *consequens est, ut, etiam, cùm quis suis filiis, aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sivè quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur;* inquit S. Augustinus *in Reg. c.* 8. Et *c.* 7. *Quicunq; autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit, si hoc ultrà confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur atque convincitur; Secundum arbi-*

arbritrium presbyteri vel præpositi gravius emendetur.

Quarta est, quod Religiosus non possit ex rebus domesticis v. g. esculentis, poculentis, instrumentis aliisvè utensilibus ad communem usum non expositis usurpare aliquid invito superiore: alioquin furtum committet, parvum vel magnum, pro rei usurpatæ mensurâ & quantitate. Quæ doctrina benè notanda est pro iis, qui clanculò & sine licentiâ aufferunt ex refectorio cibum aut potum, ex horto olera aut fructus, ex vestiario pannos, ex Bibliothecâ libros &c. *Quod si non petitâ veniâ aliquo usus fuerit; ut præfidens & contumax judicator*; inquit S. Basilius *in Regul. brevior. interrogat.* 145. Et Statuta Canonici Ordinis Præmonstratensis. *dist.* 1. *c.* 12. *n.* 36. *Nullus cibum vel potum ex refectionum reliquiis aufferre, vel sibi reservare, vel etiam sine licentia alteri dare præsumat: alioqui furti judicio condemnetur.* Quin & libros publico omnium usui expositos, aut quæcunque instrumenta ad communem fratrum utilitatem & bonum procurata ut in publico loco exposita nemo potest per notabile tempus ad se accipere, & ita usurpare, ut reliqui interim eorum usu priventur; sed debet ea quilibet post necessarium usum in suis locis per superiorem assignatis reponere: quæ enim communia sunt, nullus potest sibi appropriare, etiam quoad solum usum: cùm per hoc alii priventur suo jure utendi, aut saltem in illo contra justitiam impediantur.

Quinta est, quod Religiosus non possit in cellâ suâ, vel alibi privatim & sine licentiâ aliquid reti-

retinere, abscondere, & celare, eo scilicet fine, ut à Superiore non deprehendatur; undecunq; etiam illud acceperit. *Si aliquis rem sibi collatam celaverit; furti judicio condemnetur;* inquit S. Augustinus *in Regul. c. 8. Furtum est enim privata possessio; societatis expilatio est rei cujuscunq; & undecunq; in privatum usum sevocatio;* inquit S. Basilius *in Constit. Monast. c. 35. Quocirca omni modo fugiendum nobis est, nè privatim quicquam omninò possideamus, præter ea, quæ promiscuè omnibus simul comparantur.* Passim in Religiosorum Chronicis invenire est, qualiter Deus hujusmodi proprietarios, qui res in speciem exiguas sibi comparârunt clanculò, vel eas ab extraneis acceptas absconderunt, propterea temporali vel æternâ pœnâ mulctaverit. Videri potest S. Gregorius *lib. 9. Epist. c. 38.* Boverius *in Annalibus Capuccinor. 1569. 1572, item 1550.* ubi refert, quod Fratrem aliquem quinque rosaria, quæ clam comparata destinârat amicis, ad infernum detulerint.

Sexta est, quod Religiosus ea, quæ cum licentia Superioris habet, non possit expendere in res vanas, inutiles, & superfluas, etiam cum permissu ipsius Superioris. Quia nec ipse Superior & Prælatus potest res Monasterii expendere ad usus vanos & non necessarios: ergò nec alteri potest ad hoc dare licentiam.

Septima est, quod Religiosus in conservatione rerum sibi ad usum per Superiorem concessarum teneatur adhibere eam diligentiam, munditiem, caram & solicitudinem, quam impendere obligatur

gatur Commodatarius in re alienâ, quâ precario utitur. Undè si per Religiosi negligentiam aut incuriam pereat res ipsi concessa ad usum, vel deterioretur; peccat is non solùm contra votum Paupertatis, sed etiam contra justitiam. Id quod benè notandum circa libros, vestimenta, vasa, instrumenta &c. Quæ omnia servari & custodiri debent tanquam *sacri altaris paramenta, & tanquam sacrum peculium;* ut inquit Nebridius *Epist.* 32. *Antiquar. Monast.* aut *velut altaris vasa consecrata;* ut inquit S. Benedictus *in Reg. c.* 21. fideles enim, quando monasteria fundârunt & dotârunt; per hoc bona sua Deo dicare & consecrare voluerunt; sicut legitur in litteris & instrumentis fundationum; adeoque cuncta Monasteriorum Bona sunt Deo consecrata, & Dei peculium. Sicut expressè docet S. Basilius *in Regul. Brevior. interrog.* 143. cùm enim quæsivisset: *quomodò qui opus faciunt, curam gerere debent instrumentorum, quæ sibi credita sunt?* respondet: *ut eorum, quæ consecrata & dedicata sint Deo.* Et *ibidem interrogat.* 144. ait, eum, qui re aliquâ abusus est, tanquam sacrilegum, qui verò amiserit, tanquam sacrilegii authorem esse judicandum; *cùm omnia Domino sint dedicata, & Deo consecrata.* Item *interrogat.* 153. postquàm proposuit, *cui lanæ creditæ sunt, quomodò eas debet habere?* respondet: *habebit ut creditum sibi depositum Dei.* B. Petrus Damianus *in Instit. suæ cong. c.* 18. monet Religiosum: *libros ita custodiat, ut nunquam super litteras manum teneat;* nè scilicet eas maculet & destruat. Nihil

ergò

ergò cum culpâ perdat; nihil malè complicatum, locovè decenti non repositum abjiciat; aut pulveribus aspersum, lutoque infectum perire sinat; inquit Nicolaus Lancicius *opusc. spirit. 2. de curâ Minor. c. 6.* Cumque libri facilè damnificentur & destruantur, si relinquantur aperti; Regula S. Pachomii quinquagesima sexta ab Angelo tradita jubet, ut *nemo vadens in congregationem ad vescendum, dimittat codicem non ligatum.*

Octava est, quod Religiosus non debeat ex rebus sibi ad usum concessis, & ipso usu consumptibilibus plus consumere, quàm sit necesse; v. g. quod candelam non debeat accendere, nisi id necessitas exigat; neque in scribendo plus chartæ vel atramenti impendere, quàm opus sit. Sic legitur in vita Patris Balthasaris Alvarez, *quod exhortationes, quas faciebat, etsi magni essent momenti; eas tamen non in mundâ chartâ, sed in operculis litterarum scribebat; ut in hoc paupertatem exerceret.* Idem faciunt alii timoratæ conscientiæ viri in usu necessario chartæ, & candelarum; sicut videre est apud Lancicium *suprà n. 127.* ubi etiam monet, reliquias candelarum non esse abjiciendas, sed congregandas; ut suo tempore reddantur fratri novas candelas præparanti. Additque *num. 131.* Abstinendum etiam esse à pretiosis & frequentibus medicinis, imò ab omnibus; nisi gravis necessitas cogat, aut Obedientia Superioribus debita.

Nona est, quod Religiosus non possit in cellâ suâ habere aliquid superfluum, sivè non necessa-

rium

rium quoad vestes, libros, stratum, instrumenta, aliaque utensilia; ita quidem, ut nec permissio & licentia Superioris ei in hoc suffragari possit: quia omnis superfluitas repugnat statui & conditioni Paupertatis. Propter quod Tridentinum *Sess. 25. de Regular. c. 2.* jubet, quod mobilium rerum usum ita Superiores suis subditis permittere debeant, *ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilq; superflui in eâ sit.* Qualis verò & quanta possit esse Religiosi hominis supellex; aptè descripsit Sunamitis illa. 4. *Reg.* 4. dum de Elisæo Prophetâ, qui veteris testamenti teste S. Hieronymo Monachus fuit, ita ad virum suum ait: *Faciamus ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum.* Quibus pro devotione adjungi possunt piæ quædam imagines minimè sumptuosæ, & libri aliquot necessarii, partim pro lectione spirituali, partim pro doctrinâ & scientiâ ad finem vocationis necessariâ acquirendâ. Absint igitur à cellâ & corpore Hominis Religiosi vestes pretiosæ, & è panno pretioso factæ; quia *de vestimentis calceamentisvè non ea exquirenda nobis sunt, quæ sunt elegantiora; sed quæ viliora, ea deligenda;* inquit S. Basilius *in constit. Monast. c. 31.* Undè S. Bernardus *in Apolog. ad Guilielm.* Abbatem in sui ævi Monachos vestes pretiosas circumferentes gravissimè invehitur, dicens: *Quæritur ad induendum non quod vilius, sed quod subtilius invenitur. Nec vestitum quærimus, sed ornatum. Ecce enim ipse habitus noster*

(*quod & dolens dico*) *qui Humilitatis solebat esse insigne, à Monachis temporis nostri in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostris provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Quivis de sæculo quantumlibet honoratus non nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint & aptata. Cucullam empturus, lustras urbes, fora circuis, percurris nundinas, domus scrutaris negotiatorũ, cunctam evertis singulorum supellectilem, ingentes explicas pannorum cumulos, attrectas digitis, admoves oculis, solis opponis radio; quidquid grossum, quidquid pallidum occurrerit, respuis; Si quid autem sui puritate ac nitore placuerit; illud mox quantolibet pretio satagis tibi retinere.* Absit etiam à Religioso in vestimentis vilibus quævis vanitatis species & ornatus. *Non sit notabilis Habitus vester*, inquit S. Augustinus *in Regulâ; neq; affectetis vestibus placere, sed moribus.* Quamvis enim aliquando minus materiæ requirat ejusmodi ornatus; prout apparet in calceis nimium strictis: nihilominus forma, species, & elegantia talis superflua est, & paupertati neutiquam congruit, eamque in Abbate quodam Ordinis Cistercienſis correxit Philippus Romanorum Rex; & in Monacho de Ordine Nigrorum redarguit Rex Franciæ, teste Cæsario *lib.* 4. *c.* 12. Cùm enim ille apud Regem instaret, ut militis cujusdam Bona Monasterii diripientis petulantiam coërceret; diceretque: *Verè Domine, omnia quæ habemus, rapuit, etiam penè nihil nobis dimisit*; respondit Rex: *apparet in calceis vestris: si enim aliquid dimisisset vobis corii, non essent*

tam

tam ſtricti. Abſit denique à cellâ Religioſi hominis ſpeculum, & ejus uſus, à vitæ ſpiritualis Magiſtris improbatus & damnatus. Sed nec illa, quæ Religioſo cæteroquin permittuntur, abundare & terminos neceſſitatis excedere debent. Quapropter nihil indumentorum in cubiculo retinendum, cujus uſus non ſit neceſſarius; ſed in commune veſtiarium referatur. Nec plures libri poſſunt retineri, quàm opus ſit pro ordinaria lectione & uſu; præſertim ſi tales ſint, quibus alii fratres magis egent & frequentius.

Decima eſt, quod Religioſus pecuniam, quam à Superiore ad iter quoddam ſuſcipiendum pro viatico accepit; non poſſit adhibere pro alio uſu v. g. pro imaginibus, roſariis, vel ſimilibus emendis; etiamſi parcior fuerit in victu, & non tantum in diverſoriis inſumpſerit, quantum licitè inſumere potuiſſet: Quia non poteſt illâ pecuniâ uti ad finem alium, quàm ipſi per Superiorem conceſſa fuit. Abdit P. Nicolaus Lancicius *ſuprà num.* 124: Religioſum in itinere conſtitutum non debere in hoſpitiis procurare menſam pluribus melioribusvè cibis inſtructam, quàm domi in Monaſterio haberet; neque vinum aliudque potûs genus à vulgari diverſum.

Undecima eſt, quod Religioſus, cui diſpenſatio vel diſtributio rei cujusdam temporalis à Superiore commiſſa eſt, qualis eſt v. g. Procurator ſeu previſor, cellarius, præfectus culinæ, veſtiarius &c. non poſſit eam rem diſpenſare ex arbitrio ſuo & juxta beneplacitum ſuæ voluntatis; ſed teneatur ſe in omnibus ſtrictè voluntati Su-

perioris conformare ; ita ut peccet contra votum l'aupertatis, si alicui plus vel minus, deterius vel melius tribuat, quàm Superior velit: quia hoc faciendo res Monasterii communes perindè usurpat & dispensat, ut proprias, quasi dominus & proprietarius foret, à nullo dependens.

§. 14.

De tertio medio ad operandum ex charitate Dei, quod est virtus Castitatis.

206. QUot & quantas curas, solicitudines, districtiones, tumultus, anxietates, & inquietudines animi pariat conjugium seu Status Matrimonialis, quæ impedire solent, quò minùs Deo plenè vacare, & ipsi totaliter adhærere per amorem conjuges possint, docet Apostolus. 1. *Corinth.* 7. paucis his verbis: *Qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est.* Pluribus verò Basilius *Epist.* 1. *ad Gregor. Theologum* dicens: *conjugio mancipatum curarum agmen excipit, desiderium prolis, uxoris custodia, domestica procuratio, servilium officiorum constitutio, damna in civilibus contractibus accepta, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes, negotiationis alea, agriculturæ labores: unaquæq; dies suam adfert animo caliginem.* Et *in Constit. Monast. c.* 1. *Neq; curæ ullæ, quæ accidere hominibus soleant, graviores, quàm eæ, quæ â conjugio profectæ, gregatim innumerabiles penè advolant; cùm Paulus dicat: Qui cum uxore est, solicitus est de iis, quæ sunt*

sunt mundi. Curarum sarcinâ degravatus, & in filiorum curatione occupatus, infinitas cogitur curas exhaurire.

Præterea solent voluptates carnales sivè licitæ in matrimonio, sivè illicitæ extra illud, causare mentis hebetudinem, stupiditatem, obscuritatem, cœcitatem; & ineptitudinem intellectûs ad contemplanda cœlestia, ac consequenter ad Deum amandum, & per voluntatem ipsi adhærendum. Carnalis siquidem animus brutalibus concupiscentiæ & appetitûs inferioris oblectationibus addictus, more brutorum & bestiarum non nisi sensibilia & carnalia cogitat; spiritualia verò nauseat & fastidit, nec ad ea percipienda se erigere valet; imò sæpè nè quidem impendentia sibi corporalis valetudinis, Bonorum temporalium, famæ ac honoris damna considerat & perpendit; quia *Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor. Oseæ 4. Sicut enim vinum, & ebrietas eum, qui biberit, mentis suæ impotem facit; ita fornicatio ac voluptas pervertit sensum, animumq; debilitat, & de rationali homine brutum efficit animal:* inquit S. Hieronymus *in præfat. locum Oseæ.* Et S. Gregor. *lib. 31. moral. c. 17. De luxuria cœcitas mentis, inconsideratio & præcipitatio generatur.* Item lib. 4. dialog. c. 36. *Carnalis delectatio mentem, quam inficit, obscurat; ut veri luminis claritatem non videat; sed undè delectatur inferiùs, indè caliginem supernam patiatur.* S. Basilius *in Constit. Monast. c. 1.* ait: *quod voluptatum blanditiis delinitus, animi oculos sibi veluti crassissimâ quâ-*

dam nebulâ offusos esse patiatur; vellicatâq; à libidinum fumo mentis acie, excidat à contemplatione rerum divinarum. Denique S Ephrem *de intemperant.* hominem voluptatibus deditum sic describit ad vivum: *Fœminarum consuetudine detinetur; suavi corporum colore & pulchritudine irretitur; mulierum obtutu & risu liquescit; eorum, quæ vigilans aut in somno vidit, recordatione lætatur; vultus fœmineos pingit in mente suâ; manuum contrectationes, complexus corporum, implicationes membrorum, dulcedinem sermonum, risûs oblectamenta, nutus oculorum, ornamenta vestium, cutis colores, blanditias adulationum, motionum ac gestuum illecebras intemperatus in animo suo tanquàm pictura exprimit & effingit, in eaq; cogitatione fixus hæret, & immoratur. Si librum aliquem de virtute, de pudore, de continentia disputantem audiverit: tristis est. Si gravem Seniorum de rebus utilibus & honestis colloquentium cœtum viderit; aliò se convertit: Patrum severitatem fugit: De jejunio sermones aversatur &c.* Solet enim carnalis voluptas parere tædium & aversionem rerum spiritualium in animo; sicut experimur in multis sæcularibus, qui colloquia & discursus spirituales conantur omni modo abrumpere, & in mundanos ac illecebrosos convertere.

207. Hæc autem omnia impedimenta tollit & præcavet *continentia* seu virtus *Castitatis*: nam imprimis removet solicitudines, curas, distractiones & inquietudines multiplices statûs conjugalis; sicut dicit Apostolus 1. *Corinth. 7. Volo*

au-

autem vos sine solicitudine esse: qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Deindè Castitas animum à voluptatibus abstractum facit idoneum ad contemplationem cœlestium, & amorem Dei; sicut testatur idem S. Ephrem *de Castit.* dicens: *O Castitas, quæ delitias, & elegantiam, atq; ornatum corporis detestaris! O Castitas dapium & epularum atq; ebrietatum, inimica! O Castitatas quæ verecundiæ fræno oculos moderaris! O Castitas, quæ carnem affligis, & in servitutem redigis! O Castitas, portus tutus ab omni tempestate, in pace & tranquillitate constitutus! O Castitas, quæ cor possidentis lætitiâ perfundis, & animæ adjungis alas in cœlum! O Castitas, quæ animum reddis quietum, & à perturbationibus liberum! O Castitas, quæ justos illuminas &c.* S. Basilius *serm. 1. de Instit. Monachor.* ait, hominem castum *ultra humanæ naturæ fines processisse, & vitæ se instituto à corpore sejunctæ tradidisse, Angelorumq; conversationem sibi imitandam proposuisse. Siquidem proprium hoc est Angelicæ naturæ, liberum esse à vinculis conjugii, neq; ad aliam ullam contemplandam pulchritudinem animo distrahi, sed oculos in Deios assiduè intentos habere.* Propter quod in primitivâ Ecclesiâ illi, qui Deo se totos dedicare & consecrare volebant, à nuptiis & conjugio abstinentes, in perpetuâ castitate vivebant; sicut refert Euseb. *lib. 1. demonst. Evang. c. 8.* quod *jam tum Ecclesia duplici viâ vitâq; distincta fuerit; quarum una excelsa, sublimiorq; communi vitæ ratione, non nuptias, non sobolem, non possessiones, non opes requirens aut curans, totam se supra hu-*

mana vulgariaq; extendit, cultui admirabili, cœlesti amore, stimulante, Deo consecrata; cujus sectatores tanquam mortali vitâ perfuncti, corpore hærente quidem in terrâ, sed animâ per cogitationes translatâ in cœlum, quasi quidam Dii reliquorum vitam ab alio contemplantur. De primis Monachis à S. Marco & Apostolis hinc indè per orbem terrarum institutis, quos antiquitas *Essæos, Essenos, Hosios, & Therapeutas* appellabat, scribit Porphyrius *lib. 4. de Abstinent. Conjugium non amplectebantur, sed omnem voluptatem aversabantur, virtuti sibi ducentes, esse temperantes.* Et Philo *de vitâ cont. Integritatem amant, & nuptias vitant: Quisquis enim aut uxoris illecebris irretitus, aut curâ liberorum distractus est, non jam amplius idem, qui prius erat; sed alter factus est, nempè ex libero servus.* Atque has ob rationes Ecclesia Catholica Statui Religiosorum; imò quorumcunque Clericorum ad subdiaconatum promotorum statui inseparabiliter annexuit *votum solenne Castitatis*, quo non solùm inhabiles reddantur ad contrahendum matrimonium, *juxta c. unic. de voto & voti Redempt. in 6.* verùm etiam obstringantur ad quoscunq; actus impudicos evitandos, externos & internos; ita ut mortale crimẽ sacrilegii admittant, si voluntariè se oblectẽt vel exteriùs tactibus libidinosis proprii aut alieni corporis, osculis, aspectibus, aut cantionibus impudicis; aut interiùs cogitationibus, repræsentationibus, desideriis, vel morosis delectationibus obscœnis; quia *omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam*

dam

dam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5. Et juxta S. Augustinum *in Reg. Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.*

208. Porrò quamvis plures sint gradus Castitatis; duo tamen solùm ex iis ad incipientes & Novitios spectant. *Primus* est & infimus, cùm quis non amplius quidem in cogitationem obscœnam aut turpem consentit; attamen frequentibus adhuc & gravibus infestatur tentationibus carnis; quibus in principio non satis maturè resistit; neque occasiones tentationum solicitâ cautione declinat. Qui gradus valdè est adhuc periculosus, & lapsui propinquus; ideoq; in eo minimè est subsistendum. *Secundus* gradus est eorum, qui phantasmatibus & cogitationibus obscœnis nullũ prorsùs aditum ampliùs concedunt; sed iis statim in principio, dum exurgere incipiunt, maturè obviant ac resistunt; & nè tam facilè exoriri possint, occasiones solicitè removent & declinant. Undè studiosè præcavent satietatem in sumendo cibo ac potu, oculorum evagationes, familiaritatem cum sæcularibus, & præcipuè colloquia cum fœminis & pueris. Quantam autem diligentiam & studium adhibere Novitii debeant, ut hunc Castitatis gradum conscendant, & à periculo lapsûs remotiores existant, patet ex eo, quod teste S. Augustino *serm. 250. inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia Castitatis: ubi quotidiana est pugna, & rara victoria: ita ut qui triginta aut viginti annos se in Castitate, jejuniis*

continuis precibus, in multis item lachrymis & corporis macerationibus discruciârunt, tandem collapsi sint, & in portu (sicut ajunt) naufragium fecerint miserabili prorsùs spectaculo; ut inquit S. Basilius *homil. 12. in princip. Proverbior.* Præterea Castitas virginalis semel amissa, nunquam potest reparari & restitui per quamcunq; etiam pœnitentiam & satisfactionem. *Cùm omnia possit Deus: suscitare virginem non potest post ruinam;* inquit S. Hieronymus *in c. 5. Amos. Valet quidem liberare de pœnâ; sed non vult coronare corruptam.* Et S. Basilius *lib. de verâ Virginit. Si hoc amittas patrimonium integerrimæ Castitatis; quamvis illa omnia facias, quæ dixi, cælumq; ac terras & maria & abyssos, immensumq; aerem pervagata fueris? nullâ hoc omninò ratione recuperare jam poteris: quo enim pacto, quod corruptum semel est, jam incorruptum fiet? pœnitentiâ quidem peccatum relaxari certum est: verùm quæ corrupta est, quasi inviolata perstiterit, redintegrari omninò non valens, dum vivit, lugebit.*

209. Media autem, per quæ conservatur Castitas, sunt in duplici differentiâ: Nam aliqua consistunt *in fugâ*; alia *in actione.* Primum in fugâ consistens est, ut fugiamus occasiones illas, in quibus periculum aliquod Castitati prudenter potest timeri, aut quæ aptæ natæ sunt, tentationes carnis in nobis excitare. Qualis procul dubio occasio est consortium, familiaritas, & confabulatio non necessaria, etiam brevissima cum fœminis. *Multum habet illecebræ, multumq; vetere à naturâ fœmineum ad omne, quod sit masculinè*

ni generis contra se attrahendum; inquit S. Basilius *lib. de verâ Virginit. Blandimentum cupidineæ voluptatis est fœmina; & masculo lasciviori-bus oculis ad se inspiciendam, illecebram naturaliter suggerit; ac liquidiore voce ad oblectamentum auris, organi adinstar effecta est; membrorumque insinuatâ mollitie, ac toto prorsùs corporis habitu & motu ad seductionem formata voluptatis: non modò enim loquens mulier, & intuens; verùm sedens, quoq; & incedens, ob insitam sibi naturaliter adversus masculum vim, hunc ad se eminùs attrahit, non secus ac Magnes lapis ferrum.* Propter quod *in Constit. Monast. c. 4.* monet: *Fugiendæ imprimis cum mulieribus nobis congressiones sunt collocutionesque; neq; ad eas unquam accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere non possimus. Atq; ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secùs atq; ab igne cavendum est; adeò ut quàm ocyssimè, nullâ morâ ab istis nos extricemus. Quod si quis dicat, ex assiduo se cum mulieribus colloquio congressuq; & convictu non admodum lædi; hic sine dubio aut maris naturæ particeps non est; aut portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile.* Et infrà: *Proindè danda est opera, ut (si fieri possit) mulierum colloquia congressusq; funditùs fugiamus. Sin id non possit fieri; in eo enitendum est certò, ut quàm rarissima illa & quàm brevissima fiant: Nè ex earum aspectu in memoriam ejus, cui semel nuntium remisimus, libidinis redire cogamur.* Narrat Cassianus *lib. 5. instit. c. 17.*

c. 17. quod tritum olim apud antiquos Patres fuerit adagium, *omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos*; hos quidem, nè ex Monasterio pertrahatur ab eis ad Officium Clericatûs; illas verò, nè ad carnis provocetur voluptatem. Nec refert, quod fœmina aliqua, quâcum loquimur & conversamur, videatur nobis valdè honesta, devota, religiosa; sitq; etiam reverà talis: Nam utique *pluvia bona est, & bona terra: tamen ex earum conventione fit lutum, quo homo fœdatur*; uti quidem respondet *in vitis Patrum occident. lib. 7. cap.* 10. Quid sanctius in genere fœmineo deberet esse ipsis Sanctimonialibus? Nihilominus SS. Patres Concilii Nicæni II. *can.* 10. severissimè prohibent colloquium inter Monachum & Monacham. Concilia verò Turonense, III. *c.* 29. Arelatense *c.* 7. Et Epaunense *c.* 38. præcipiunt, ut Sacerdos Sacrificio Missæ apud sanctimoniales peracto, confestim ac sine ullâ morâ indè discedat; neque aliquos cum illis sermones non necessarios misceat S. Basilius *in Reg. brevior. interrog.* 109. postquàm proposuisset: An conveniens sit, *ut Antistes unà cum Antistita sæpiùs in colloquium veniat?* respondet: *quoad fieri potest, danda opera est, ut colloquia quàm rarissima fiant & brevissima.* Causam dat *lib. de vera virginit. Est enim vehementer astutus is, qui affectum boni in nobis summo studio malignè depravare conatur; furari quippè nostra bona studia & desideria intendit, suaq; illorum vice callidè nobis inserere. Ita quibusdam, cum verba de virtute, fieri audirent, atq; hujus-*

modi

modi loquenti animæ afficerentur, ex auditu jugi & aspectu clam subreptum est, ut animo imprimerent lineamenta corporea, & voce auditum lascivè mulcerent; nec jam animam, quam prius diligendo, ex hominis ore pendebant, sed corpus ipsum perversè nimis atq; improbè amarent.

Altera occasio fugienda est familiaritas & conversatio cum teneris adolescentibus, & juvenibus imberbibus. *Cave à nimiâ juvenum consuetudine;* inquit S. Ephrem de vita Spirit. *Multi enim corrupti sunt; & stulti evaserunt.* S. Dorotheus *doctrina* 9. ait: *Adolescentulorum colloquia & amicitias fuge ut amicitiam diaboli.* Juxta Helinandum Monachum apud Vincentium Belvac. *tom. 4. lib. 29 c. 144. Quantum periculi sexus affert in muliere, tantum ætas in puero. Periculosa enim est ætas pueri, periculosiorq; societas; periculosissima verò familiaritas. Undè legitur in vitis Patrum, non habendam esse familiaritatem cum fœminâ, & puero.* B. Isaias Abbas *Orat. 3.* monet: *Si junior es; nè audeas corpori alterius manum adhibere.* S. Basilius apud Beatum Petrum Damianum *in Gomar. c. 15.* statuit: *Si deprehensus fuerit aliquis de Fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ; tertiò commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, & memor sit honestatis, & timoris Dei. Si non cessaverit, corripietur, ut dignus est, correptione severissimâ.* Regula S. Pachomii divinitùs per Angelum tradita jubet, *ut Monachus adolescentum vel parvulorum insectator, vel qui osculo, vel qui aliquâ occasione*

curpi

turpi deprehensus fuerit; publicè verberetur, & coronam amittat; decalvatusq; turpiter sputamentis obliniatur in facie; vinculisq; arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustiâ macereturetc. Idem S. Basilius *serm. de Abdicat.* monet Religiosum juvenem, ut æqualium suorum familiaritatem in Monasterio omnibus modis devitet; ait enim: *Juvenis sivè ætate, sivè animo fueris, æqualium tuorum consuetudinem defugito; ab illisq; te non secùs atq; ad ardentissimâ flammâ procul abducito; quando illorum operâ usus adversarius, plerosq; olim incendio dedit, & sempiterno igni cremandos addixit, ac spiritalis videlicet primò Charitatis vanâ quâdam specie illectos in teterrimam posteà Pentapolitarum voraginem præcipites dedit. Quandocunq; assidendum est; aliquo semper intervallo ab eo assidendo. Quandocunq; capiendi somni causâ cubandum; cave, nè vestimenta inter se mutuò sibi vestra propinquent. Quoties verò aut tecum loquitur, aut ex adverso in conspectu psallit: Dejecto in humum vultu tu illi respondeto: nè fortè interim, dum tu illius os defixis oculis contueris, susceptò ab hoste & malorum satore libidinis semine, corruptionis posteà ac perditionis manipulos metas. Domi aut aliquo in loco, ubi quæ à vobis fiant, videre qui possit, arbiter sit nemo, cave nè unà cum eo simul deprehendaris unquam, eâ re videlicet, quod unà cum eo divina eloquia meditari te dicas. Aliamvè quamvis ob causam, etiam summè necessariam &c.* Causam tanti periculi tradit idem Basilius *serm. 1. de Instit. Monachor.* dicens:

Ple-

Plerumque in adolescentum corporibus, tametsi summoperè continentia macerare se studeant, nescio quomodo naturalis illi ætati coloris quasi decor quidam efflorescit; in quem qui inspexerint, it libidinum plerumq; stimulis solent permoveri. Undè S. Theodorus Studitarum Abbas suo successori inter alias leges, etiam istas reliquit & commendavit: *Non statues tibi diversorium, in quo sint etiam mulieres: sed apud Religiosos viros potiùs divertere, Non habebis in cellâ tuâ discipulum adolescentem, quo afficiare; sed ministeria tua obeant diversi Fratres, & minimè suspecti.*

210. Secundum Castitatis conservandæ medium in fugâ consistens est custodia & refrænatio *sensuum externorum* ab objectis illis, quæ phantasias turpes causare, & tentationes carnis excitare, ac quovis modo Castitati periculum adferre possunt. Et quidem de *Visu* monet Spiritus Sanctus. *Eccl.* 9. *Virginem nè conspicias; nè fortè scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis. Averte faciem tuam à muliere comptâ; & nè circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Et *Eccl.* 25. *Nè respicias in mulieris speciem.* Item Eccl. 42. *Omni homini noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea; & à muliere iniquitas viri.* Idem monet S. Hieronymus Rustic. Monach. dicens: *Matrem ita vide, nè*

per

per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Et S. Basilius *serm. de Abdicat. Cave, curiosus sis; neq; videre omnia volueris: nè ex eâ visione posteà in animum tuum libidinum sanies redundet.* Causam dat *lib. de verâ Virginit. Quia qui curiosè in vultus & formas hominum oculos defigit, is jactis luminum radiis veluti quibusdam incorporeis manibus, quæcunq; voluerit, eminùs tangit; & quæ corporeis manibus attingere in potestate non habet, ea oculorum jactibus complectens, per eas, quas impressit animo, formas corpus omne ad invectas imagines voluptatis æstibus jactat. Nam cum haustæ luminibus formæ obtutus defixerit, atq; in anima voluptate mollita ceræ instar conspectæ speciei imagines presserit, quamvis ille abeat, seorsumq; sit, qui hujusmodi formas impresserit, insignita animo conspecti species quod suum est, operatur, animamq; imaginibus ludit. Nec sanè quicquam proderit, corpus servare incorruptum; cùm anima ad injectas sibi per aspectum corporalis amoris illecebras prostituta vitietur. Nam incorporeis manibus hunc jugiter, quem amat, amplectens, insitum medullitùs animo secum semper & ubiq; circumfert; & quæ corporaliter exequi, nè deprehendatur, erubescit, ea perpetrare cogitatione non metuit.* Subdit tandem: *si igitur aspectus adeò pernicioſi ignis materia efficitur; audiamus monentem Scripturam, ac dicentem: oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ innuant justa. Quod si tactus quidam est, oculorum ad corpora jactus, sicuti cùm in eos, qui morbo tenentur,*

tur, oculorum obtutus diutius figimus morbi ipsius consortes efficimur: ita profecto & cùm voluptatis indiciis injicimus oculos; animus voluptatis morbo fit saucius. Dux & prævius ac pronubus oculorum jactus est ejus, cujus manus ministræ sunt, tactus. S. Cyprianus *lib. de disciplin. & Bono pudicit.* hortatur, *ut nihil consideretur curiosè in vultibus alienis* scilicet

- - - - Lumina visu
Concipiunt flammas, parturiuntq; nefas.
Ergò puellares formas vultusq; decentes,
Aut verso, aut merso despicies capite.

uti canit S. Oriontius Episcopus *in Bibliothec. SS. Patrum tom. 5. part. 3.* Causa gravissimorum aquis diluvii expiandorum peccatorum singificatur *Genes.* his verbis: *Videntes Filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ &c. Genes. 34.* Dicitur de filia Jacob: *egressa est Dina &c. quam cùm vidisset Sichem filius Hemor, adamavit eam. Genes. 39. Injecit Domina oculos suos in Joseph:* & indè concupiscentia. *1. Reg. 11. David vidit mulierem &c.* ac statim secutum est adulterium. *De longè vidit illam, in quâ captus est. Mulier longè; libido propè;* inquit S. Augustinus *tom. 8. in Psalm. 50.* De sene & Judice, qui insidiatus est Castitati Susannæ ait Daniel Propheta *c. 13. Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.* Dicitur enim ibidem *versu. 5. Videbant eam senes quotidiè ingredientem & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam ejus.* Nec gentiles & Ethnicos latuit hoc periculum oculo-

rum malè cuſtoditorum: nam Plato vocat oculos *Principium amoris*. Et Poeta canit: *Si neſcis, oculi ſunt in amore duces*; Juxta Senecam *de remed. fortuit. Irritamenta ſunt oculi vitiorum, duces ſcelerum. Huic adulterium oculi miniſtrant; huic domum, quam concupiſcat.* Cùm Sophocles videns adoleſcentem valdè formoſum, diceret Pericli collegæ ſuo in officio Prætoris: En quàm ſpecioſus adoleſcens! reſpondit Pericles: *Decet Prætorem non modò manus, ſed oculos & linguam habere abſtinentes*; uti refert Stobæus *ſerm. 5.* De Iſæo ſcribit Philoſtratus *in Sophiſt.* quod, cùm quidam ei fœminam oſtendens, interrogaret, num formoſiſſima videretur, reſponderit: *Deſii laborare oculis*; docens, magnum eſſe oculorum morbum & periculoſam infirmitatem, ſi hi ſint proni ad mulieres conſpiciendas, & ad vultus elegantes contemplandos. S. Baſilius *homil. 24. de libr. gentil.* refert, quod Alexander Magnus *Darii filias captivas admirabili formâ & decore conſpicuas nec videre dignatus eſt; turpe eſſe exiſtimans, victores his, quas ipſi ſuperâſſent, gentibus ſuccumbere.* Meritò igitur Job *pepigit fœdus cum oculis ſuis, ut nè cogitaret quidem de virgine.* Et *nè prius incautè aſpiceret, quod poſtmodùm invitus amaret;* ut inquit S. Hieronymus *in dictum locum. c. 31.*

De ſenſu *Auditûs* ait S. Baſilius *lib. de verâ virginit. Nec minori ſtudio aures obſtruere curabit: nè quicquam in eas malum ac noxium influat; neque invectis extrinſecùs per aures verbis agitetur animus.* Nam *Auditus ſuavitatem vocis attingens*

gens, animam in lasciviam solvit. Et fœmina liquidiore voce ad oblectamentum auris, organi instar effecta est, & ad seductionem formata voluptatis. Quapropter Sectator Castitatis *omni custodiâ servet cor suum, ut neq; per vocem profluens sermo auditorem demulceat ad voluptatis illecebram; neq; rursùs extrinsecùs in aurem ab alio invectus, ipsius cor ad concupiscentiam molliat.* Quia adolescens ille *Proverb. 7.* aperuit aures suas voci mulieris blandientis; hæc *irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum;* ùt eam sequeretur, *quasi bos ductus ad victimam; ignorans, quod ad vincula stultus trahatur; velut si avis festinet ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur.*

De sensu *Tactûs* vide, quæ suprà diximus. De *Gustu* ait S. Nilus *orat. 2. de luxur. Qui ventrem cibis explet, & se castè victurum profitetur, ei similis est, qui dicit, in stipulâ se flammæ impetum fræno cohibiturum: quemadmodùm enim furor ignis in stipulâ sæviens coerceri non potest: ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retineri nequit.* Causam dat S. Basilius *lib. de verâ virginit.* dicens: *ventre distento epulis, necesse est ea, quæ sub ipso sunt, membra ex humoris redundantia in profundo ferventis ad propria & naturalia officia moveri: quippè Superior venter suppetit illis incentiva libidinis. Ante omnia igitur adversus Gustum virgo totâ intentione pugnabit, fontesq; voluptatum ventris & impudicitiæ fomitum indè manantium à principio Ca-*

stitatis studio & ardore siccabit. Neq; verò sola escarum quantitas ubiq; probè metienda ; sed & qualitas imprimis sapienter discernenda est. Pro noxiis vitanda vitanda sunt, quæ carnis recessus intimos pungunt, & pruritus titillationesq; excitantia, corpora nostra perturbant, ac secretâ vi suâ inquietant. Undè Noster Laurentius Landtmetter commentans in illud Augustini in Regulâ: *carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs ; quantum valetudo permittit* ; ait, *Religiosum obligari ad temperantiam ; etiamsi aliàs non foret per sepræcepta, ob custodiam castitatis : quia cum carnis titillationes ferè oriantur ex abundantia humidi redundantis ; vix restabit quandoq; aliud remedium, præsertim in forti & succulentâ ætate, quàm strictior temperantia, quæ siccat & refrigerat.* Et S. Hieronymus *in Epist. ad Titum c. 3. Dicat quisq; quod volet ; ego sequor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.* Potissimùm verò mortificandus est gustus per abstinentiam & exactiorem temperantiam vesperi sub cœnâ : quia *solet diabolus sub veſperam maximè excitare homines ad gulam ; ut noctu semisomnes & torpidos tentet per libidinem, aliosq; pravos motus, eosq; varios & multiplices, velut examen apum* ; ut ait S. Basilius *homil.* 14. Hæc de mediis, quæ in *fugâ* consistunt.

De aliis, quæ posita sunt in *agendo* & operando, cujusmodi sunt virtus Humilitatis, lectio & meditatio SS. Scriptuarum, occupatio assidua & seria, oratio, frequens Sacramentorum Pœniten-

tentiæ & Eucharistiæ usus &c. jam suprà fusiùs egimus ubi remedia contra tentationes attulimus. Quibus tamen addi potest ex S. Basilio *lib. de verâ Virginit. Reverentia sui ipsius*, S. Angeli custodis, & aliorum Angelorum, imò ipsius Sanctissimæ Trinitatis. *Sola, nullo prorsùs hominum teste, nihil quod sponso suo indignum sit, agere ullâ ratione patietur*; inquit præfatus Doctor. *Etsi enim adsit nemo; ipsa tamen sibi virgo adest, debetq; præ omnibus seipsam revereri: Neq; enim quæ reveretur cæteros, seipsam reverentiâ indignam judicabit; verùm seipsam primùm, conscientiamq; suam reverebitur; etiamsi valdè sit sola; deindè astantem sibi custodem Angelum: Angeli enim eorum, semper vident, inquit, faciem Patris vestri, qui in cœlis est. Neq; verò convenit, ut Angeli ejus, cui credita est cura ac custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo. Præ cunctis autem ipsum sponsum suum* (Christum) *reverebitur, sibi assistentem, ipsiusq; Patrem, & Spiritum Sanctum, ipsas etiam Angelorum infinitas multitudines, & unà Sanctorum Patrum beatissimos Spiritus: Nullus enim ex his est, què non singula ubiq; consideret.* Hæc ille.

§. 15.

De quarto medio ad operandum ex charitate Dei, quod est virtus Obedientiæ.

211. REmotis iis impedimentis, quæ sunt extrà nos, ut Honores, respectus humanus,

nus, vana gloria, possessio Bonorum temporalium, uxor, liberi &c. Resectis item à corpore nostro voluptatibus carnalibns, quæ animum deprimunt, transire nunc debemus ad removenda impedimenta interna animæ nostræ, quæ tranquillum, quietum & pacatum statum nostrum internum, ad nos cum Deo per exercitium Charitatis conjungendos & uniendos necessarium, disturbant & evertunt. Cujusmodi impedimenta interna imprimis sunt *propria voluntas*, & *proprium judiciam*. Ac quidem loquendo de propriâ voluntate, describit eam S. Prosper *lib. 3. c. 1.* dum ait, eum vivere ex propriâ voluntate, *qui secundum seipsum vivit; qui si potuerit, est cum quibus vult; pergit, quò vult; dormit, quando & quamdiu vult; loquitur quæ vult, & ubi vult; manducat & bibit, quando & quod vult, & quantum vult; ridet ac lætatur, inter quos vult.* S. Bernardus *serm. 3. de Resurrectione Domini* inquit: *Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo, & hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, non ad Honorem Dei, non ad utilitatem Fratrum, sed propter nosmetipsos facimus; non intendentes placere Deo, & prodesse Fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.* Quàm verò hoc adversetur Charitati Dei & proximi; quantosque animi motus, alterationes, & turbationes in nobis excitari necessæ sit, si hæc voluntas nostra, quam ubique impleri quærimus, non impleatur; sed plura sæpè contra eam sivè à Deo, sivè à proximis nostris accidant, satis con-

constat experientiâ in congregationibus. Et docet Cassianus *lib. 4. Instit. c. 8.* dicens: *Nullatenùs posse eum iram aut tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, nec retinere veram cordis Humilitatem, & cum fratribus perpetuam concordiam, & diutius in cœnobio manere, qui prius voluntates suas non didicerit superare.* S. Bernardus *serm. 3. citato de Resurrectione* inquit: *Quid odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? cesset voluntas propria, & infernus non erit: in quem ènim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem? Hæc est crudelis illa bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima. Hæc est immundissima lepra* &c. S. Dorotheus *Doctrinâ. 1.* ait: *si liberari perfectè volumus, & ab hoc sæculo discedere; oderimus imprimis voluntatem nostram; & sic brevi divino præsidio ad impassibilitatem animi perveniemus; & libertatem spiritus acquiremus.* Qui enim voluntates suas vincunt & abdicant, sequentes voluntatem alienam, *tales omninò nihil terræ hujus aut timent, aut desiderant: non illos turbant aut percellunt labores, non movent gaudia; deniq; nihil omninò est, quod pacem mentis ipsis eripere, aut eos inquietare possit;* ut inquit S. Theresia *lib. fund. c. 5.* Propter quod SS. Patres discipulos suos docuerunt, primitus vincere propriam voluntatem; juxta illud *Eccl. 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tuâ avertere.* S. Severus Sulpitius *lib. 1. dialog. c. 5.* de Monachis, quos ipse propè Nilum invisit, *scribit: Hæc illo-*

rum prima virtus est, parere imperio alieno. S. Fulgentius Episcopus & Abbas *apud Surium tom. 1. ad 1. Januar. illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis, parati essent nihil velle, vel nolle; sed Abbatis tantummodò consilia vel præcepta servare.* Cassianus *lib. 4. instit. c. 8.* ait, monasterium ingressos *ascendere posse summa perfectionis culmina, si doceantur primitùs suas vincere voluntates, & si studiosè exerceantur in his, semperq; eis imperentur de industriâ, quæ sentiuntur eorum animo esse contraria.* S. Antonius *apud Ruffinum in vitis Patrum lib. 1. c. 31.* monet: *Si quis cupit ad perfectionem velociter pervenire, non sibi fiat Magister, nec propriis voluntatibus obediat; etiamsi rectum esse videatur, quod velit: sed secundum mandatum Salvatoris ante omnia abneget semetipsum, & renuntiet propriis voluntatibus: Quia & ipse Salvator ait: Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* S. Hieronymus Rustico Monacho suadet, ut eligat vivere non solitarius, sed in congregatione: quia solitarius sequitur propriam suam voluntatem; *& quò gula voluerit, porrigit manum: dormit, quantum voluerit; nullum veretur; facit, quod voluerit.* Ac post multa subdit: *per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub unius disciplinâ Patris. Non facias, quod vis. Comedas, quod juberis. Vestiare, quod acceperis. Operis tui pensum persolvas. Subjiciaris cui non vis. Lassus ad*

stra-

stratum venias, ambulansq; dormites; & nec dum expleto somno surgere compellaris. S. Basilius deniqúe *serm. de Abdicat.* ait: *voluntatem tuam omnem expuito, ac foràs projicito.* Et *serm. 2. de Instit. Monachor. Delata ad unum quempiam de communi omnium consensu potestate, privatæ cujusq; separatim omnes facessere voluntates debent, seq; cuncti deinceps ad Magistri sui mentem conformare.* Item *in Regula fus. interrogat. 6. oportet ut nos ipsos primùm abnegemus. Nihil est autem aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atq; à suis ipsius voluntatibus recessio.* Imò in tantum SS. Patres voluntatem propriam à nobis abdicari volunt, ut nec opus aliquod ex se bonum, laudabile cœteroquin, & honestum faciamus ex propriâ voluntate & arbitrio. Ita enim docet S. Bernardus *serm. 71. in Cantica*, dicens: *Si in die jejunii inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit cœlestis sponsus; nec sapit illi jejunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solùm de jejunio, sed de silentio, & vigilis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni observatione Monachi, ubi invenitur voluntas sua in eâ, & non Obedientia Magistri sui, idipsum sentio: minimè prorsùs observantias illas, etsi bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas. Sed audiet à Propheta, qui ejusmodi est: nunquid tale est obsequium, quod elegi? dicit Dominus. Et addit: in die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tuæ. Grande ma-*

Inm propria voluntas! quâ fit, ut bona tua tibi bona non sint. Et S. Basilius *serm. de Abdicat. Hoc apud te constanter teneto, ut nihil omninò quicquam præter illius sententiam facias. Quidquid enim eo insciente facis, id furtum ac Sacrilegium est; tibiq; exitium, non autem utilitatem ullam apportat; esto, tu id bonum judices.* Et *serm. 2. de Instit. Monachor. Vera perfectaq; subjectorum adversus moderatorem Ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex ejus consilio non à rebus modò flagitiosis abstineat; sed si nec ea quidem, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. At si quis propriæ obsequens voluntati, spretis consiliis Antistitis sui id facere voluerit, quidquid ipsi collibitum sit; hic plus erit, quod faciet mali, quàm boni.* Item *in Regul. brevior. interrogat.* 137. postquam quæsivisset: *num rectum sit hoc, quod aliquis cum animo suo statuat, se per aliquod certum tempus ab hac vel illa escâ potioneve abstinere?* respondet: *cùm Dominus dixerit: non ut faciam voluntatem mecum, sed ejus, qui misit me; in quacunq; re voluntatis suæ arbitrio stare periculosum est.* Et *interrogat.* 138. ad propositionem: *nunquid in fratrem familia permitti alicui debet, ut plusquàm cæteri jejunet, vigiletve ex proprio ipsius voluntatis arbitrio?* respondet: Cùm Dominus dixit: *descendi de cælo; non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, patris. Quidquid quisq; ex propriæ voluntatis arbitrio facit, id cùm facientis proprium sit, alienum est â cultu pietatis.* Quod benè notent

Tyro-

Tyrones & Novitii, ut nullam mortificationem corporis non præscriptam assumant sine scitu & consensu sui Magistri.

212. De *proprio judicio* nimis manifestum est, quantas pariat animi perturbationes, inquietudines & tumultus tùm in ipso homine, qui proprii & singularis sui judicii tenax est, aliorum maximè superiorum judicio se non vult conformare; tùm etiam in totâ congregatione & communitate, cui talis summoperè onerosus, ac quasi intolerabilis & insupportabilis existit, ut potè contentiosus, charitatis, concordiæ & pacis inimicus, arrogans, qui aliis cedere & eorum sententiæ deferre nescit, sed omnibus contradicit, & sibi adversantes oppugnat, cum verborum contentione, animorum aversione, & charitatis subversione. De quo hominum genere S. Chrysostomus ait *homil 39. in Act. Apost. Item fit, quando cum talibus pugnamus, ac si quis Stercore oblitum percutiat; qui dum illum ferire studet, suas ipse manus contaminat, scilicet: Hoc scio pro certo; quoties cum stercore certo; vinco, seu vincor, semper ego maculor.* Periculosius autem & magis noxium est hoc vitium intellectus, si subditus eò temeritatis & impudentiæ perveniat, ut judicium, & sententiam Superiorum suorum dijudicare velit, jussa & prohibitiones contemnat; suum judicium illorum judicio anteponat; leges, dispositiones, & ordinationes eorundem carpat, & erroris arguat. Undè S. Bernardus *serm. 3. de Resurrect. Lepra propriî consilii eò perniciosior est, quò magis occulta;*

ta ; & quantò plus abundat , tantò sibi quoq; sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent , sed non secundùm scientiam ; sequentes errorem suum , & obstinati in eo ; ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis , charitatis expertes , vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis , ignorantes Dei justitiam , & suam volentes constituere. Et quæ major superbia, quàm ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat , tanquam ipse solus habeat spiritum Dei ? Accedit, quod capitositas & proprii judicii ac voluntatis tenacitas quandoq; causa sit discessûs iterum ex monasterio vel Religione ; sicut indicant Eusebius Emissenus *homil. 3. ad monachos* dicens : *Pro aliquâ negligentiâ correctus , & pro disciplinæ ordine castigatus, non se ad emendationem, non ad satisfactionem confert , sed magis ad illam proterviam , ut dicat : desero, atq; discedo ; hoc ego ferre non patior : ingenuus sum : malo discedere , quàm emendare , quàm satisfacere , quàm implere quod præcipis. Quid est hoc aliud, quàm jugum Christi rebelli cervice à se excutere ? Quid prodest , quod discedis , qui astrictus es vinculis passionum ? Quid prodest , quod discedis , qui , quocunq; loco vadas , te tecum portas ? Meritò discederes , si quoq; te fugere posses. Dignè aliquis discedit , si illuc ire possit , ubi eum diabolus invenire non possit. Nemo se fallat : non fugis adversarium de loco ad locum , sed de vitio ad virtutem , de passione ad emendationem. Nam si eum*

cum aliter fugias, sequetur te. Non obedire, & velle discedere, hoc est dupliciter facere diaboli voluntatem, hoc est voluntariè sibi damnationem inferre. Intelligamus ergò charissimi, istas indignationes inimico operante & disponente provenire. Ille enim, qui non potest absolutè de loco salutis excutere, immittit primùm occasiones & causas, immittit inobedientiæ passionem: quæ cùm captivam illaqueaverit mentem, statim intoleranda atq; impossibilia facit etiam ea, quæ parva & levia sunt. Inobedientia obdurat animam, quam semel cepit ut ad suscipienda præcepta nec authoritate nec ratione flectatur; sed (quod pessimum est) sibi soli credat, & intentiones suas sequatur, & hoc solum rectum putet, quod obdurato corde concepit. Itinera insipientium recta in conspectu eorum. Prov. 12. Tempore discessionis multa promittit inimicus: persuadet illi, se illic, quò dendit, majorem profectum, multam gratiam, atq; rerum omnium abundantiam reperturum, ac se tanquam angelum suscipiendum. Et post hoc quandoq; anxietate repletur, & pace nudatus, memor quomodò profectùs sui studium & sacrum Ovile reliquerit, tunc advertit.

213. Has ergò tantorum malorum, discordiarum, tumultuum, & perturbationum radices, voluntatem propriam & judicium proprium extirpat & funditùs exscindit *virtus Obedientiæ*; quæ juxta S. Joannem Climacum *Grad. 4. est sepulchrum voluntatis propriæ, & discretionis depositio. Nam qui subjectus est, & alterius pa-*

ret,

ret imperio; ipse adversus se ipsum sententiam fert, & omni judicio se exuit. Obedientia est enim, nunquam sibi, ne in his quidem, quæ videntur optima, usq; ad consummationem vitæ credere. Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, inexaminatus, atq; indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens. Et veri Obedientes *gladium spiritus vibrantes, voluntates suas necant*; ut ait idem Climacus. Undè patres antiqui volentes docere suos Discipulos virtutem Obedientiæ, talia illis imperabant, quæ proprio illorum judicio poterant videri inconvenientia. *Patres seniores non loquuntur ab initio Fratribus recta, sed magis distorta; & , si viderint, quia qua distorta sunt, faciunt, jam eis non loquuntur, nisi quæ expediunt, agnoscentes, quoniam in omnibus obedientes sunt*; inquit Abbas Joseph *apud Paschas. libell.* 10. *n.* 30.

Definitur autem Obedientia, quod sit *virtus inclinans voluntatem ad exequendum jussa Prælatorum.* Objectum ejus materiale, circa quod versatur, sunt imprimis omnia opera, functiones, & exercitia, quæ in Regula præscribuntur; deindè quæ per Superiorem juxta Regulam injunguntur, Dicitur verò superior aliquis injungere & præcipere *juxta Regulam*, cùm præcipit non tantùm, quæ expressè in Regula continentur, verum etiam quæ ad Regulam quocunque modo reducuntur; cujusmodi sunt omnia, quæ moraliter sunt necessaria, aut opportuna ad Regulæ observationem; ut inquit Suarez. *de voto lib. 6. c. 7. n. 7.* vel quæ pertinent ad Regularem con-

conversationem; ut ait S. Thomas. 22. q. 104. a. 1. ad 3. Qualia sunt omnia & singula, in Canonici Ordinis Præmonstratensis Statutis contenta. *Sunt* enim *Statuta nostræ Augustinianæ Regulæ interpretationes, & semitæ, quibus juxta Canonicum nostrum institutum per præscriptas eâdem Regulâ virtutes Evangelicæ perfectionis culmen nobis est contendendum;* uti dicitur *in præfat.* Undè quamvis ad illorum observationem per se loquendo non obligemur sub reatu culpæ alicujus, sed solum sub reatu pœnæ; uti inibi declaratur: possunt nihilominùs singula in illis contenta præcipi per Superiorem sub peccato: imò de facto sic præcepta sunt, quæ ad tria Religionis vota essentialia, & ad communem vitam, aliaq; vitæ Regularis substantialia pertinent. Item quæ à Summis Pontificibus circa reformationem Ordinis sunt constituta, & in virtute Obedientiæ præcepta; cujusmodi sunt silentium in locis & horis constitutis, labor regularis, disciplina capituli, & alia in Bullâ Reformationis Innocentii Papæ III. & Alexandri IV. contenta. Porrò quamvis Prælato aliquid mandanti supra vel contra Regulam, vel quod Divinæ aut Ecclesiasticæ legi adversatur, aut alio modo potestatem & Autoritatem mandantis excedit, nemo teneatur in eo casu obedire: Nihilominùs quamdiu manifestum & evidens non est, quod res præcepta sit contra Dei vel Ecclesiæ præceptum, aut contra Regulam, Statuta vel decreta altioris potestatis; aut suprà legitimam potestatem præcipientis; tunc semper & ubique est

Obe-

Obediendum ſuperiori mandanti, quia in dubio, an præceptum ſit rationabile, juſtum & legitimum, ſtat præſumptio ſemper pro ſuperiore mandante, Undè conſtitutiones Societatis Jeſu requirunt, ut ſubditi obediant *in omnibus, in quibus non cernitur manifeſtum peccatum.* Nèque eſt neceſſe, imò nè expedit quidem, ut ſubditus inquirat, aut ſolicitus ſit apud ſe, ſitnè bonum & Regulæ vel præceptis Divinis humanisque conforme, quod ſuperior mandat; ſed ei abundè ſufficere debet, quod res præcepta non appareat manifeſtè & evidenter mala. *Credas tibi ſalutare, quidquid Præpoſitus præceperit: Nec de majorum ſententiâ judices; cujus officium eſt Obedire, & implere, quæ juſſa ſunt;* inquit S. Hieronymus *Epiſt. ad Ruſtic. Monach.*

214. *Formale* objectum virtutis Obedientiæ eſt ipſa Honeſtas, quæ reperitur in adimpletione voluntatis & præcepti Superioris. Cùm enim non ſit poteſtas niſi à Deo; *quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt,* teſte Apoſtolo *Roman. 13.* ſequitur planè, honeſtiſſimum & æquiſſimum eſſe, ut ſubditus mandato Superioris obediat. Undè S. Thomas *q. 104. a. 1.* ait: *Ex ordine Juris Naturalis & Divini teneri inferiores obedire ſuis Superioribus.* Quia recta ratio ab auctore naturæ Deo nobis indita id dicat. Nam *quoniam varia ſunt hominum ingenia; neq; ſimiliter de rebus utilibus omnes judicant; tollendæ cauſa omnis, quæ oriri poſſit, perturbationis, ſi uniusquisq; videlicet eum maximè ſequi ritum vellet, quem adamâſſet: illud curandum eſt: ut aliquis deligatur, qui cæteris*

teris præsit; ut inquit S. Basilius *serm. 2. de Instit. Monachor.*

215. Sunt tamen alia plura adhuc motiva extrinseca & incitamenta, quæ nos ad obediendum inducere possunt ac debent. *Primum* est necessitas, quam nobis imponit præceptum graviter obligans: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. Itaq; qui resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; inquit Apostolus *Roman.* 13. *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Undè S. Basilius *serm. 2. de Institut. Monachor. Delatâ ad unumquempiam de communi omnium consensu potestate, privatæ cujusq; separatim omnes facessere voluntates debent, seseq; cuncti deinceps ad Magistri sui mentem conformare, & præcepto Apostoli obtemperare; qui excellentioribus potestatibus subjectos esse omnes jubet; cùm, qui ipsis restiterint, ipsi sibi ipsis damnationem inveniant.* Nec refert, quod Superiores aliquando sint homines imperfecti, passionati, aut aliis defectibus & vitiis obnoxii. Nam licet juxta doctrinam S. Basilius *serm. 1. de Institut. Monachor. necessariò talis aliquis hujuscemodi vitæ moderator deligi debeat, in cujus vitam quicunq; intueantur, omnium virtutum Exemplar ante oculos propositum habeant; & cui ipsa vitæ conversatio moresq; ex moderatione incanuerint, ut quidquid ab eo dicatur, fiatvè, id cunctis Fratribus pro lege & regula sit:* vel, ut idem habet *serm. 2. de Institut. Monachor. Qui*

omnium testimonio omnibus in rebus prudentiâ & gravitate, vitæq; sanctitate cæteris omnibus præstare judicatus fuerit: quò videlicet virtutis, quæ in ipso est, fructus promiscuè in cunctos redundet. Nihilominùs si per electionem imprudentem Fratribus præpositus fuisset Antistes indiscretus, defectuosus & imperfectus, aut etiam malitiosus; obedientia ipsi præstanda esset in omnibus, quæ non sunt apertè mala & peccaminosa; juxta illud Christi *Matth. 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergò quæcunq; dixerint vobis, facite: Secundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Nam etiam *dyscolis* obedire nos jubet S. Petrus. *1. Epist. c. 2. quia etiam talibus dominandi potestas non datur, nisi summâ Dei Providentiâ, quando res humanas judicat talibus dominis dignas;* ut inquit S. Augustinus *lib. 5. de civitate c. 29.* Sicut Christus impio Præsidi Pilato respondit *Joann. 19. Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Propter quod S. Paulus *Rom. 13.* jubet Fideles obedire Magistratui & Imperatoribus Ethnicis & paganis: *quia non est potestas nisi à Deo;* qui subindè homines etiam impios justissimis de causis permittit ad Prælaturas evehi propter peccata subditorum; sicut dicit S. Anastasius Sinaita *in Psalm. 5. Cùm videris indignum aliquem & sceleratum Regem, aut Principem aut Magistratum, aut Episcopum; nè mireris, neq; Dei accuses providentiam; sed disce, & crede, quod propter iniquitates nostras tradimur ejusmodi Tyrannis.*

Quis-

Quiscunque igitur Superior præficiatur, *sibi persuasisse Fratres reliqui omnes debent, non fortuitò, neq; casu, sed Dei voluntate hujusmodi potestatem Antistiti suo fuisse delatam*; inquit S. Basilius *serm. 1. de Institut. Monachor.* cui proindè obsequi debent, *nihil omninò illius jussa curiosiùs scrutantes, quando libera sunt à peccato; ut ait.* idem *in constitut. Monast. c. 23.*

216. Alterum Obedientiæ motivum est, quod ipsi nosmet dirigere, & quæ facienda, vel omittenda nobis sunt, sine periculo errandi sæpè non possimus eligere, adeoque necessè habeamus, alterius nos directioni submittere. Sicut ait S. Basilius *in Regul. brevior.* interrogat. 119. *Quoniam non potest statuere unusquisq;, quid sit, quod è re suâ sit, sæpe numero opus illud deligit, quod sibi obsit.* Et *in Constit. Monast. c. 23. Novit, qui intelligens moderator est, uniuscujusq; mores & affectus & animi motus diligenter exquirere, & adhæc accommodatum etiam singulis remedium adhibere. Quocircà nullo modo est ejus statutis adversandum; sed illud firmissimè tenendum, rem omnium esse difficillimam, se ipsum cognoscere, & curare, propterea quod naturaliter seipsum quisq; amat; & quilibet propterea, quod in seipsos propensi sunt, in veritatis judicio fallantur. Porrò ab alio cognosci, curariq. facilè est; cùm iis, qui cæteros judicant, ad discernendam veritatem nequaquam obstet amor sui ipsorum.*

217. Tertium motivum est, quod *inobedientia* præter contemptum Dei & superioris, communiter etiam scandalizet fraternitatem. Et

quidem de contemptu ipsius Dei ait S. Basilius *in Regul. brevior. interrogat.* 38. *Tibi persuadeto, quod quidquid sivè contumaciæ sivè inobedientiæ religiosus adhibet, non adversus hominem adhibet, sed adversus ipsum Dominum, qui dixit: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quia *nihil est aliud Antistes, quàm is, qui personam Christi sustinet*; ut ait idem *in Constitut. Monast. c.* 23. Quod verò inobediens contemnat etiam Superiorem loco Dei præcipientem, significat idem Basilius *in Regul. fus. interrogat.* 28. dicens: *Antistitis imperium detrectare, & verbis adversum jussa ipsius litigare, magno indicio est, eum, qui id faciat, multis vitiis laborare, fidei debilitate, spei ambiguitate, arrogantiâ morum atq; superbiâ: Neq; enim alterius dicto audiens unquam esse quisquam recusabit, nisi prius ipsum sibi consilii authorem apud seipsum despexerit.* Addit Apostolus *Hebræor.* 13. Subditum inobedientem contristare & affligere etiam suos Superiores in propriam inobedientis perniciem: ait enim: *Obedite Præpositis vestris, & Subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro Animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Quod denique etiam inobediens scandalizet Fraternitatem, & pessimum aliis exemplum præbeat, declarat idem Basilius *in Regul. brevior. interrogat.* 119. cùm enim proposuisset: an liceat alicui assignatum sibi opus recusare? respondet: *Omninò hic obedientiam violat, & apertè declarat, nequaquam seipsum abnegasse: tum etiam*

aliorum

aliorum complurium malorum cùm sibi tum aliis author existit: nam & reliquis januam ad contumaciam contradictionemvè patefacit. Et *in Regul. fus. interrogat. 47. Si qui diutius in contumacia hæserit, adversus Antistitem clàm queruli, hi perindè ac disceptationis inter fratres exortæ authores, aut qui certissimam authoritatem collisérint, aut labefactarint ejus, quæ majorum debetur præceptis, Obedientiæ, ac velut rebellionis & inobedientiæ Magistri prorsus à reliquâ fratrum familiâ exiguntor.* Item interrogat. 24. *Qui est sub alterius ditione, eum scire convenit, se, si contumax fuerit, neutiquam illud impunè laturum; in majore autem periculo versari, si alios etiam præterea scandalizet.* Deniqúe in Regul. brevior. interrogat. 119. *in universum obedientiam abjicere, multorum ac magnorum malorum radix est. Verùm si causam se aliquam habere putat, quam ob rem opus recuset, hanc magistris indicato, eamq; illis disceptandam relinquito.*

218. Quartum motivum, est securitas nostra in operando; & immunitas à periculo peccandi. Nam licet superior aliquis possit & soleat subindè errare ac peccare in jubendo; subditus tamen procedit securus in exequendo illud, quod Superior jussit; certusque est in conscientia, se non errare quoad substantiam operis; adeoque in sereníssimo Dei Tribunali non exiget ab eo Judex, cur hoc illudvè fecerit? sed tunc respondendi onus soli superiori incumbet, qui tale opus mandavit fieri. Undè de Superioribus ait S. Paulus *Hebræor. 13. Ipsi pervigilant, quasi rationem pro*

animabus vestris reddituri. Et S. Augustinus in Regula: *semper cogitans* (Prælatus) *Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Undè magis obediendo non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini; qui inter vos quanto in loco superiori, tantò in periculo majori versatur.* Tradit id etiam apertis verbis S. Joannis Climacus *Grad.* 4. dum ait: *Obedientia est inexaminatus atq; indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta navigatio, confectum ad dormiendum iter.* Et infrà: *Quicunq; sarcinam vestram alterius collo imponere satagitis, quicunq; aliorum manibus sublati, & natantes hoc mare magnum trajicitis; scitote, quod brevem quandam & asperam viam pergere conamini; in quâ unus & sous latet error, quem suimet moderationem dicere possumus; cùm scilicet quisq; sibi idoneus ad seregendum & moderandum videtur.*

219. Quintum obedientiæ motivum est ingens meritum, & huic correspondens in cœlo præmium: quia per obedientiæ votum homo offert ac mactat Deo, quod habet optimum, nempè propriam ac liberam suam voluntatem seu libertatem. Undè *melior est obedientia, quàm victimæ* 1. *Reg.* 15. *quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur;* ut inquit S. Gregorius *lib. ult.* moral. c. 12. Et juxta S. Thomam *q.* 104. *Cùm sint tria genera humanorum bonorum, quæ contemni possunt propter Deum; quorum infima sunt externa bona; medium bona corporis; supremum*

verò

verò bona Animæ, inter quæ præcipuum est voluntas. Laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit & vincit propriam voluntatem, quàm aliæ vitutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt. Accedit insuper alia ratio; quia scilicet major se offert difficultas in abnegatione propriæ voluntatis, quàm in renuntiatione aliorum bonorum; adeoque etiam major requiritur vis, labor & conatus ad vincendam hanc difficultatem; atque ideò victoria hominis de se ipso existit glorioſor, *Vir* enim *obediens loquetur victoriam. Proverb. 21. Quia dum alienæ voci subdimur, nosmetipsos in corde superamus*; ut inquit S. Gregorius *lib. 35. moral. c. 10.* scilicet *fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia*; ut canit Poëta. Et juxta eundem S. Gregorium *homil. 32. in Evangel. Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua: sed valdè laboriosum est relinquere semetipsum, minus quippè est, abnegare quod habet: valdè autem multum est, abnegare quod est.*

220. Sextum motivum est Exemplum Filii Dei in terrâ conversantis; cujus imagini Deus vult conformari omnes filios adoptivos; ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus. *Roman. 8.* Dicit autem de Obedientia illius Lucas *c. 2. Descendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis.* Scilicet ab Anno Christi duodecimo usque ad trigesimum non fit mentio alterius dicti aut facti ipsius, nisi solius Obedientiæ; quo datur intelligi, quod Christus toto illo tempore

intermedio se exercuerit in operibus Obedientiæ. De ipsius Obedientia erga Patrem cœlestem testatur S Paulus *Philipp* 2. *Factus obediens usq; ad mortem; mortem autem crucis.* Ipse verò de se ait *Joann.* 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Et *Joann.* 5. *Non quæro voluntatem meam; sed voluntatem ejus, qui misit me.* Item *Joann.* 6. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam; sed voluntatem ejus, qui misit me.* Porrò advertendum est homini Religioso, qui Christũ sequi, & illius imaginem portare, atque ipsum prorsùs induere decrevit, quod Obedientiæ per cœlestem Patrem Christo impositæ, non fuerint ad Officia in hoc mundo honorata, non ad splendidas functiones, non ad munia cum favore & plausu hominum conjuncta, non ad corporis commoditates & oblectationes (cujusmodi favorabiles obedientias multi hoc tempore affectant, quærunt, & per occultos non rarò cuniculos sub speciosis titulis sibi apud Superiores procurant.) Sed injunctæ fuerunt Christo Dei Filio obedientiæ admodùm molestæ, difficiles, arduæ, & onerosæ, videlicet ad opprobria, contradictiones, convitia, irrisiones & ludibria, contemptum & vilipensiones, persecutiones, ac demùm ad ignominiosissimam crucis mortem cum latronibus subeundam. Propter quod gaudere & nobis ipsis gratulari ex animo deberemus, si videremus, aliis Fratribus nostris per Superiores injungi officia splendida, functiones honorificas, aliasque obedientias commodas, favora-

vorabiles, gratas & acceptabiles; nobis autem præcipi opera & functiones odiosas, viles, contemptibilies, molestas, incommodas, cum nullo corporali interesse, favore, aut plausu hominum conjunctas. Hac enim ratione propiùs accedimus ad Imaginem & similitudinem Filii Dei, & in spe prædestinationis nostræ magis roboramur, quod simus Filii Dei adoptivi, Hæredes Regni, cohæredes autem Christi : *Nam quos* Deus *præscivit*; hos *& prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Roman. 8.*

221. Sunt autem tres Obedientiæ gradus à Novitiis & Tyronibus conscendendi : Primus dicitur *Obedientia operis.* In quo inveniuntur illi, qui opus per Superiorem sibi injunctum exequuntur & perficiunt quidem secundùm substantiam & circumstantias totaliter, integrè & completè, ita ut nulla pars aut circumstantia exterius requisita desit; verùm illubenter, animo invito & reluctante, ac cum aliquo renisu & repugnantia voluntaria. Qui gradus procul dubio valdè adhuc est imperfectus, ac sæpè cum contradictione & murmuratione saltem occultâ est conjunctus. Imò qui opus aliquod illubenter & contra voluntatem facit, is in proximo est, ut illud absente inspectore vel planè omittat, vel obiter solùm & perfunctoriè faciat, serviens duntaxat ad oculum. Quomodò legimus in Evangelio de quodam, qui patri jubenti, ut iret ad vineam, & operaretur, respondit: *Eo Domine; & non ivit. Matth. 21.*

Secundus gradus dicitur *Obedientia voluntatis;*

tis; & consistit in hoc, quod quis opus exterum exequatur etiam libenter, animo prompto, alacri, ac cum propensione voluntatis; sicut ait S. Basilius *in Regul-* fus. *interrogat.* 24. *Qui est sub alterius ditione, debet studium suum abjectâ prorsùs omni cunctatione alacriter præseferre.* Et S. Ephrem *de vita Spirit. Nos, qui discimus, & aliorum imperio subjecti sumus, ad parendum prompti esse debemus, & ab omni contumaciâ alieni. Eò quisq; plus proficit, voluntatem suam magis dejicit atq; submittit.* S. Columbanus *in Reg. c.* 3. ait, opus injunctum *quamvis durum & arduum sit, fervore & lætitia accipiendum esse, quod si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Deo; quia hilarem datorem diligit Deus.* 2. *Corinth.* 9. ut potè qui non tam opus respicit & datum, quàm operantis & dantis voluntatem. *Verus obediens*, inquit S. Bernardus *serm. de Obedient. mandatum non procrastinat; sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, hic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Et S. Basilius *serm. de Abdicat. Aures assiduè ad audienda ea, quæ imperentur, attentas habeo; itemq; manus ad ea, quæ jussa sint exequenda expromptas.*

Tertius gradus est *Obedientia intellectûs*, quæ præter voluntatis inclinationem, promptitudinem, & alacritatem requirit, ut insuper proprium nostrum judicium abdicemus, illudque Prælati judicio subjiciamus, & conformemus, credentes, illud solum esse optimum & expedien-

dientiſſimum, quod Prælatus juſſerit. Quæ ab Aſceticis vocari ſolet *Obedientia cæca*; quia ſubditum obedientem efficit quodammodò cœcum; dum privat eum oculo propriæ diſcretionis, ut non diſcernat vel diſcutiat rationem & cauſam Superioris præcipientis, nec qualitatem & conditionem præcepti; ſed judicium & voluntatem Superioris eſto unicâ Regulâ habeat, & cæco modo quaſi oculis clauſis ſimpliciter obediat in omnibus, in quibus manifeſta ratio peccati non apparet. *Vera Obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi, quod præcipitur, operatur: neſcit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire;* inquit S. Gregorius *lib. 2. c. 4. in 1. Reg.* Propter quod S. Joannes Climacus *Grad. 4.* Obedientiam vocat *inexaminatum atq; indiſcuſſum motum, vitam curioſitate carentem, & diſcretionis depoſitionem.* S. Baſilius *in Conſtit. Monaſt. c. 20.* requirit, ut Religioſi *diligentiſſimè obtemperent Antiſtiti, neq; ab eo illorum, quæ ſibi imperantur, rationem repoſcant.* Et cap. 23. ait: *Quemadmodum paſtori ſuo oves obtemperant, & viam, quamcunq; ille vult, ingrediuntur: ſic qui pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omninò illorum juſſa curioſiùs perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato.* S. Hieronymus *Epiſt. ad Ruſtic. Monach.* ait: *Præpoſitum Monaſterii timeas ut Dominum, diligas ut parentem. Credas tibi ſalutare, quidquid ille præceperit; nec de Majorum ſententia judices.*

Deni-

Deniqúe S. Bernardus *lib. de præcept. & dispens.* fatetur, *imperfecti cordis & infirmæ prorsus voluntatis indicium esse, statuta Seniorum studiosius discutere; hærere ad singula, quæ injunguntur; exigere de quibuscunq; rationem; & male suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata satis, imò molesta est hujuscemodi Obedientia.* Non tamen repugnat etiam perfectioni virtutis aut voti obedientiæ, si in casu, quo Superior præcipere videtur aliquid supra vires subditi, aut cum periculo animæ conjunctum, subditus ei vicissim candidè & fideliter proponat gravamina sua & rationes in oppositum; dummodo hujusmodi propositio fiat cum modestiâ, humilitate, plenâ subjectione, resignatione, & indifferentia ad quamlibet Superioris resolutionem acceptandam. *Si causam se aliquam habere putat* subditus, *quamobrem opus recusét; hanc magistrii indicato, eamq; illis disceptandam relinquito*; inquit S. Basilius *in Regul. brevior. interrogat.* 119. Et *in Constit. Monast. c.* 28. *Potestatem sui ipsius nè ad punctum quidem temporis habere Monachus debet. Quemadmodum enim absente artifice instrumentum suâ sponte ipsum non moveretur: similiter quoq; neq; Religionis observanti aliquid agere exequivè sine Antistitis sui sententia licet. Quod si causam afferat, ac dicat, se præ imbecillitate corporis exequendis imperatis parem esse non posse;*

posse; *infirmitatem suam Antistiti judicandam permittet; secum reputans illud Scripturæ: Nondùm usq; ad sanguinem restitistis: propter quod remissas manus & soluta genua erigite: se ipsum ad ea, quæ sibi imperata sunt, exequenda adhortabitur.* Imò Superiorum hæc voluntas esse debet & desiderium, ut eorum subditi candidè & syncerè manifestent illis suam insufficientiam sivè physicam sivè moralem, si quæ subesse videatur: ne videlicet in distribuendis Obedientiis aut committendis officiis error aliquis pernicioſus intercurrat. Dicitur enim obedientia *cæca* non propterea, quod Superiores cœco modo in jubendo procedere, ac sine discretione cuilibet possint quodlibet præcipere: *Oportet eum, qui præest, non frena laxare suæ voluntati super subditos; sed imperia sua moderari circa id solum, quod rectum esse constiterit;* inquit S. Bernardus *de præcept. & dispens.* Et S. Basilius *in Constit. Monast. c. 22. Illud observare Antistes debet, nè in imponendis gravioribus, quàm quibus sustinendis pares Fratrum corporis vires sunt, imperatis, eos, qui ea ferre non possunt, ad abjiciendam obedientiam per contradictionem instiget; sed perinde ut verus ac legitimus Pater, æq; in cunctos benevolus, vires corporis cujusq; considerare atq; ita munera singulis imponere ac distribuere debet. Veruntamen gravissimè plectentur ii, qui quas à Deo datas sibi corporis vires habent, malitiosè celant.* Quod si verò Prælatus & Superior rationibus subditi auditis & consideratis pergat nihilominùs injunctam obedientiam urgere;

gere; tunc subditus se poterit solari verbis & doctrinâ S. Basilii *in Regul. fus. interrogat.* 28. dicentis: *Ubi quis semel se in reliquum fratrum corpus coaptandum tradiderit; is si membrum postea ad ministrandum aptum judicatum fuerit, esto, quod ipsi impositum sit, vires ipsius superare videatur, de judicii periculo prorsus illum esse sollicitum sinito, qui ea imperet, quibus vires sue pares esse non possint. Ipse autem parendo obediendoq; pro virili alacritatem declarat studii sui usq; ad mortem; memoriâ assiduè Dominum tenens, qui factus fuit obediens usq; ad mortem.*

222. Media autem, per quæ ad tertium hunc gradum obedientiæ ascenditur, sunt sequentia: Primũ est assidua & quotidiana pugna *contra voluntatem*, quam S. Hieron. docuit Rusticum Monachum Novitium his verbis: *Non facias, quod vis, subjiciare cui non vis.* Et Joan. Cassianus *lib. 4. Institut. c. 8.* tradit, Senioris seu Magistri Novitiorum sollicitudinem esse debere principalem, ut scilicet *doceat* eos *primitùs suas vincere voluntates, hæc semper illis de industria imperando, quæ senserit animo illorum esse contraria.* Errant igitur toto cœlo, qui obedientiæ virutem possidere volunt: nec tamen voluntatem porpriam mortificare, & abscindere contendunt. *Quisquis vel apertè vel occultè satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis Pater injungat, ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur: neque enim in eâ re ipse Prælatus, sed magis ei Prælatus obedit;* uti benè advertit S. Bernardus *serm. de tribus*

bus ordin. Propter quod tam paucos hoc tempore perfectos in virtute obedientiæ videmus, etiam inter eos, qui in monasteriis incanuerunt ita ut Superiores jam aliâ planè viâ procedere, necesse habeant cum senibus, quam olim processerint antiqui Patres. De quibus refert Joannes Climacus *Grad.* 4. quod non solùm mitiores non extiterint ergâ seniculos, & octogenarios viros; sed etiam difficiliores illis obedientias injunxerint. *Videres*, inquit, *in eis terribile quoddam, Angelicumq; spectaculum, senes canitie verendos, augustiore facie, infantium in morem ad obediendum semper paratos, huc illucq; discurrere, vidi illic viros quinquaginta ferè annos in obedientiæ certamine egisse, extrinsecùs quidem mites totos, blandos, placidos, lætos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum in suis verbis aut moribus habentes; interius verò in animâ Deum ipsum, ac Prælatum infantum in morem ambientes. Quorum unum Abbas sub initium prandii ex proximâ mensâ advocans, ante mensam sine cibo stare permisit prolixam horam, atq; fortassè duas, usq; ad refectionis finem; adeo ut ipse quoq; erubescerem. neque in illius faciem intueri præ verecundiâ possem: erat enim canus totus, octogesimumque jam agebat annum.* Nostris autem temporibus debent Superiores ita cautè & molliter agere cum suis subditis adultioribus, ut necesse habeant eos rogare, quando opus aliquod ipsis volunt injungere. Uti multis deplorat S. Bernardus *serm. 1. de convers.* S. Pauli, expendens illam Apostoli vocem: *Domine, quid*

me

me vis facere? ait enim: *Quàm pauci inveniuntur in hac perfectâ Obedientiæ formulâ, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut nè ipsum quidem cor proprium habeant; ut non quod ipsi, sed quid Dominus velit, omni horâ requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere! Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quàm novi Apostoli imitatores! Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, ut faciam tibi? sic profectò sic multorum usq; hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: Quid vis, ut faciam tibi? non ipsi, quærant: Domine, quid me vis facere? considerare necesse habent ministri & vicarii Christi, quid tales sibi præcipi velint; non ipsi considerant, quæ sit voluntas Præceptoris. Non est Obedientia eorum plena; non in omnibus parati sunt obsequi; non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant; eligentes, in quibus obediant imperanti, imò in quibus Præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati.* Qui ergò ad perfectam obedientiam voluntatis pertingere desiderat, is à primis suæ conversionis annis omnem propriam suam voluntatem abscindat, & se totum Superioris voluntati submittat; quemadmodùm narrat S. Dorotheus *doctrinâ* 4. se à juventute suâ fecisse, & per hoc juge exercitium eò perveniisse, ut nullam amplius difficultatem sentiret in quocunque Antistitis sui imperia perficiendo. Cumque propterea valdè anxius esset, eò quod nihil ei amplius difficile accideret, respondit ei suus Abbas

Joan-

Joannes: *Illos esse pacatissimos, jucundissimos, ac quietissimos, qui se in patrum obedientiam tradidissent.*

223. Secundum medium est assidua & quotidiana pugna *contra proprium judicium* & sensum; quo prudentes sumus in oculis nostris & judicamus nos intelligere rem meliùs, quàm Superiores, vel quicunque alii intelligant. Quàm enim necessarium sit hoc medium ad obedientiã obtinendam, docet S. Bernardus *Epist. ad Fratres de Monte Dei*, ubi à Novitio requirit, quatenùs *stultus fiat, ut sit sapiens; & hæc omnis sit ejus discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio:* Novitius enim discretus & prudentulus, qui putat se aliquid scire & sapere, ideoque jussa Magistri sui dijudicat, impossibile est, ut in congregatione duret & diu persistat. Quæ S. Patris verba quàm vera sint, experiuntur ipsi Novitiorum Magistri; & jam pridem tradiderunt Patres antiqui; qui propterea suos Tyrones diu noctuq; in hac pugnâ contra judicium proprium exercuerunt; sicut de S. Antonio scribit Ruffinus in vitis Patrum *lib. 2. c. 31.* quod præceperit Paulo cognomento Simplici, Novitio sexagenario, ut totâ die aquam ex puteo hauriret, & haustam rursus in terram effunderet; sportellas contexeret, & contextas resolveret, ac retexeret; vestimenta dissueret, & resueret; urnam mellis frangeret, & mel in terram effusum ita colligeret conchâ, ut tamen simul sordes non colligerentur. &c. De alio quodam Novitio refe[illegible] Sulpitius 1. *Dialog. c. 13* Quod

Abbas ipsius virgam aridam defixerit in terram, & jusserit, ut Novitius virgam aquâ quotidiè ex Nilo flumine allatâ tamdiu irrigaret, donec in solo arente viresceret; quod & tertio anno factum est, approbante scilicet Deo per miraculum in Novitio tantam judicii proprii captivationem & subjectionem; utpote qui firmiter sibi persuaserat, facilius posse fieri, ut virga arida contra naturam suam refloreret, quàm ut sententia & judicium Abbatis sui à vero aberraret. Porrò in hac quotidianâ contra judicium proprium pugnâ plurimum juvat ad victoriam de illo obtinendam, si quis ex reflexione super frequentibus suis in judicando erroribus commissis, incipiat proprio suo judicio diffidere, & hoc de errandi periculo suspectum habere. *Considera quoties tuum judicium sequens erraſti*; inquit S. Ambrosius *in c. 12. ad Roman. Econtrà verò alterius præsertim Majoris sententiam admittens, utile & honestum attigisti: & ex tuis præteritis casibus disce proprium sensum declinare.*

224. Tertium medium ad Obedientiam est, ut præpositos & Superiores nostros magni apud nos ipsos faciamus, bonam semper de illis opinionem & existimationem habeamus, nec unquam illorum dicta vel facta dijudicare præsumamus; sicut nos docuit S. Joannes Climacus *Grad. 4.* dicens: *Cùm pietatis & Obedientiæ studium fuerimus ingressi; minimè jam optimum institutorem nostrum in aliquo penitùs dijudicare licebit, etiamsi in illo (homo enim est) modica aliqua*

qua delicta animadvertimus. Cùm tibi cogitatio suggesserit, ut Prælatum aut dijudices, aut damnes; ab eâ non secùs, quàm à fornicatione desili, neq; prorsùs huic serpenti requiem præstes, non locum, non ingressum, non initium. Loquere ad hujusmodi Draconem, atq; eum his verbis lacesse: ô malignissime seductor, non ego ducem meum judicandum suscepi, sed ille me; non ego illius, sed ille mei judex est. Graviter igitur errant, qui Superiorum Consilia, dispositiones & ordinationes tum circa se, tum circa alios in spiritualibus vel temporalibus inquirunt, taxant, carpunt aut reprehendunt, quasi Superiores rem non intellexerint & penetraverint sufficienter, non consideraverint circumstantias, non attenderint ad personam & ejus vires, merita &c. processerint ex passione iræ, vel amoris; quæsiverint seipsos; respexerint ad carnem & sanguinem &c. Qui enim talia de suis Superioribus judicia formant, nunquam ad perfectam Obedientiam pertingent; sed non solùm frequenter apud seipsos murmurabunt, verùm & alios murmurare facient; prout advertit S. Basilius *in Regul. fus. interrogat. 31.* dicens: *Ne quis facile in hujusmodi vitium secùs de Antistite suspicandi, aut dijudicandi cum detrimento tum suo tum reliquorum etiam Fratrum incurrat; illud in universum observari in conventu debet, ut nullo modo quis curiosè Antistitis consilia pervestiget, aut in ejus facta anxiè inquirat; iis duntaxat exceptis, qui tum dignitatis gradu, tum consilii prudentiâ Antistiti ipsi proximi sunt. Cùm enim illi animas*

nostras gubernandas commisimus, tanquam Deo de iis rationem reddituri; prorsùs absurdissimè facimus, si huic fidem in rebus contemptissimis abrogamus; & cùm ipsi fassis adversus fratrem nostrum suspicionibus impleamur; tum reliquos exemplo nostro, ut idem faciant, incitamus. Ne igitur hoc eveniat; unusquisq; maneat in ea vocatione, in quâ vocatus est; & cùm animum suum totum in rerum ad se pertinentium curâ occupaverit, minimè in aliorum consiliis inquirendis sit curiosus.

225. Quartum medium est, ut in Superiore nostro Deum loquentem, consulentem, præcipientem, aut prohibentem agnoscamus, intueamur, & revereamur: quiscunque enim Superior & Præpositus vices Dei gerit, & *Dei minister est*; ut inquit S. Paulus *Roman.* 13. Et *nihil est aliud Antistes, quàm is, qui personam Christi sustinet*; teste S. Basilio *in Constitut. Monast. c.* 23. adeoq; *quidquid sive contumaciæ adhibet sive inobedientiæ subditus, non adversus hominem adhibet, sed adversus ipsum Dominum, qui dixit: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*; ut ait idem Basilius *in Regul. brevior. interrogat.* 38. Et *quidquid vice Dei præcipit homo, haud secùs accipiendum est, quam si præcipiat Deus; juxta* S. Bernardum *lib. de præcept & dispensat. Quomodo jussa Antistitis accepit* Religiosus ille senex apud Climacum *Grad.* 4. Qui cùm à B. Joanne Climaco interrogaretur, quid cogitâsset sub acceptatione & executione suæ Obedientiæ per Superiorem injunctæ? respondit: *Christi imaginem*

nem Pastori imposui; neq; enim ab illo præceptum hoc penitùs exiisse, sed à Deo existimavi. Quarè nullam penitùs malignam cogitationem adversus Pastorem admittebam, pro sincerâ in illum fide meâ & Charitate. Atque hoc est, quod S. Paulus docet servos Christianos. *Ephes. 6.* ut Dominis suis carnalibus obediant in simplicitate cordis, *sicut Christo*; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, *facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus.* Nam etiam Domini *carnales & dyscoli 1. Petri 2.* repræsentant personam Dei; imò magistratus quoque infideles & pagani *ministri Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* ut voluntatem Dei nobis declarent, benè operantes præmient. & malè agentes puniant. *Roman. 13.* ut ita nullam excusationem habeamus & prætextum aut causam detrectandi obedientiam nostris Spiritualibus Superioribus, etiamsi fortè hi non essent adeò bonæ & inculpatæ vitæ; cùm Deus etiam per impium Caipham sit locutus, eò quod illo anno esset Pontifex & Superior. *Joann. 18.* jusseritque servare & facere omnia, quæcunque Scribæ & Pharisæi super cathedram Moysi sedentes dixerint; quia in tali cathedra constituti repræsentabant ipsum Deum loquentem. *Matth. 23.* licet malæ essent vitæ. Undè Christus ait: *Omnia quæcunq; dixerint vobis, servate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere.* Neque nocere ullatenus subditis potest Superioris præcipientis malitia, aut siniſtra intentio; qnia etiam

in casu, quo Prælatus per injunctionem alicujus operis vel officii quæreret ac expressè intenderet obesse subdito in Spiritualibus aut temporalibus, essetque in jubendo passionatus indiscretus, malitiosus, inconsideratus, fraudulentus &c. fraus tamen illius, aut inconsideratio, præcipitantia, passio vel malitia & intentio nocendi nec minimum spirituale damnum adferre potest subdito in simplicitate cordis ambulanti & obedienti; sed Deus fraudum vel errorem aut etiam malitiam Superioris vertit in utilitatem subditi, & ex malo bonum eliciet: ita ut hic inveritate possit dicere cum Josepho. *Genes.* 50. *Vos cogitâstis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum.* Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Roman.* 8, etiam malorum persecutio, odium, dolus, insidiæ, vexatio, & quæcunque machinationes.

226. Quintum ad obedientiam medium est vera animi indifferentia ad quævis munia, functiones, loca, personas, & ad omnes omninò res hujus mundi, ita ut erga nullam sivè præsentem sivè absentem afficiamur inordinatè; sed cum perfectâ animi libertate & resignatâ voluntate simus tam parati ad dimittendum, quod tenemus, quàm ad retinendum; tam parati & contenti carere, quàm frui re quâcunque desiderabili. Quod enim subindè asiqui superioribus præcipientibus non perfectè aut non libenter obediant; sed eorum ordinationi & dispositioni contradicant, submurmurent, & de obedientiâ impositâ conquerantur; communiter indè pro-

provenit, quod ad unam aliquam rem, perſonam, locum, functionem aut officium inordinatè afficiantur, & voluntate ſuâ nimis in unam partem propendeant: Nam ſi in æquilibrio ſtarent, non foret difficile, eos ad nutum ſuperioris in quamcunque partem inflectere; ſicut hortulanus aliquis plantam rectà creſcentem, ac in nullam partem magis inclinantem flectit abſque violentiâ, in quamcunque partem voluerit. Undè Humbertus *in epiſt. trium votor. c. 5.* ſuos hortatur: *Sitis ſicut aurum ductile, & quaſi virga flexilis, quæ recta & curva redditur ad libitum artificis. Sitis ſicut rota volubilis, quæ ſecundum impetum ſpiritûs movebatur. Sitis ut jumentum apud Deum: onus dorſo indifferenter quodlibet imponatur.* Et S. Ignatius Patriarcha ad Jacobum Lainium: *Ita nos convenit eſſe indifferentes, ut non magis in hanc, quàm in illam partem inclinemus. Si ego me ad miſſionem Indicam, utì tu te ſentis, impellì ac trahi ſentirem; in partem potius contrariam inclinare ſatagerem; ut ad illam æqualitatem indifferentiamq; pertingerem, quæ ad obedientiæ perfectionem obtinendam, neceſſaria eſt.*

§. 16.

De quinto medio ad operandum ex charitate Dei, quod eſt amoris proprii extirpatio.

227. *Amor proprius* ſivè privatus dicitur, qui non Dei, aut proximi bonum quærit;

sed propriæ tantùm utilitati studet; ita ut sola & tota appetendi alicujus boni, aut fugiendi alicujus mali ratio & causa sit ipsius appetentis vel fugientis propria commoditas, voluptas, exaltatio &c. Quantoperè verò hic amor adversetur illius charitati Dei ac proximi, ostendit Apostolus, 2. *Timoth.* 3. effectibus illis, dicens: *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei.* Ex amore proprio nascitur sui ipsius nimia æstimatio; *quâ quis existimat, se aliquid esse, qui cùm nihil sit, Galat.* 6 Suspiciens videlicet dona sua supernaturalia, aut talenta naturalia, vires, labores, doctrinam, prudentiam, in rebus gerendis dexteritatem &c. Ex amore proprio nascitur *voluntas & appetitus*, quo quis cupit ab aliis amari, laudari, honorari, propter seipsum. Ex amore proprio nascitur *inanis timor*, quo quis metuit contemptum & vilipensionem, propter seipsum. Ex amore proprio nascitur *inepta erubescentia*, quâ quis præposterè erubescit de suis defectibus omni prorsùs culpâ carentibus; quales sunt deformitas corporis, parentum paupertas, patriæ & generis ignobilitas, ingenii hebetudo &c. Ex amore proprio nascitur *vitiosa absconsio* eorum, quæ hominis existimationem diminuere possunt; puta cùm quis negat vel tacet suos defectus morales & errores, inclinationes, & vitiosas propensiones, quando Superioribus eas

eas manifestare debet. Ex amore proprio nascitur *cura nimia* poliendi & perficiendi ea, quæ homines in nobis sunt visuri, vel à nobis audituri v. g. si quis nimiâ angatur sollicitudine circa suam concionem elaborandam, ut coram auditoribus laudem habeat, vel dedecus effugiat. Ex amore proprio nascitur *propensio immoderata* in Bona temporalia ad superfluitatem, vanitatem, ostentationem, aut voluptatem. Et amore proprio nascitur *appetitus honoris, dignitatis &c.* quo homines seipsos amantes, anhelant ad splendorem hujus sæculi, optantque in magno loco esse coram mundanis. Deniqúe ex amore proprio nascitur *appetitus voluptatum* & commoditatum corporis illicitarum, aut saltem non necessariarum. Contra hunc igitur amorem proprium conquerens idem Apostolus *Philipp.* 2. ait: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi.* Ac propterea ad illius extirpationem nos adhortatur. *Roman.* 15. dicens: *Unusquisq; vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem: etenim Christus non sibi placuit.* Et 1. *Corinth.* 10. *Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis.*

228. Porrò efficacissimum remedium ad amoris proprii extirpationem est odium sui ipsius. De quo Christus Luc. 14. *Si quis venit ad mè, & non odit patrem suum & matrem &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et *Joann.* 12. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mun-*

do, in vitam æternam custodit eam. Qui enim odit se ipsum, is non horret difficultates & molestias in adimplendo præcepto charitatis erga Deum & proximum; non refugit labores pro Deo & fratribus subeundos; non quærit proprias commoditates, & voluptates corporis; sed in vindictam suorum peccatorum studio & de industria eligit, quod magis est incommodum & afflictivum; non etiam vult honorari & reputari ab hominibus; sed potius dolet de honore sibi impenso, & quærit à summis ac imis vilipendi; verbo: gerit se erga se ipsum, sicut inimicus erga inimicum. Quomodò fecerunt olim Patres & Prædecessores nostri, qui loca maximè incommoda elegerunt ad habitandum, laboribus diurnis & nocturnis se fatigârunt, solis leguminibus & aquâ victitârunt, vestium asperitate & strati duritie carnem domârunt, operibus manualibus incubuerunt, aliasque difficultates & molestias voluntaria perpessi, ac pio se odio prosecuti sunt; ut charitatem erga Deum & proximum exercerent; sicut legitur in prato spirituali apud Sophronium, & in vita S. Hilarionis apud Hieronymum. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ;* inquit Apostolus *Hebræor.* 11. de quibusdam sanctis in lege veteri. De suo autem in seipsum odio scribit. *1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Et *2. Corinth.* 11. post varia vitæ pericula recensita subdit, qualiter fuerit *in laboribus plurimis & ærumnis, in vigi-*

vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate. Cumque liber esset ex omnibus, omnium se servum fecit, ut plures lucrifaceret; neque victum ab aliquo gratis accepit; sed manibus suis laborans, necessaria ad vitæ sustentationem sibi procuravit; omnia sustinens; nè quod offendiculum daret Evangelio Christi, aut Neophitos in aliquo gravaret. *1. Corinth. 9. Non quærens, quod* sibi *utile, sed quod multis.* 1. *Corinth.* 10.

Quamvis autem hoc spirituale odium in proficientibus & perfectis conservetur & augeatur per charitatem Dei & proximi, quæ *omnia sufert, omnia sustinet; & non quærit, quæ sua sunt.* 1. *Corinth,* 13. Nihilominus in Novitiis & incipientibus excitari ordinariè solet & commodè potest per memoriam sivè recordationem pristinorum peccatorum suorum: dum enim meminerunt, quàm graviter & sæpè lapsi sint in peccata mortalia, eò quod sibi ipsis nimium indulserint, appetitui sensitivo fœna laxaverint, post concupiscentias suas iverint &c, tunc justâ quadam indignatione contra seipsos commoventur, vindictam de se sumunt, se ipsos oderunt, & non solùm quævis adversa à Deo vel homine sibi obvenientia patienter tolerant, sed etiam corpus & membra, quæ antecedenter peccatis servierant, in armâ justitiæ & bonorum operum instrumenta convertunt, juxta monitum Apostoli *Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra ser-*

vire

vire justitiæ in sanctificationem. Atque hinc gratanter accipiunt & æquanimiter ferunt primò omnes molestias & afflictiones corporis, in Dei servitio, aut ministerio proximi occurentes, cujusmodi sunt, vigiliæ, fames, sitis, incommoditates in vestitu, strato, cubiculo, labores, fatigationes, frigus, calor immodicus, aliæque asperitates appetitui sensitivo & amori proprio displicentes. *Deindè* ex eodem in seipsos sancto & spirituali odio patienter ferunt molestias & afflictiones illas, quæ mentem & animum immediatè afficiunt, sivè hæ sint *positivæ*, ut siniſtra aliorum de nobis judicia, detractiones convitia, irrisiones, justæ & injustæ accusationes, vituperationes, confusiones, mulctationes, amotiones ab officio, infamia publica &c. sivè sint *negativæ*, veluti si quis non applicetur officiis, aut functionibus plausibilibus; si denegentur ei, quæ petit; si negligatur à Superioribus, & non adhibeatur ad danda consilia; si alii conversationem illius declinent; si nulla ei exhibeant signa honoris & reverentiæ &c. *Tertiò* non contenti sunt afflictionibus à Deo, Superioribus, æqualibus, & inferioribus, vel etiam à causis naturalibus quoquo modo provenientibus; sed præterea ipsi voluntariè affligunt se & mortificant, partim denegando & subtrahendo appetitui, quæ sivè illicita sivè inutilia & superflua concupiscit; partim amplectendo & exercendo ea, quæ eidem appetitui sunt contraria, molesta, & à quibus maximè abhorret; veluti sunt voluntariæ austeritates jejuniorum, vigiliarum, laborum, &c.

§. 17.

§. 17.

De sexto medio ad operandum ex charitate Dei, quod est Amoris & affectûs inordinati erga consanguineos depositio.

229. AFfectus erga parentes & reliquos consanguineos dicitur inordinatus, vitiosus & reprehensibilis, cùm nobis impedimento est in via mandatorum Dei, aut in tendentia ad perfectionem. De quo Christus *Matth. 10. Qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non est me dignus. Et Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, non potest meus esse discipulus.* Quamvis enim naturalis in consanguineos amor non sit ex se malus, sed indifferens, & nec præmio supernaturali, nec pœnâ dignus; uti testatur S. Gregorius *homil. 27. in Evangel.* Nihilominus quia frequentes parit animi distractiones, inquietudines, & perturbationes, adeoque spiritualem & internam quietem, ac recollectionem, ad nos cum Deo uniendos summè necessariam interturbat; quin & non rarò ad propositi religiosi desertionem inducit; sancti Patres & Magistri spirituales, imò ipse Christus in Evangelio hujusmodi affectum & amorem valdè circumcidendum & moderandum docuerunt: né per suam inordinationem & excessum nobis in via virtutis obsistat. Atque hinc primò monet S. Basilius

serm.

ſerm. de Abdicat. rerum, ut Novitius, dum Religioſam vitam amplectitur, & propinquos carnales deſerit, fortem ac ſtrenuum ſe virum exhibeat, neque illorum affectu commoveri ſe ſinat. *Cum ab amicis & iis, quibuſcum vixeras familiariter, divelleris, cave nè mœrore nimio conficiaris; ipſoq; tuæ mundi deſertionis initio virum præbeto, conatuq; omni laborato, nè cognatorum horum, qui ſunt ſecundùm carnem, amor ad terram te deprimat;* inquit S. Doctor. Qui utique probè didicerat, quantis Novitii tentationibus primo converſationis ſuæ tempore infeſtentur & exagitentur propter parentes, propinquos & amicos in ſæculo nuperrimè relictos, ita ut quidam de ſuâ in arrepto propoſito perſeverantia quodammodò deſperent, & à propinquorũ conſortio abſtractos viere ſe poſſe impoſſibile judicent. Undè laborandũ eſt, ut per ſerias mentis occupationes hæc charorũ memoria ſepeliatur, omniaque munuſcula, imagines & ſimilia donaria valedictione accepta, quæ illorum ſpecies revocare & conſervare poſſunt, ex oculis & conſpectu ſunt removenda; ac præterea ſollicitè cavendum, nè in ordinario Novitiorum colloquio ulla de parentibus & propinquis mentio ingeratur; nè vullnus necdum ex integro ſanatum recrudeſcat.

Secundò abſcindenda eſt omnis converſatio, familiaritas & collocutio non neceſſaria cum propinquis. Sicut monet idem S. Baſilius *in Regul. fuſ. interrogat.* 32. dicens: *In univerſum nemini eſt permittendum, neq; propinquo, neq; alieno, ſermonem cum fratribus inſtituere de re*

reultà: nisi de illis id planissime nobis sit persuasum priùs, quibus de rebus collocuturi illi inter se sint, eas ad ædificationem & tranquillam animarum sedationem conducere. Rationem dat *in constitut. Monast. c. 21.* *Qui* enim *majorem in modum sæcularium hominem amicitiâ delectatur, eâq; re assiduè cum illis esse in colloquiis cupit; is ex frequenti cum illis sermone pravas earum affectiones in animum facile insinuabit; & mente rursùm cogitationibus mundanis completâ, à præclara illa, quam erat aggressus, instantia operis desciscet; & à se deinceps proscriptâ vitæ spiritualis stabilitate, quem ex animo effuderat, vitæ proioris vomitum resorbebit; atq; adeò sauciùs tandem concidet, & miserè confixus ab hoste, qui spiritualem ejus conversationem interturbare consueverat, per congressionem intempestivam carnalium propinquorum.* Neque dicas, tale ac tantum periculum ex colloquio & conversatione cum parentibus & propinquis tuis non esse tibi metuendum; eò quod sint homines laudabilis & honestæ vitæ, & loquantur de rebus solùm necessariis: Nam negare & diffiteri non potes quin ex eorum congressu & colloquio saltem plures & variæ, in animo tuo excitentur distractiones, perturbationes, curæ, inquietudines, & sollicitæ cogitationes, quæ in oratione, meditatione, Dei laude, aliisque spiritualibus functionibus te plurimùm impediant. Undè cùm S. Pachomius Abbas licentiam daret Theodoro Monacho colloquendi cum matre sua, afferen-

ferente ad hoc literas comendatitias ab Episcopis, respondit Theodorus: *primùs me, venerabilis pater, certum facito, quod post tantam spiritualium rerum cognitionem, si videro eam, non dabo inde rationem Domino in die judicii.* Cui Pachomius subjunxit: *Si probas, id tibi non expedire, fili mi, non ego te cogo. Oportet enim Monachos inutiles & sæculares salutationes & colloquia inutilia diffugere.* Quod verò hujusmodi familiaritas & frequens cum propinquis conversatio seu collocutio præbeat occasionem peccandi, etiamsi ipsi propinqui non sint mali; satis declarat idem S. Basilius *in Regul. fus. interrogat. 32.* dicens: *In eo summè est elaborandum, ut iis, qui se adhuc in veræ pietatis spatiis exercent, omnes ab omni parte ad peccandum causæ circumcidantur; in quibus illa est maxima, recordatio vitæ superioris; nè quando illis id usuveniat, quod dictum est; quod cordibus suis conversi sunt in Ægyptum: quæ res per frequentem cum naturalibus propinquis consuetudinem & familiarem congressum solet accidere,* non quod tales propinqui sint mali semper & scelerati, sed quod eorum præsentia & collocutio refricet memoriam vitæ nostræ sæcularis & convetsationis mundanæ, faciantque recordari pristinarum possessionum, voluptatum, honorum, libertatis, personarum, locorum, negotiorum, recreationum &c.

Tertiò abstinendum est à visitatione parentum & aliorum propinquorum in patria, aut in propriis suis ædibus; sicut docet idem S. Basilius in

in Regul. fus. interrogat, 32. dicens: *Illud etiam cavendum est, nè, qui intra reliquorum semel recepti fratrum Ordinem fuerint, ab Antistite permittantur, ut mente distracti huc illucq; cogitatione temerè rapiantur, simulatione vè propinquorum visendorum suorum à reliquis Fratribus discedant. Præter id enim quod visitatione nostrâ utilitatis ipsis nihil afferimus; incommodum illud etiam accedit, quod vitam nostram sexcentis curis ac perturbationibus exponimus, eâq; re ipsi ad peccandum nobis multifariam occasionem accersimus.* Scilicet vix pedem in domum nostrorum parentum aut aliorum propinquorum intulimus, & eccè protinùs illi nobis suas adversitates, gravamina, molestias, infortunia & afflictiones ultrò exponunt, & quidquid difficultatis hactenùs passi sunt, vel adhuc patiuntur, id totum in nos exonerant; ut ita curis & sollicitudinibus benè onusti & gravati ad monasterium nostrum revertamur. Accedit, quod ex hujusmodi visitatione renovetur in nobis vitæ prioris memoria, recrudescant veteres cicatrices & vulnera conscientiæ jam pridem obducta, nostræque phantasiæ & imaginationi recurrat talis domus, locus, socius, dictum, factum &c. Undè necesse est novam oboriri nobis tentationum periculosarum materiam & peccatorum occasionem. Nam si spirituales magistri judicent periculosum, ac propterea inhibeant tyronibus, singillatim & in specie recordari peccatorum eorum, quæ jam semel ritè sunt confessi, eo quod prudenter & rationabiliter timeant, nè

per hujusmodi recordationem & repræsentationem se ipsos rursùs inquietent, & novam tentationibus materiam præbeant: quomodò ergò non periculosùm erit & noxium, absque ullâ necessitate verâ & utilitate spirituali, sed ex puro naturali pruritu, & inordinato, vel potius puerili erga propinquos affectu adire ac visitare ea loca, domos, occasiones, in quibus necesse est resuscitari, & circumstantialiter repræsentari species seu imagines illarum rerum, quæ in sæculi vita liberiùs aliquando sunt à nobis perpetratæ? sanè D. Basilius *in Regul. fus. interrog.* 22. ait, quod inter *causas ad peccandum illa sit maxima, recordatio vitæ superioris; quæ per frequentem cum naturalibus propinquis consuetudinem ac familiarem congressum solet accidere.*

Quartò abstinendum est à frequenti communicatione per literas, sivè à scriptione, missitatione, & receptione epistolarum Nam cùm per talem mutuam communicationem nobis innotescat status & conditio propinquorum; non potest non oriri in cordibus nostris cogitatio frequens de illis, & distractio, anxietas, perturbatio, tristitia, timor &c. sicut agnovit Monachus ille apud Joannem Cassianum *lib. 5. de Institut. c.* 32. Qui fasciculum litterarum clausum à suis consanguineis accipiens, talia secum ipse locutus est: *Quantarum cogitationum causa erit mihi harum lectio? quàm diversi in corde meo affectuum fluctus exurgent, quibus vel ad inanem gaudium, si parentibus benè sit, vel ad infructuosam tristitiam, si malè, impellar? quot diebus horum,*

qui

quiscripserunt, recordationes intentionem pectoris mei à propositâ contemplatione & oratione revocabunt? post quantum temporis digerenda est hæc mentis conceptæ confusio? quantoq. labore rursùs iste tranquillitatis reparandus est status, si semel animus litterarum permotus affectu, eorumque recensendo sermones ac vultus; quos tanto tempore dereliquit, iterum eos invisere, ipsisq. cohabitare, ac mente & animo cœpit interesse? Quid mihi profuerit, eos corporaliter deseruisse, si eos corde incipiam intueri; ac memoriam eorum, quam sæculo huic renuntians, semel abdicavi, iterum resumam? Quapropter talia apud se revolvens, fasciculum litterarum integrum & nec dum resignatum igni tradidit concremandum; dicens: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini; nec me ulteriùs ad illa, quæ fugi, revocare tentetis.*

Quintò. Multò magis cavere debet Religiosus, nè se immisceat propinquorum causis, litibus & negotiis quibuscunque: *diabolus enim, cùm omnes nos de rebus vitæ hujus curas exuisse animadverterit, & expeditissimo cursu ad cœlum contendere; in hoc elaborat, ut, cùm animum nostrum in propinquorum recordationem reduxerit, eò sensim adducat, ut rationibus illorum curandis mentem nostram ad suscipiendas rerum vitæ hujus sollicitudines impellat, ut videlicet illa secum verset, quæ res propinquorum sit, ejusmodi vè, quâ se possint tutari, an non? ex contractibus præterea lucra quæ veniant, & illorum fortunas quantoperè exaugeat? Ad hæc ex variis &*

fortuitis casibus quæ jacturæ contingant? exq; illorum rem quantoperè minuant? facitq; diabolus, ut ex rebus illorum ad vitæ commoditates prosperè unà cum ipsis lætemur; itemq; ex adversis doleamus. Pravas deniq; omnes de rebus vitæ hujus affectiones, quibus exutis earum loco spirituales cogitationes induxeramus, denuò in animum nobis reducit; quo iterum ad rerum humilium atq; sæcularium cogitationem depresso, internum Monachum perimit; fitq; hinc, ut veluti statua sit Monachus, quæ solam Monachi figuram circumferat; nimirum quæ nusquam virtutibus sit animata; inquit idem S. Basilius *in constitut. Monast. c.* 21. ubi etiam concludit: *intellecto igitur intolerabili detrimento, quod ex animi erga propinquos nostros affectione nobis nascitur, sollicitudinem de illorum rebus ut diabolicum telum fugiamus.* Verbo Religiosus gerere se debet erga propinquos, tanquam mortuus & vitâ defunctus esset; sicuti monet idem S. Basilius *ibidem* dicens: *à propinquis, amicis, parentibus vè animi affectione nos tam longè oportet esse disjunctos, quam longè eos, qui sunt vitâ defuncti, à vivis videmus distare. Qui enim verè se ad ea, quæ ex virtute sunt, certamina exuerit, mundoq; ac rebus mundanis omnibus nuntium remiserit, quiq; mundo seipsum crucifixerit, is mundo & omnibus, quæ in mundo sunt, mortuus est, sivè illi parentes sint, sivè fratres, sivè tertium quartumvè aut quemvis deinceps cognationis gradum obtineant.* Quod exemplo suo ostendit Monachus ille apud S. Bernardum *serm. 2. in Dominicam primam post Epiphaniam*

niam; cùm enim *ad eum carnalis Frater auxilii gratia advent âſſèt, reſpondit ille, ut adiret alterum fratrem eorum. Cumq; admiratus, qui venerat, reſponderet, quia ille obiit. Eremita ſe quoque ſimiliter obiiſſe reſpondit.*

230. Porrò perfectiſſimam nobis in abdicando erga propinquos affectu Ideam & Exemplar ſe exhibuit Chriſtus Dei Filius in terris converſans, idque in tribus præcipuè occaſionibus. Prima legitur apud S. Lucam *c.* 2. Quando parentibus è templo Hieroſolymitano in patriam regredientibus, ipſe puer duodennis remanſit in templo, ac parentibus cauſam inquirentibus reſpondit: *neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Significans, in rebus Deum & animæ ſalutem concernentibus ſeponendum eſſe naturalem erga propinquos carnales affectum; ſicut etiam Heliodoro Monacho apud parentes commoranti ſuaſit S. Hieronymus, dicens: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat; licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem: ſiccis oculis ad vexillum Chriſti evola. Solùm pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.*

Secunda occaſio legitur apud S. Joannem *c.* 2. ubi Chriſtus dilectiſſimæ Matri ſuæ in nuptiis Canæ Galileæ defectum vini humiliter proponenti & miraculum petenti reſpondit: *Quid mihi & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea.* In quæ verba S. Bernardus *ſerm. 2. in Dominicam primam poſt Epiphaniam* ait: *Quem non moveat,*

quod in nuptiis illis respondit Dominus benignissimæ ac sanctissimæ Matri suæ dicens: Quid mihi & tibi est, mulier? quid tibi & illi Domine? nonnè quod Filio & Matri? sed manifestè jam video, quod non velut indignans, aut confundere volens virginis Matris teneram verecundiam dixeris: quid mihi & tibi? cùm venientibus ad te (juxta matris præceptum) ministris, nihil cunctatus facias, quod illa suggessit. Ut quid ergò Fratres, ut quid sic respondeat prius? utiq; propter nos, ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium curæ parentum; & necessitates illæ non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos esse constat parentibus. At postquàm reliquimus nostra & ipsos; multò magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Optimè ergò nos docuit Dominus, nè sollicitiismus super propinquis carnis nostræ, plus quàm Religio postulet; quando ipse matri, & tali matri respondit; quid mihi & tibi est mulier?

Tertia occasio legitur apud S. Marcum *cap.* 3. quando Mater & Fratres seu cognati Christi *foris stantes miserunt ad eum vocantes eum;* cùm enim quidam de turba dicerent: *Eccè mater tua & Fratres tui foris quærunt te; ipse respondens eis ait: Quæ est mater mea & Fratres mei? & circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea & Fratres mei: Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic Frater meus & soror mea, & Mater est.* Quem Scripturæ locum D. Bernardus *serm.* 2. *in Dominicam* 1. *post Epiphaniam* adducens, subdit: *ubi modò sunt, qui tam car-*

carnaliter & inaniter super carnalibus propinquis suis solent esse solliciti, ac si adhuc viverent & ipsi cum eis?

§. 18.

De septimo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est memoriæ & phantasiæ evacuatio.

231. Cùm Spiritus Sanctus vellet animam fidelem inducere, ut inspirationes divinas auscultaret, contemplationi Dei summi Boni vocaret, & eidem per charitatem se uniret, requirit ab eâ, ut memoriam suam expurget ab omnibus imaginibus & speciebus, quæ hanc Dei contemplationem & unionem possent interturbare & impedire: ait enim *Psalm.* 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui;* nè scilicet recordatio & rememoratio rerum in domo paternâ gestarum, aut cum sodalibus perpetratarum tibi in via spirituali obstaculum aliquod objiciat. Quantas enim in appetitu sensitivo & voluntate turbas, inquietudines, perturbationes & tumultus, atque etiam tentationes, & pericula peccandi suscitent imagines seu species objectorum quondam in sæculo haustæ, testatur S. Hieron. *Epist.* 22. ad *Eustoch.* referens, quàm graves in Eremo tentationes passus sit exi maginibus & phantasmatribus, quæ olim juvenis ex conspectu & familiaritate fœminarũ acceperat; ejus verba sunt: *Quoties*

ties in eremo constitutus & illâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putavi me Romanis interesse delitiis! sedebam solus, qui amaritudine repletus eram: horrebant sacco deformia membra, & squallida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus; & si quando repugnantem somnus gravis oppressisset, nudâ humo vix cohærentia collidebam membra. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere condemnaveram scorpienum tantùm socius & ferarum sæpè choris intereram puellarum. &c. Quarè populus in deserto tumultuatus & in Ægytum reverti voluerit, ipse causam allegat *Numer.* 11. videlicet: *recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones porriq, & cepæ, & allia &c.* Tantum nocent species objectorum sæcularium per sensus ad phantasiam & memoriam transmissæ, & non iterum exclusæ. *Quamvis* enim *ille abeat, seorsumq, sit, qui hujusmodi formas impressit; nihilominùs insignita animo conspecti objecti species, quod suum est, semper operatur, animamq, imaginibus ludit;* ut inquit S. Basilius *lib. de verâ virginit.* Undè Albertus Magnus lib. de adhærendo Deo *cap.* 4. 5. & 6. docet, præcipuum ac quasi unicum proficiendi medium in hoc consistere, ut animum nostrum à terrenarum rerum phantasmatibus, formis & imaginibus abstergamus. *Felix*, inquit, *qui per aspersionem continuam phantasmatum & imaginum, ac per introver-*

sio-

versionem & inibi per sursum ductionem mentis in Deum, tandem aliquando obliviscitur phantasmatum quodammodò, ac per hoc consequenter operatur interius nudo ac simplici intellectu & affectu circa objectum simplicissimum Deum. Omnia igitur phantasmata, species, imagines ac formas rerum omnium citra Deum à mente rejicias; ut in solo nudo intellectu & affectu ac voluntate tuum pendeat exercitium circa Deum intra te. &c. S. Basilius *in Regul. fus. interrogat.* 6. postquàm dixerat de necessitate Abnegationis, subjungit: *Nihil est aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris oblivio.* Monetque, cavendum esse, *nè earum rerum, quas viderimus vel audierimus, impressæ pestilentes capitales q; in animis nostris formæ ac veluti notæ quædam insideant.*

232. Ut verò memoriam & phantasiam ab hujusmodi imaginibus, formis ac speciebus sæcularium objectorum evacuemus, servire poterunt sequentia media: *Primum* est, ut res illas, quæ præteritorum memoriam in nobis renovare, & species sepultas resuscitare possunt, procul à sensibus nostris externis removeamus, hominum sæcularium consortia & congressum declinemus, omnemque evagandi occasionem abscindamus: hac enim ratione fiet, ut paulatim & cum tempore elabente ipsæ etiam elabantur & evanescant, aut potiùs obruantur & profundè sopiantur species relictæ; prout accidere videmus in iis, qui ex morte chari alicujus amici contristantur: talium enim dolori & tristitiæ ut

medeamur, ſolemus ipſis aufferre, & ab eorum oculis removere defuncti veſtes, arma, libros, effigies & ſimilia, quæ illius memoriam renovare, vel conſervare poterant. Propter quod peſſimè ſibi conſulunt, ſeque gravium tentationum, aut ſaltem diſtractionum, animi perturbationum & inquietationum periculo exponunt Tyrones & Novitii illi, qui imagines, vel alias res, & munuſcula, quæ in valedictione & diſceſſu ab amicis vel propinquis donata acceperunt, talibus in locis collocant & aſſervant, ubi neceſſe eſt, illa ſæpiùs in oculos incurrere, & charorum ſpecies ac memoriam reſuſcitare. Hoc enim nihil eſt aliud, quàm vulnus & cicatricem jam obductam fricando identidem renovare, & mentis tranquillitatem iteratis cogitationum affectuumque tumultibus interturbare.

Secundum medium eſt, ut cogitationes de objectis ſæcularibus occurrentes maturè & ſine morâ rejiciamus; imò nè admittamus quidem, ſed exurgere incipientes ſupprimamus. Etiamſi in ſe malæ non videantur, ſed indifferentes; vel etiam Boni ſpeciem habeant: *oportet enim, ſi mundas conſervare volumus animas noſtras, adhuc longè agentibus cogitationibus hujuscemodi multa cum indignatione occurrere, & exſufflare à nobis, ut nullus eis detur locus*; inquit S. Bernardus *ſerm. de triplici genere cogitat.* Quia ſi vel ad modicum tempus illis indulgeamus, ſtatim una ſpecies excitabit aliam ſibi affinem, & hæc rurſus aliam & aliam circa locum, vel perſonam; vel dictum aut factum aliquod in ſæculo provocabit;

cabit; ut ita corpore intra clauſtrum degentes, mente & animo per remotiſſima loca mundi, domos, ſylvas, hortos, campos, montes & valles circumvagemur, atque inextricabilibus nos cogitationibus ſæcularibus intricemus, non ſine gravi jactura internæ quietis & partæ tranquillitatis, imò cum periculo revertendi ad vomitum.

Tertium medium eſt, ut potentias noſtras rememorativas, memoriam ſcilicet & phantaſiam ſeriò applicemus objectis aliis de ſe honeſtis, & ad finem noſtræ vocationis vel neceſſariis vel utilibus recogitandis; atque ita ſpeciebus rerum talium obruamus & ſepeliamus ſpecies objectorum noxiorum aut vanorum in nobis relictas. Sicut monet S. Baſilius *lib. de verâ virginit. dicens: Principio quidem ſummoperè cavendum eſt, nè cuiquam infigat obtutus; vel certè ſi defixiſſe contigerit, figuras animo altius infigi molientes, à ſe contraria virtute rejiciat, ac penitùs arceat. Quod ſi fortè contingat, clam animæ corporeas imprimi formas; eas perpetua rerum honeſtarum memoriâ omni ſtudio in ſe delere contendat; corporeas quidem illas veluti ceræ inſcriptas, animi ad meliora ac divina converſione abolendo, ſanctarumq; rerum imagines elaboratis meditationibus ac ſpeculationibus illarum vice inſcribendo.* Videmus enim quotidie, quod juvenes illi, qui à liberalibus ſtudiis avocati, mechanicis artibus addiſcendis applicantur, tandem omninò obliviſcantur latinæ linguæ, quam antea callebant; & tantò magis ſcientiæ prioris ſpecies ac memoriam

riam deperdant aut ſepeliant, quantò magis in præſenti arte mechanicâ proficiunt.

Quartum & efficaciſſimum remedium eſt, ut nunquàm ſimus otioſi; ſed honeſtâ ſemper actione aliquâ corporali vel mentali nos occupemus, quæ nullum de præteritis ſæcularibus rebus cogitandi tempus & occaſionem nobis relinquat. Sicut diſcipulo ſuo Ruſtico Monacho ſuarit S. Hieronymus, jubens, ut nunc diſcat pſalterium, nunc oret, nunc divinas Scripturas legat, nunc pſallat; aliquando etiam opus manuale exerceat, humum fodiat, arbores plantet, libros deſcribat, &c. nè mens otioſa pernitioſis cogitationibus vacet, & ad ſæcularia evagetur. Subdit verò: *tantus negotiis occupatus, nullis vacabis cogitationibus noxiis; & dum ab alio tranſis ad aliud, opusq; ſuccedit operi, illud ſolum mente tenebis, quod agere compelleris.*

§. 19.

De octavo medio ad operandum ex charitate Dei, quod eſt arctior & ſtrictior ſenſuum cuſtodia.

233. NE verò per ſenſus externos veluti per quasdam portas aut canales novæ deinceps ſpecies & imagines intrent in ſenſum internum, & ex eo in intellectum; quæ deinde in memoriâ relictæ novos cogitationum variarum tumultus, diſtractiones & perturbationes excitent, & tranquillum quietumque animi ſtatum ad charitatis exercitium & unionem cum Deo neces-

necessarium disturbent ; requiritur maximè à Tyronibus & Novitiis, ut sensus suos externos cohibeant non solùm ab objectis in se malis, aut periculosis ; sed etiam à vanis, curiosis & indifferentibus, quæ possunt causare distractiones, & cogitationes inutiles, impertinentes et extravagantes.

Atque hinc *Visus* custodiri debet, tam in Ecclesia, quàm foris et extra claustrum ; nè in obvias res vel personas feratur, etiamsi nullum ab iis periculum alicujus peccati gravis creari nobis possit. Sicut monet B. Ephrem *de vita spirituali* dicens : *Cùm è cellula tuâ negotii cujuspiam, aut conveniendi alicujus gratia discedis, oculos tuos muni, & animum piis cogitationibus institue, sic illum alloquens : egressus es non tanquam pictor, ut hominum formas effingas, atq; exprimas. Diligenter attende tibi : quomodo enim, si rebus quæ sensibus subjectæ sunt, fueris occupatus, iis quæ non videntur, vacare poteris, atq; in Dei recordatione te oblectare & conquiescere ?* Regula S. Leufridi Abbatis præcipit, ut in charo *non sis vagus, & curiosus ; sed semper aspectus tui defixi maneant ad pedes tuos. Cùm strepitus aut rumor acciderit ; tu non statim eò oculos volve ; sed semper in eodem statu perseveres.* Idem jubent Canonica Statuta Ordinis Præmonstratensis. *Dist.* 1. *c.* 20. *de Novitiis ;* dum eos volunt à Magistro doceri, *quomodò oporteat oculos demissos & custoditos habere,* certamque pœnaam præscribunt *Dist.* 3. *c.* 2. *n.* 3. infligendam illis, *qui in choro constituti vagis oculis mentis levitatem ostenderint.* Itinerantibus verò

verò præcipiunt, ut *oculus nequaquam sit petulans, vel vagus, sed Religiosè contineatur; & in ea solum, quæ ante se sunt posita, modestè feratur;* uti habetur *dist. 1. c. 22.* Certè Theodoretus *in vitis Patrum lib. 9. c. 4.* refert pœnam satis gravem, quam Eusebius Monachus sibi ipsi inflixit, eò quod sub lectione et explicatione Evangelici textûs oculos suos defixisset in agricolas in subjecto campo arantes, ac propterea locum Evangelicum negligentiùs audivisset. Præterquam enim quod oculis suis legem tulerit, ut eum campum amplius non intuerentur; insuper etiam collum suum zonæ catenâ ferreâ ita alligavit, ut inclinatus semper incedens, nihil nisi terram posset aspicere. *Non* igitur *oculorum acies ad omnia passim inspicienda visibilia pandenda est; nè anima omnium quoq; figurarum atq; formarum speciem sine discretionis examine hauriens, ad earum posteà turbetur imagines;* inquit S. Basilius *lib. de verâ virginit.*

Similiter *Auditus* cohiberi debet ab objectis vanis, curiosis, inutilibus, et impertinentibus; quæ licet in se indifferentia sint, et nec bona nec mala, nihilominus variis animum distractionibus replent; ut plenè et totaliter suis spiritualibus functionibus impendere se non possit. *Aures tuas cave, nè quibusvis passim garrientibus aperias;* ait S. Basilius *serm. de Abdicat. Neq; temerè nugantibus omninò respondeas in his sermonibus, qui à proposito tibi religiosæ vitæ instituto dissideant. Easdem ab audiendis mundanis narrationibus abducito, quantum potes: Utilibus autem*

tem auſcultans præceptis, illas accommodato. Undè paſſim in vitis Patrum legitur, quod Religioſi primi, in quibus erat adhuc primæus ſpiritus vitæ regularis, ex peregrinis & adventantibus fratribus nihil de rebus novis, qnæ in aulâ Cæſaris, vel in hac illave Orbis parte, aut civitate gerebantur, interrogaverint, & audire voluerint; ſed tantùm eos rogaverint ut ſi quod verbum ſalutis & doctrinam aliquam ſpiritualem haberent, eam ad Fratrum ædificationem proferrent. De B. Nilo Abbate refert Baronius *ad Annum Chriſti* 996. quod in præſentia Archiepiſcopi, qui ab Ottone Imperatore III. miſſus, vanâ ſuâ loquacitate multùm ei moleſtus fuerat, capite inclinato ſimulaverit, ſe dormire; ut vanis & prophanis Epiſcopi ſermonibus finem imponeret, ac re ipsâ oſtenderet, ſe hujusmodi relationes non libenter audire. In vita Joannis Houthonis Angliæ martyris & Londinianæ Carthuſiæ Prioris refertur de S. Hugone Epiſcopo Lincolnienſi, quod cum regreſſurus in Angliam, & divertens in quandam domum ſui Ordinis, interrogaretur ab uno Fratrum in communi colloquio de novis quibusdam, reſponderit Hugo: *O pater! rumores audire, & referre, etſi fortè licet Epiſcopis, monachis tamen non licet. Cellas vel clauſtrum rumores ingredi non debent.* Quem proindè ſanctiſſimum Præſulem ejusdem Carthuſiæ Londinenſis ſub præfato Joanne Houthone Fratres inquilini imitantes, *in primo adventu ſæcularium ſolebant rogare eos, ut nullos rumores, nihilq; de mundo intimarent eis; ſed ſi quis ſermo bonus eſſet*

ad

ad ædificationem. In colloquiis privatisq; conventionibus otiosum verbum rarò quis audiebat, aut de mundanis rebus. Si quis tale quid inconsideratè protulisset, confestim monebatur ab audiente; per quod animus delinquentis corrigebatur. Sæculares recedebant ab eorum cellis creberrimè cum lacrymis, dicentes: verè Deus est in loco isto.

§. 20.

De nono medio ad operandum ex charitate Dei, quod est Solitudo.

234 NEcessitatem *solitudinis* ad vitam innocentem, tranquillam, pacatam et quietam ducendam, et consequenter ad conjunctionem sivè unionem Animæ cum Deo per Charitatem, unâ quasi voce et communi calculo adstruunt. SS. Patres. Præcipuè verò eam commendat et inculcat S. Basilius variis in locis; nam *serm. de Abdicat.* ait: *Quantum in te est, omnem in publicum proditionem semper devitato, ac mentis hoc modo distractionem fugito. Quod si necessitas incidat aliqua, quamobrem extra cellam tibi exeundum sit; cùm te prius circum ab omni parte Dei timore veluti firmissima quâdam loricâ munieris, negotio illo, cujus causâ existi, expedito, domum te quamprimum referto; nevè diutius extra demoreris; sed innocentem illam columbam imitare, atq; ad arcam, undè fueras emissus, alis usus velocibus redi.* Et ibidem: *intrà cellam tuam non te diebus aliquot mensibus vè, sed annis pluribus contineto, ibiq; continenter diem noctem-*

noctemq; Dominum laudato, & Cherubim imitator. In Regulis fus. interrogat. 6. docet, quod ad continendam in officio mentis agitationem, nè ad futiles videlicet ac minimè necessarias cogitationes aberret, illud adjuvat, si quis seorsùm à cæteris communem vitam sectantibus vivat: Et ibidem: Nè oculis auribusvè instigationes ad peccatum admittamus; nevè earum rerum, quas vel viderimus, vel audierimus, impressæ pestilentes capitalesq; in animis nostris formæ ac veluti notæ quædam insideant; contraq; ut animum in officio suo attentum tenere possimus, principio quod ad habitationem attinet, separata ea à cæteris nobis quærenda est. In constitutionibus Monast: c. 8. prohibet etiam frequentem fratrum Religiosorum visitationem, ut solitudinem arctius custodiamus; ait enim: Illud etiam tenendum est, ut nequaquàm quovis prætextu visendorum conveniendorumq; Fratrum crèbrò è monasterio velimus egredi: Si quidem diabolicum illud commentum est, quando hujuscemodi artificio uti adversarius solet ad disciplinæ nostræ stabilitatem, ordinemq; Religiosæ hujus vitæ labefactandum ac pervertendum; atq; hoc modo nos voluptatum illecebris illectos, variis iisq; instabilibus cogitationibus facere obnoxios studet. Et ibidem: amplectenda nobis maxima ex parte quies est, & in suo cuiq; assignato sibi ad habitandum loco fortiter perdurandum. Qui enim huc illucq; continenti peregrinatione discurrit, neq; stabilis certo ullo loco diu consistit, sed crebrâ ex aliis in alia loca itatione collectam illam animi in cogitando vim assiduo isto

flatu ac reflatu veluti eventilat, atq; diffundit, paulatimq; corporis voluptates spectare assueſcit, is qui quæſo perſpicaciter excutere ſeipſum poterit? Quales verò & quàm perfecti eſſe debeant, qui à Superioribus permittendi ſunt è ſolitudine & clauſtro egredi, ſubjungit ibidem, dicens: *Si verò quis propoſitam ſibi ſemel in animo honeſtatem firmè conſtabiliverit, & diuturnâ exercitatione temperandarum animi ſui motionum probè jam rationem didicerit, iſq; edomitis cooporis ſui libidinibus, & animi ratione alienis motibus refrænatis, ob eam cauſam è monaſterio prodire frequentius velit, ut Fratres ædificet, viſiteţq; ; qui hujusmodi eſt, eum ratio ad prodeundum potius impellet, quàm revocabit; quò videlicet poſita ſuper candelabro lucerna cunctis præclaræ doctrinæ ſuæ largè lumen impertiat: modò verè confidat, in quoscunq; inciderit, illis ſe & doctrinâ & exemplo virtutum veluti ſcholam futurum; & ſi ſeipſum diligenter ante muniverit; nè fortè cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficiatur.* Et in iisdem *Regul. fuſ. interrogat.* 44. *Peregrinandi poteſtatem ei permittito, qui in peregrinatione ſine animæ ſuæ detrimento, & cum utilitate eorum, quibuscum congreditur, poſſit verſari. Cæterùm ubi, qui emiſſus fuerat, domum jam ſe ex peregrinatione receperit, eum diligenter percontator, quid abſens interim egerit, in quorum hominum congreſſus inciderit, cum illis quos ſermones contulerit, in cujusmodi ſecum ipſe cogitationibus ſit verſatus, num aſſiduè die noctuq; in Dei timore permanſerit? Et quod rectè ab ipſo factum*

tum audieris, approbatione confirmato: Quod autem contrà vitiosè; leni curâ prudentiq; admonitione corrigito. Ita enim & attentiores esse assuescunt, qui itineribus se dabunt, si de reddendâ ratione solliciti sint; & nos, quàmdiu abjuncti illi à nobis permanent, neutiquam videbimur illorum vitæ curam negligere. Item serm. 1. de Institut. Monachor. Cùm necessariâ aliquâ de causâ necesse fuerit in publicum prodire, Antistitis arbitrium sit, eos ad hoc deligere, quos idoneos, qui prodeant, ipse judicaverit; itemq; contra præcipere, ut domi remaneant, quorum similiter ex re hoc esse censuerit. Præterea à discipulo suo Chiloni scribit: Lustrandarum regionum, civitatumq; adeundarum à te studium submoveto. Quin solitudini potiùs tuendæ sedulam impartè curam; tibi ipsi perpetuò constans, nullâ sinas mentis tuæ tenorem rerum labentium imagine distrahi. Et Epist. 1. ad Gregorium Theologum ait: eum expiationi animæ idoneum esse quietum statum, cùm nec lingua loquitur, quæ ad homines pertinent; nec oculi colorum nitores circumspiciunt in corporibus, nec continnè accommodatas membrorum proportiones; cùm nec aures animæ intentionem elanguescere faciunt, auscultandis ipsæ modulamentis distentæ ad voluptatem ciendam accommodati; nec facetorum hominum ridiculis aut scurrilibus dictis. Rationem verò addit; quia mens nec extrorsùs dissipata, nec in mundum per sensoria diffusa, ad se ipsa redit, moxq; suoptè nutu ad Dei notionem evadit.

Deniquè non solùm prohibet Religiosos egredi ex Monasterio in publicum; sed insuper vetat sæculares ingredi ad ipsos visitandi gratiâ. Ita enim scribit ad Gregorium Theolog. *Epist.* 1. *Solitudo grande operæ pretium adfert, utpotè quæ perturbationes animi consopire solita sit. Esto igitur locus aliquis ita ab hominum congressu liber, ut à nullo extraneorum irrumpente assidua interpelletur meditatio.* Qualem solitudinem seipsum elegisse testatur *Epist.* 19. *ad eundem Gregorium* dicens: *Quod autem potissimum de hoc loco referre possumus, hoc est, quod cùm ad omne genus fructuum sit propter situs commoditatem appositus, omnium mihi jucundissimum fructum, quietem ac tranquillitatem alit, non solùm propterea, quod ab urbanis perturbationibus alienus est; sed quod nè viatorem quidem admittit.* Causam dat *serm.* 1. *de Institut. Monachor.* dicens: *Mulieres à Monasteriorum ingressu prorsus arcentor. Viri non quivis temerè admittuntor, sed ii tantummodò, quos idoneos, qui ingrediantur, Antistes judicârit. Plerumq; enim hæc temerè facta omnibus ingrediendi potestas intempestivorum quorundam sermonum ac narrationum minimè convenientium causa est, ex quibus animus in futiles minimeq; necessarias posteà cogitationes delabitur.* Aliam rationem affert in *Constitut. Monast. c.* 7. his verbis: *Danda omninò nobis opera est, ut non nisi magnâ adhibitâ diligentiâ circumspectioneq; in congressum cum extraneis hominibus veniamus: Si enim Liberator noster omnibus se ipsum non credebat, si ille purus*

purus & labe omni carens, ille ab omni culpâ liber, ille justus, ille qui quantusq; erat, nihil nisi virtus erat, hoc faciebat; qui fieri poterit, ut nos, qui peccatores sumus, qui ad lapsum proclives, qui à recto, quod nobis proposuimus, itinere identidem aberramus, qui hoc poterit impetrari, ut, si curiosis hominibus vitam nostram inspiciendam exposuerimus, non et pravas in nos calumnias conflemus, & ipsi nobismet ipsis scandala statuamus? S. Ephrem serm. de Monacho & turture ait: Mane in solitudine; nè & tu ad mundum conversus, ea, quæ retrò sunt, respicias. Neq; in civitatibus & castellis vicisq; converseris; neq; cum mundanis demoreris: nè vias eorum addiscas, recedat q; anima tua à Deo. Et *lib. de vitâ spirit. Qui in solitudine vitam degit, à tribus impugnationibus bus liber est, quæ nimirùm ab oculis, auribus, & linguâ proficiscuntur. Aperniciosis congressibus & familiaritatibus sapienter abstine; ut homo interior bene conquiescat.* Item *in Beatitudinib. Beatus qui omni cum reverentia sedet in cellulâ suâ, sicut Maria secus pedes Domini. Beatus qui in cellâ suâ ut Angelus in cœlo puras & castas colit cogitationes, & ore collaudat eum, qui Spiritum & rerum omnium habet potestatem.* Et *de rectâ vitæ ratione: In cellula tua te contine, O Monache, ibique precationi cum animi submissione frequenter incumbe.* Sancti Antonii Abbatis apud Pelagium *lib. 1. vit. Patrum. n. 2.* decantata sententia est: *Sicut pisces, si tardaverint in sicco, moriuntur: ita &*

Monachi tardantes extra cellam, aut cum viris sæcularibus immorantes, à quietis proposito revolvuntur. Oportet ergò, sicut piscem in mari, ita & nos ad cellam recurrere; nè fortè foris tardantes, obliviscamur interioris custodiæ. Cui consonant verba S. Norberti *in serm. ad Fratres, qui reperitur in Bibliothec. SS. Patrum ult. edit. Vos, qui Habilitatem promisistis in hoc sacro loco, sitis sine fastidio susceptí oneri, in Dei servitute continui; nisi interdum necessitate exteriorum actionum præpediti: ne dissolutio inutilium divagationum suavitatem virtutum interiùs dulcedine Divinorum mysteriorum gustatam aufferat, & labentis mundi, qui nullum locum à sordibus habet tutum, fallaciter amorem inducat. Quia sicut piscis extra aquam penitus necessariis alimentis naturalibus carens citò moritur: Sic instabilis Religiosus munitione & custodia claustri exutus, exemplis & doctrinis bonorum alienus, mundo Cujus status in maligno positus est.) pluries conversatus, citò ad vitia labitur & nexibus perpetuæ mortis detinetur. Fugite igitur sæcularium hominum frequentiam sicut piscis siccitatem: ne obliviscamini interioris custodiæ diligentiam; quæ mentis generat puritatem* De S. Arsenio refert Pelagius *supra n. 3. Cum adhuc esset in palatio, oravit Dominum dicens: Domine, dirige me ad salutem. Et venit ei vox: Arseni fuge homines & salvaberis. Idem ipse discedens ad Monachalem vitam, rursum oravit eundem sermonem dicens; audivitq; vocem dicentem sibi: Arseni fu-*

ge,

ge, tace, quiesce; hæ enim sunt radices non peccandi. S. Hieronymus *Epist. ad Heliodorum Monachum* exclamat: *ô desertum Christi floribus vernans! ô solitudo, in quâ magni illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis ædificatur! ô Eremus familiarius Deo gaudens!* Et *Epist. ad Rusticum ait: Mihi oppidum carcer, solitudo est paradisus.* S. Bernhardus *serm.* 40. *in Cantic.* animam Religiosam sic alloquitur: *O Sancta anima! sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos; secede ab amicis & intimis.* Plura videri possunt apud eundem Bernardum *epist. ad Fratres de Monte Dei*, & apud S. Basilium *opusc. de Laude Solitariæ vitæ.*

234. Porrò non sufficit, fugere solùm homines sæculares, & eorum colloquia, sed præterea requiritur alia adhuc *strictior solitudo* ad conciliandam & conservandam animi pacem, quietem, & tranquillitatem pro unione per charitatem cum Deo necessariam; quæ solitudo consistit in eo, ut in claustro degentes, jugiter nos intra cubiculi seu cellæ parietes ita contineamus, ut citra veram necessitatem nullatenus pedem indè efferamus; neq; etiam quæ extra cellam in horto vel atrio aut alibi fiunt, curiosè per fenestram contemplemur. Qualem solitudinem à Novitiis quoquè requirunt Canonica statuta Ordinis Præmonstratensis. *Dist. 1. c. 20. n. 19.* ut videlicet *Soli Deo, vivere quærentes, cellarum & quietis suæ Studiosi sint*

observatores; habeantque cellulam pro paradiſo; ut S. Hieronymus monet Ruſticum Monachum. qui etiam *Epiſt. 15. De Laudibus S. Aſellæ* teſtatur, quod *unius cellulæ clauſa, anguſtiis, latitudine paradiſi fruebatur.* Pulchrè & nervoſè more ſuo Thomas Kempenſis *in opuſc. vallis Lilior. c. 18.* dè hac cellæ ſolitudine: *Latere & tacere bonum eſt pro pace cordis, & obtentu devotæ orationis, & ad cavendum diſtractiones cordis, in multis rebus viſis, & auditis: quia quæ oculus non videt, nec auris audit, cor non dolet, nec citò turbatur. Sicut enim piſcis extra aquam citò moritur: ita Monachus extra cellam leviter diſtrahitur, & inquinatur; Nam pretioſa aromata in pyxide clauſa fortius fragrant; aperta & oſtenſa virtutem odoris citius amittunt. Flores quoque manibus attacti læduntur: intra ſepta pomerii clauſa, ſervantur, & muris altis firmati tutantur. Creſcunt & roſæ in hortis clauſæ ſecuræ; areſcunt & calcantur pedibus inviis projectæ: Sic vagus & inſtabilis Monachus vileſcit, ſæpè foris viſus: fugiens autem turbas, manens intùs, reputatur Sanctus. Candela ardens à vento citò extinguitur: in laterna latens cuſtoditur. Sic fervor devotionis in ſecretario cubiculi tutius ſervatur; & in negotiis externis facilius diſſipatur. Maneas ergò libenter in ſolitudine & in cella, devotionis cauſa; Sicut B. Virgo Maria manſit ſola in cubiculo clauſa.* Et S. Baſilius *in opuſc. De Laude vitæ ſolitar. O cella, ſpiritualis exercitiis mira-*

mirabilis Officina! in quâ certè humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, & ad suæ redit originis puritatem. O cella spirituale prorsus habitaculum! namq; de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in divina charitate ferventes. Tu odiosæ linguæ frænum, tu luxuriosis renibus nitidæ Castitatis adhibes cingulum. Tu facis, ut leves quiq; ad gravitatem redeant; ut jocosi scurrilitatibus parcant; ut vaniloqui & procaces sè sub districtâ silentii censurâ castigent. Tu jejuniorum & vigiliarum nutrix; tu patientiæ & pacis perfectissimæ custos; tu nosti homines ad perfectionis culmen evehere, atque ad consummatæ sanctitatis fastigium sublimare. Te Hieremias aspexerat, cùm dicebat: Bonum est, cum silentio præstolare salutare Dei. Bonum est viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentiâ suâ. Sedebit solitarius, & tacebit; elevabit enim se supra se. Cella Dominicæ sepulturæ propemodum æmula; quæ peccato mortuos suscipis, & per afflatum S. Spiritus Deo revivisce re facis. Te portum tranquillitatis inveniunt, qui naufragium mundani fluctus evadunt. Recti diligunt te; & qui te fugiunt, veritatis luce privati, quo gressus ponere debeant; non agnoscunt. Adhæreat lingua faucibus meis; Si non meminero tui; Si non præposuero te in principio lætitiæ meæ. Hæc requies mea: hic habitabo; quoniam elegi eam. Juxta S. Bernardum epist. ad Fratres de monte Dei Cellæ & Cæli habitatio cognatæ sunt: quia sicut

cælum & cella adinvicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. Quod geritur in cælis, hoc & in cellis: quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Nec jam spiritui oranti, vel etiam è corpore exeunti, è cella in cælum longa & difficilis via invenitur: à cella enim in cælum sæpè ascenditur: vix autem nunquam è cella in infernum descenditur; nisi sicut dicit Psalmista, descendant in infernum viventes, videlicet nè descendant morientes. Moriens autem vix aut nunquam aliquis è cella in infernum descendit; quia vix unquam aliquis nisi cælo prædestinatus, in eâ usq; ad mortem persistit.

235, Neq; mihi opponas, te vitam profiteri non purè Monachalem, sed canonicam & mixtam ex contemplativâ & activâ; vi cujus obligeris ad conversandum cum hominibus Sæcularibus, ut eos Christo lucrifacias: Nam etiam professores vitæ mixtæ & Canonicii seu Clerici Regulares debent solitudinem colere, ac frequentiam hominum fugere, quamdiu charitas proximi, aut ratio officii illorum aliud non exigit; imò non deberent prius in publicum prodire ad functiones activæ vitæ exercendas, quàm se ipsos in vitæ contemplativæ studio & solitudine ita perfecerint ac solitaverint, ut sine propriæ salutis dispendio, & aliorum scandalo possint in vita activa stare & conversari. *Si sapis*, inquit S. Bernardus *serm.* 18. *in Cantic. Concham te exhibebis, & non canalem: hic siquidem penè simul recipit & refundit: Illa verò*

rò donec impleatur, expectat; Et sic quod superabundat, sine suo damno communicat. En quanta prius infundenda sunt, ut effundere audeamus, de plenitudine, non de penuria largientes: primò quidem compunctio, deindè devotio, tertio pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò orationis studium, sextò contemplationis otium, septimò plenitudo dilectionis. Eam nondum adeptus, periculosissimè promovetur, quantis libet aliis videatur pollere virtutibus. Cæterùm tu frater, cui firma satis propria salus nondum est; cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera & arundinea, quantenus omni flatui cedat; quânam dementiâ, quæso, alienam curare aut ambis, aut acquiescis? Sanè viri sanctissimi, quos Deus ad vitæ activæ functiones & ad curam alienæ salutis gerendam vocavit in veteri & novâ lege, prius in solitariâ & contemplativâ vitâ se strenuè exercuerunt, radicârunt, solidârunt, & confirmârunt, nec non post expletas officii sui partes ad eandem redierunt; sicuti constat de Prophetis Eliâ & Eliseo habitantibus solitariè in Carmelo 4. *Regum* 1. & 4. Et de S. Joanne Baptista sanctificato in utero matris; qui *erat in desertis, usq; in diem ostensionis suæ. Luc.* 1 quiq; *erat prædicans in deserto Judææ*; ut ait Matthæus *c.* 3. In quem proinde locum commentans Doctissimus vir Cornelius à Lapide scribit, Sanctum Joannem exemplo suo docuisse *viros Apostolicos, & prædicatores futuros, prius secedere ab hominum tumultu, & in secreto vacare orationi & me-*

& meditationi; ut in eâ magnam vim ſpiritûs cœlitus hauriant; quam deinde prædicando in Auditores effundant. *Quò facit* illud S. Auguſtini *epiſt. 76. Non erit bonus Clericus, qui non fuit bonus Monachus.* *Quocirca SS. Auguſtinus, Martinus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Baſilius, Gregorius, aliiq; plurimi ex Monaſteriis Clerum aſſumpti ſunt.* De Chriſto Jeſu, qui forma extitit & exemplar omnis perfectionis, refert idem S. Matthæus *c. 4.* quod ante initium prædicationis ſuæ *ductus à Spiritu* Sancto *in deſertum*, quadraginta diebus & noctibus ſe exercuerit in vitâ ſolitariâ, jejunando, orando &c. ſcilicet *ut futuros in Eccleſiâ Doctores & prædicatores primò tentationibus probari, ac in oratione & meditatione in ſolitario ſeceſſu formari oportere, illoque ſpiritum ingentem à Deo hauriri; quem deinde in alios effundant, oſtenderet.* *Qui ergò ſapiunt, prius cum Chriſto in deſertum hoc orationis & meditationis ſecedunt, in eoq; cum Deo converſantes; ad munus prædicationis, gubernationis, & Apoſtolatus ſe diſponunt;* ut inquit idem Cornelius *in c. 4. Matthæi.* Adde, quod Chriſtus non ſolùm ante prædicationis ſuæ initium, verùm etiam poſteà ſub eodem prædicandi munere frequenter à turba receſſerit, & ſolitudinem repetierit. Nam *Matthæi* 14. dicitur, quod *dimiſſâ turbâ aſcendit in montem ſolus orare.* Et *Luc. 6. Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Non quod in orando & contemplando ullatenus perturbaretur à perſtrepente turbâ; ſed ut

præ-

prædicatores futuros & vitæ activæ professores informaret, quid ipsos inter docendum facere subindè oporteat, utpotè quibus popularis tumultus & frequens cum sæcularibus conversatio non exiguum sæpè detrimentum adfert.

§. 21.

De decimo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est lectio spiritualium librorum.

236. PRæter hactenùs dicta & declarata media, quibus removentur impedimenta in exercitio charitatis, & unione animæ cum Deo directè vel indirectè obstantia; requiruntur insuper alia quædam *adjumenta*, quibus eadem anima sursùm debet elevari, & in altum extolli, ut Deo Summo Bono approximare, & illi se conjungere atque adhærere incessanter possit; quatenus scilicet præsentis vitæ status & conditio permittit: cùm enim voluntas in amando dependeat ab intellectu, & non possit ferri per affectum suum in rem incognitam, sed juxta mensuram cognitionis contemperet vel odium vel amorem objecti propositi; hinc necessarium est, ad amandum Deum tanquam summum Bonum, ut intellectus prius cognoscat Deum velut summum Bonum; & perfectiones Dei, propter quas super omnia est amabilis, voluntati repræsentet: Nam quo major & perfectior est hæc Dei notitia et cognitio ex

parte

parte intellectus, eò major etiam & perfectior est amor seu dilectio & charitas ex parte voluntatis; Sicut apparet in Angelis & Sanctis comprehensoribus in Cœlo; qui Deum perfectissimè & vehementissimè ac sine cessatione amant; quia ejus bonitatem & perfectionem clarissimè per intellectum cognoscunt & intuentur.

Sunt autem tria potissimùm remedia, quibus Novitii & Tyrones notitiam Dei & perfectionum illius, quantum pro incipientium Statu satis est, comparare & sibi acquirere possunt. Primum est *lectio spiritualium librorum*; de quâ S. Hieronymus *epist. ad Demetriad. Virgin. unum illud tibi, præ cæ. omnibus unum prædicam, & repetens iterùm iterumq; moneto; ut animum tuum Sacræ lectionis amore occupes.* Et *ad Rustic. Monach. Nunquam de manu & oculis recedat liber; & animus lectione saturetur. Quia omnis profectus ex lectione & meditatione procedit: quæ enim nescimus, lectione discimus: quæ autem didicimus, meditationibus conservamus;* ut inquit S. Isidorus *lib. de Summo Bono c. 5.* Solet enim Deus nobis per lectionem spiritualem loqui, se nobis revelare, & sui notitiam nobis communicare; sicut ait S. Ambrosius *lib. 1. officior. c. 10. illum alloquimur, cùm oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula.* Et S. Hieronymus *ad Eustochium epist. 22. Semper te cubiculi secreta custodiant; Semper tecum ludat sponsus intrinsecus. Oras? loqueris ad sponsum: legis? ille tibi loquitur. Un-*

dè

de epist. ad Marcellam refert de Ambrosio; *eum nunquam cibum sine lectione sumpsisse; nunquam iniisse somnum, nisi unus è fratribus sacris literis personaret.* Et S. Theresia *c. 4. vitæ suæ* fatetur, quod primitùs non potuerit meditari & intellectu discurrere de rebus divinis; eò quod nondum haberet notitiam Dei, & rerum spiritualium; quam postèa notitiam ex lectione spiritualium librorum accepit. Quæ impotentia & sterilitas in meditando ac de rebus spiritualibus discurrendo communiter contingit incipientibus seu Tyronibus, ob defectum Lectionis spiritualium librorum; paulatim verò minuitur ac tollitur per quotidianam eorum lectitationem. Quomodò autem lectio sacra animam, quam cognitione & Notitiâ Dei imbuit, etiam ad ejusdem amorem perducat, passim declarant exempla Sanctorum, qui per lectionem piorum librorum ad Dei servitium & charitatem sunt accensi & inflammati. D. Gregorius Nazianzenus *orat. 10.* fatetur, se ex lectione scriptorum Asceticorum Sancti Basilii in alium planè virum mutarii, ait enim: *Cum orationes eas, quas de moribus ac benè vivendi ratione scripsit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templumq; Dei capax efficior, atq; instrumentum musicum à Spiritu Sancto pulsatum, divinamq; gloriam & potentiam decantans. Hic reconcinnor, & componor, atq; in alium virum migro, divinitusq; permutor.* De S. Augustino, qui ex Manichæo & voluptatum sectatore mutatus est in Ecclesiæ Catholicæ Doctorem

ctorem & ardentissimum Dei amatorem, scribit Possidius in ejus vita, quod ex Sacrorum lectione conversus fuerit: *Nam cùm in hortulum secessisset Augustinus; ecce de proximâ domo vox ad ejus aures quasi pueri dicentis: tolle, lege: tolle, lege: Statimq; surrexit, interpretans, divinitus sibi jùberi, ut aperiret codicem Apostolicum & legeret. Accipit igitur librum, aperit, legit in silentio capitulum, quod primò se obtulit: Non in commessationibus & ebrietatibus &c. Sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam nè feceritis in concupiscentiis. Nec ultra legere voluit; mox quippè quasi luce securitatis corde infusâ, omnes dubitationis tenebras sensit diffugere.* Videri possunt de hoc liber 6. & 7. *Confessionum ejusdem S. Augustini;* uti & liber 8. ubi c. 6. ipse recenset, quomodò Adolescentes duo Nobiles à militia sæculari conversi sint ex lectione vitæ S. Antonii Abbatis ad meliorem vitam & militiam spiritualem. De S. Ignatio Societatis Jesu Fundatore, qui tantus Dei amator, ut majorem ejus gloriam semper in ore habuerit, semper in omnibus quæsiverit, refert Breviarium Romanum, quod animus illius accensus fuerit ex *fortuitâ piorum librorum lectione.* De Sanctâ quoq; Theresiâ meminit idem Breviarium ad diem 15. Octobris, quod cùm in tenerrimâ adhuc ætate Sanctorum martyrum Acta perlegeret, *adeò Spiritus ignis* in eâ *exarsit, ut domo auffugiens in Affricam trajiceret, ubi*

ubi vitam progloriâ Jesu Christi & Animarum salute profunderet.

237. Porrò inter libros spirituales, qui legendi sunt etiam à Novitiis, primum locum sibi vendicat S. Scriptura, maximè novum Testamentum: Nam quamvis *omnis scriptura divinitus inspirata, utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in justitiâ; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 2. Timoth. 3.* Nihilominus majore cum fructu, & minore cum periculo legitur à Tyronibus Evangelium Christi, cum Actibus & Epistolis Apostolorum: utpotè in quibus Consilia Evangelica, praxes & media ad perfectionem, motiva & causæ amandi Deum plenius continentur. Divina Scriptura igitur præferenda est omnibus aliis spiritualibus libris; utpotè quæ est *quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam;* ut inquit S. Gregorius *in lib. 1. Reg. c. 84.* Sacra Scriptura est *illa doctrina super omnia diligenda, quam Prophetæ prædixerunt, quam Patriarchæ divinitùs hauserunt, quam Dei Filius postquàm in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, aperuit & declaravit, & quid tenendum, & quid vitandum est, apertissimè demonstravit, & per suos Apostolos nos ipsam docendo illuminavit. Hæc est lucerna pedum nostrorum, & via salutis nostræ, in quâ instruimur, quomodò Deum primò præ omnibus diligamus: Quomodo animam nostram, postmodùm animam proximi, quomodò postmodùm corpus proprium, quomodò postmodùm corpus proximi velut nostrum diligamus. Hæc est illa sacra*

Scriptura & ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiit, philoſophis abſcondita, ſed groſſis & rudibus piſcatoribus revelata; inquit S. Auguſtinus *ſerm. 38. ad Fratr.* ubi & ſubdit. *Itaq; Fratres, nolite jam pigreſcere; ſed legite Scripturam: diſcite eam Filioli; ſæpè legite eam. Hæc eſt, quæ præcipuè Deum provocat diligere, cor illuminat, purificat conſcientiam, animam ſanctificat, fidem confirmat, animas frigidas calefacit* &c S. Baſilius *epiſt. ad Chilonem diſcipul. monet: Crebram lectitationem novi præſertim Teſtamenti nè levi ex cauſâ transmiſeris. Scriptura omnis divinitùs inſpirata non mediocrem ex ſe uſum conciliat attento lectori.* Nam juxta S. Iſidorum Hiſpal. *lib. 6. ſentent. c. 8. n. 4. Geminum confert donum Lectio ſacræ Scripturæ; ſivè quia intellectum mentis illuminat; Seu quia à vanitatibus mundi abſtractum hominem ad Dei amorem perducit.* Qui legit alterius viri docti & valdè etiam ſpiritualis librum quemcunq;, non eſt certus de doctrinâ inibi reperta, quod ſit infallibilis; adeoq; voluntas, quæ judicium intellectus ſequitur, non poteſt pedem tam firmum figere; & affectus tam efficaces elicere: qui autem ſacram Scripturam legit, ſecurus omninò eſt & certus, quod omnes ſententiæ & doctrinæ in eâ contentæ ſint veritatis infallibilis; poteſtq; illis affectu firmiſſimo inhærere, & propoſita efficaciſſima formare. Unde S. Hieronymus *in c. 23. Matthæi. Quod de ſacris ſcripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Et S. Augu-

Augustinus *lib. 11. confess. c. 2. Sint castæ delitiæ meæ sacræ Scripturæ: non fallar in eis; nec fallam ex eis.* Ut ita Canonici Ordinis Præmonstratensis statuta non immeritò præcipiant. *dist. 1. c. 20. n. 19. Quod Novitii in legendis volvendisq; scripturis sacris debeant esse assidui;* & Magister eorum debeat *aliquot loca, specialim ad Dei amorem, terrenarumq; rerum contemptum, & ad virtutum studium magis excitantia illis præfigere, quæ frequentius ac diligenter legant, revolvant, ac tenacius cordi & memoriæ imprimant.* Secundo loco Tyronibus seu Novitiis præter Regulas & sui Ordinis statuta legendæ sunt Epistolæ S. Hieronymi ad Rustic. Monachum, ad Paulinum &c. Item epistolæ Basilii ad Chilonem discipulum, Gregorium Theologum; & ejusdem Regulæ tam fusius disputatæ, quàm breviores, Constitutiones monasticæ, sermones de *Abdicat. & Institut. Monach.* Epistolæ, sermones, & Apologia S. Bernardi ad Guilielm. Abbatem. Vitæ SS. Patrum apud Roswеidum. Sermones S. Ephrem. &c. Quibus non inutiliter tertio loco adjungi possunt alii libri ascetici Authorum recentiorum clariores, captui incipientium magis accommodati.

238. Ut verò lectio spiritualium librorum sit fructuosa, plures requiruntur conditiones. Prima est, ut animus immunis sit & purus ab omni peccato graviori; aut saltem paratus sit a peccatis desistere, & ab illis per pœnitentiam se emundare. *Quoniam in malevolam*

animam non introibit Spiritus ſapientiæ : nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sapient. 1. Quod ſi graves aliqui peccatores, (Sicut de S. Auguſtino ſupra dixímus) ex lectione ſpiritualium librorum compuncti, & ad meliorem frugem converſi fuerint: id non contigit ſine præcedente animi bonâ diſpoſitione & affectione in illis à DEO excitatâ. *Secunda* conditio eſt, ut animus ſit benè ſedatus, quietus, compoſitus, & ab omni perturbatione vel quocunque motu inordinato purificatus. Nam ſicut expoſitio S. Scripturæ *exigit mentis oculos acres, & perſpicaces, qui res divinas perſpicere, & in penetralia Spiritus ingredi audeant*; ut inquit S. Theodoretus *prologo in Cantica.* Ita quoq; ejuſdem Divinæ Scripturæ Lectio requirit intellectum perſpicacem, & valentem ingredi in penetralia ſpiritûs. Conſtat autem experientiâ, quod paſſionum indomitarum vehementia & inordinati motus ſoleant mentis noſtræ oculum, qui eſt intellectus, ſummoperè obſcurare, & tenebras ei offundere in tantum, ut lecta penetrare, ac perſpicere vel ponderare minimè poſſit; ſicut patet in vehementer iratis, triſtibus, amantibus &c. *Tertia* eſt, animus legentis ſit *humilis*, qui perſuaſum ſibi habeat, multa ſe adhuc ignorare, & ſe doceri poſſe ab aliis; nec Deum uni ſoli omnia dona & talenta largiri, ſed ea diverſis diſtribuere, ut unus alium ſivè dictis ſcriptis inſtruere poſſit, & promajori humiliatione unus ab altero diſcere non erubeſcat. Sic legimus *in Actis Apoſtolorum*

c. 9.

c. 9. quod Christus Sauli in via apparens & loquens, cùm facillimè potuisset ipsum instruere circa omnia credenda & facienda, misérit eum ad hominem, scilicet Ananiam, ut ab illo disceret, quid deberet facere: interroganti enim Sauli: *Domine quid me vis facere?* respondit Christus: *ingredere civitatem; & tibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Nullus igitur qualitercunq; doctus putet, se ex aliorum libris & scriptis discere nihil posse; hoc enim ipso obstaculum sibi ponit, quo minus fructum aliquem ex lectione possit haurire; nam quos velut ignorantes & imperitos, nobisq; doctrinâ inferiores superbè ac fastuoso supercilio despicimus, horum dictis & scriptis nullatenus movemur ad agendum aliquid vel omittendum; & ab eis discere aliquid dedignamur. Sicut patet in civibus Nazareth, qui doctrinæ Christi fidem non adhibebant; eò quod ipsum tanquàm Fabri Filium & de pauperibus parentibus prognatum despicerent. *Matth.* 13. Accedit, quod Deus superbis resistat, & donum tam illuminationis ex parte intellectus, quàm efficacis motionis & impulsus ex parte voluntatis inter legendum illis deneget; *ut videntes non videant & legentes*, vel legi *audientes non intelligant.* Unde Christus *Matth.* 11. *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.*

Quarta Conditio est, ut in Legente sit intentio, aviditas, desiderium, spirirualis fames

proficiendi ex lectione: *Qui enim esuriunt & sitiunt justitiam, ipsi saturabuntur.* Matth. 5. Fastidiosi autem dimittuntur, & relinquuntur inanes, undè de cœlesti sapientia dicitur: *Facilè videtur ab his, qui diligunt eam; & invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat: initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.* Sapient. 6. Et ad Danielem Prophetam, qui cupidus erat discere & cognoscere mysteria Dei, maximè circa Messiam venturum, Angelus ait: *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Non ergò mirum, quòd ex lectione spirituali quotidianâ nullum vel exiguum fructum hauriant, qui sinè ullo desiderio spiritualis profectus, sed ex merâ consuetudine, necessitate, aut curiositate, temporis fallendi gratiâ, vel cum fastidio libros legunt, etiam optimos & Sanctissimos.

Quinta conditio est, ut lectio spiritualis sit *attenta* & *reflexa*: ita ut legens doctrinam & veritatem, quam legit, benè consideret, expendat, ruminet, & ad vitam moresque suos applicet. Propter quod non est festinandum in legendo: *non multa, sed multum*, monet Plinius esse legendum; *quia sæpè prolixa lectio longitudinis causâ memoriam legentis obliterat.* Econtrà lectio si *brevis sit, submotoq; libro sententia retractetur in animo, tunc sine labore legitur; & ea, quæ lecta sunt, recolendo, memoriâ minimè excidunt; ut inquit Isidorus lib. 3. de summo Bono. c. 14.*

Sexta

Sexta conditio est, ut lectio *non sit vaga*; qualis est illorum, qui modò hunc modò alium librum arripiunt, & aliquid in eo legunt. Debet ergò, qui vult proficere, paucos sed solidos libros, habere, & in eorundem lectione hunc observare ordinem, ut à principio & titulo libri illius, quem semel pro lectione determinavit, incipiat, & per omnia capita ac paragraphos ad finem usq; procedat; nec prius alium assumat, quàm inchoatum legendo absolverit. Qui enim per plures simul vagatur libros, & nulli determinato alligat, similis est ægroto, qui diversos in suâ infirmitate adhibet medicos, & per hanc suam variationem destruit & corrumpit magis seipsum. *Lectio certa prodest*, inquit Seneca *epist.* 49. *Varia delectat.*

Septima deniq; conditio est, ut ea, quæ inter legendum digna notatu occurrerint, & vel ad perfectionem proprii Spiritus, vel ad instructionem aliorum servire poterunt, scripto annotentur, & in peculiarem librum ad hunc finem dispositum referantur, eo ordine & modo, ut suo tempore reperiri, & usurpari valeant. Easdem ferè conditiones tradit doctissimus & piissimus vir Gerardus Zutphanienſis *in suo libro de spiritualibus ascensionibus*, dum ait. *ut tibi lectio pro spirituali ascensu sit fructuosa, multa sunt tibi attendenda, videlicet quid legis, quando legis, quomodò legis, & ad quid legis. Quid legis: non enim quæ legis, omnia quamvis etiam utilia, æq; proficiunt ascendenti. Unde illarum scripturarum lectionibus magis debes incumbe-*

re, quæ tuum affectum magis inflammant ad spiritualem profectum & ascensum, quàm quæ in rebus difficilibus & rebus curiosis illuminant intellectum, acuunt curiositatem; sicut sunt materiæ disputabiles. Lectio enim difficilium scripturarum non reficit animum teneriorem; sed nunquam frangit ejus intentionem. Illos autem libros præcipuè debes legere, qui vel instruunt te de moribus, de extirpatione vitiorum, de exercitiis virtutum, & spirituali profectu; vel illos, qui in te augent devotionem, & inflammant affectum ad Christum, & ad cœlestia. Et si interdum alios legeris, quamvis ex causâ, statim debes redire ad materias devotionis. Secundò debes attendere, quando legis. Lectio enim ut sit fructuosa, non debet esse ex abrupto, & casu fortuito; sed tempore fixo. Homo præcipuè debet diligenter animum ex sacrâ lectione reficere; ut habeat undè in suis exercitiis, cum melius non occurrit, memoria occupetur. Itaq; lectio non nos retineat in se occupatos; sed ulteriùs dirigat ad devotas meditationes, & spirituales orationes; & illæ suâ dulcedine & affectione dirigant ulteriùs in opus, & fervent delectabiliter operantes. Tertiò debes attendere, quomodò legis. Sunt enim qui librum ex toto ante percurrunt, antequam incipiant. Alii nunc unum Folium studeant in principio; statim deindè aliud Folium in medio, vel in fine; & sic casualiter percurrunt. Fastidientis autem stomachi, ut quidam ait, est multa degustare; quæ ubi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt. Tu verò integrum

grum librum tibi elige, qui proposito conveniat, mores informet, devotionem augeat; quem timore Domini præcedente, à principio usque ad finem congruâ devotione & debitâ reverentiâ debes studere. Quartò debes advertere, ad quid vel propter quid legis. Et certè principalis intentio tua debet esse puritas cordis, non vanitas: non tantùm ut scias, sed multò minus ut sciaris; sed ut tibi proficias, & aliis pro tuo modulo. Debes igitur, ut immediatius lectionem ad puritatem referas, semper aliquid de lectione extrahere, quod tuo proposito conveniat, quod memoriam occupet, quod te ad proficiendum admoneat; ut sis animal mundum, quod consuevit ruminare. Sed & alios fructus potes in lectione quærere, ut scilicet nunc legendò nunc orando, nunc operando exercitia varies, & tædium mentis devites. Stude ergò in omnibus, quæ consueveris exercere, delectationem aliquam invenire: delectatio enim servat operantem in opere. Time in omnibus tædium mentis &c.

§. 22.

De undecimo medio ad operandum ex charitate Dei, quod est conferentia & colloquium spirituale.

239. SUadet hoc medium S. Basilius *serm. de Abdicat. dicens: Futiles, qui habeantur sermones, magnoperè nè attendito; sed si quæ ex divinis literis ad salutem animæ pertinentia me-*

morari audieris, tùm verò ad ea adienda doceto te intellectu & scientiâ præditum. Acerba gustatu tibi ea sunto, quæcunq; de mundanis rebus memorentur: contraq; favis mellis similia, quæ pietatis colentibus viris narrentur. Et *serm. 2. de Institut. Monachor. Sermo futilis & quæ à familiaribus ac mutuis congressionibus mentis nasci solet distractio, prorsus exterminator. At si quid ad animarum ædificationem utile sit, de hoc tantummodò sermo habeatur.* Ad exemplum scilicet & imitationem Christi, qui vanos discipulorum & aliorum sermones præscidit, & in spirituales convertit. Nam cum accederent *discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi; Ipse statim subintulit: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur, &c. Matth. 24.* Et cùm quidam adveniret, *nuntiantes Illi de Galilæis, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum. Ipse respondens dixit illis: putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis: Sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis Luc. 13.* Habent siquidem colloquia spiritualia & conferentiæ de rebus piis duplicem effectum, qui uterque ad Charitatem Dei exercendam servit: Nam primò intellectum illuminant, instruunt & informant cognitione seu notitiâ rerum spiritualium, & Divinarum Perfectionum, propter quas Deus est summè diligibilis. Dum enim singuli in conferentiâ, quæ vel legerunt, vel audierunt, vel proprio marte & ingenio

in

invenerunt, in medium proferunt, & cum omnibus auditoribus communicant; accidit, ut singuli omniùm doctrinas & sententias percipiant: atq; ita singuli omnium, & omnes singulorũ fiant discipuli simul & Magistri. Unde S. Chrysostomus *homil. 11. ad popul. Quoniam se quisq; per seipsum emendare facilè non potest, faciamus sodalitia & collationes; & quod in conviviis pauperes faciunt, quoniam non potest quisq; solus convivium exhibere perfectum, convenientes omnes ex symbolo convivium conferunt; hoc & nos faciamus; postquàm per nos ipsos torpidi sumus, collationas facientes, inter nos consilium spondeamus conferre, & admonitionem, & exhortationem, & increpationem &c. Ut ex singulorum studio omnes rectè agamus.* Nec refert, quod cœteri in colloquio jam antecedenter etiam legerint in libris, quæ unus ex collocutoribus profert: Nam *cùm sit utilis ad instruendum lectio; adhibitâ tamen collatione majorem intelligentiam præbet: melius est enim conferre; quàm tantùm legere: collatio namq; docibilitatem facit: Nam propositis interrogationibus cunctatio rerum excluditur; & sæpè objectionibus latens veritas approbatur; quod enim obscurum aut dubium est, conferendo citò perspicitur;* Inquit S. Isidorus *lib. 3. de Summo Bono c. 14.* Propter quod reliqui audientes narrari talia à quopiam, quorum ipsi jam habent notitiam, *confirmationem potius perfectæ scientiæ ex eorum repetitione, quàm ullum ex frequenti capiant collatione fastidium;* uti monet Cassianus *collat. 14. c. 13.* Addit S. Basilius

in

in constitut. Monast. c. 13. quod etiam tempore ad relaxationem animi concessio spiritualia colloquia instituere debeamus; ut sic quasi ludendo sapientiam & intelligentiam nobis comparemus: postquàm enim dixisset, vitandas omnes omninò in sermone facetias esse, & scurrilem dicacitatem, subdit: *Cæterum si usus etiam inciderit aliquando, ut remittendæ aliquantulùm tristitiæ causâ sermone ad hilaritatem excitemur, danda omninò opera est, ut spirituali lepôre referta sit oratio nostra, & Evangelico sale condita: ut rectæ, quæ interius sit, Sapientiæ gratum foràs odorem aspiret, dulciterq; auditorem & animi relaxatione & intelligentiæ festivitate delectet.* Et *ibidem c. 12.* vult reji-ci omnes omninò sermones, qui non sunt de virtute, aut de opere aliquo instante & urgente, aut aliter ad proximi ædificationem non pertinent. *Verborum*, ait, *ea, opinor, utilitas fuerit, si aut de virtute disseratur; aut si ad rei alicujus, quæ facienda instet urgeatq;, usum sermo accommodetur; aut etiam denique ad audientium ædificationem referatur. Qui autem in alio quovis genere sermones versantur, ij rejicitanquam supervacanei, ac inutiles debent.*

Secundus effectus spiritualium colloquiorum est, quod voluntatem audientium & colloquentium moveant & promoveant ad pios affectus excitandos, & ad salutaria majoris perfectionis proposita concipienda, ipsamq; ad Dei amorem accendant & inflamment. *Lapis sæpè ad lapidem concussus, scintillas exilire facit; tametsi*

nihil

nihil frigidius lapide, nihil igne calidius attamen concussio victâ naturâ ignem elicit. Quod cùm in lapillis contingit; multò magis idem fit & in animabus, quæ per colloquia spiritualia tanquam per reciprocos ictus *mutuùm atteruntur, & igne spiritus concalescunt,* inquit S. Chrysostomus *homil. 6. advers. Anom.* & exemplo suo confirmat S. Augustinus *lib. 1. confess. c. 10.* dicens. *colloquebamur soli* (ipse videlicet & mater) *valdè dulciter, & præteriorum obliti, quærebamus inter nos, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Cùmq; ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet præ illius vitæ jucunditate non comparatione, sed nec commemoratione quidem digna videretur; erigentes nos ardentiori affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia & ipsum cælum; & adhuc ascendebamus cogitando & loquendo Te* (Deus) *& miranda opera tua &c. Domine, tu scis, quod illo die, cum talia loqueremur, mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis.*

240. Porrò notanda est hic distinctio inter conferentias seu collationes spirituales, & colloquia privata. Nam *collationes* seu *conferentiæ* dicuntur, quando certis ac præfixis temporibus & locis plures conveniunt ex condicto, & de suo rerum spiritualium penu seu promptuario conferunt in commune sermones de objecto per colloquii præsidem determinato. v. g. de Na-

de Naturâ, actibus, & praxi alicujus virtutis &c. Undè juxta Joannem Crombetium *lib. 6. de studio perfect. c.* 17. requiritur ad conferentias seu collationes spirituales utiliter instituendas, ut Magister aliquis & director præsit, qui authoritate cœteris collocutoribus, major & rerum spiritualium usu exercitatior, materiam designet, interrogationes formet, tempus & moram respondendi ad illas cuilibet tribuat, totumq; negotium ita prudenter & dextrè moderetur, nè in lites & frivolas contentiones seu verborum pugnas desinat; adeòque munus & officium Directoris est *primò*, ut omnibus in unum aliquem certum ac præfixum locum convenientibus, ipse quæstionè proponat discutiendam; v. g. quibus potissimum armis hæc illata tentatio vincatur? quâ ratione charitas possit inter domesticos conservari? quibus stimulis & motivis fervor spiritus possit continuari? &c. *Secundò* ut interroget singulatim, non omnes, sed peritiores, quid hac de re legerint, vel ab aliis audierint, vel ipsi judicent & sentiant; respondentem verò quemlibet, si opus fuerit, adjuvet, suggerendo quæ alter nescit; vel in meliorem sensum interpretando, quæ minus peritè enunciavit; vel reducendo ad scopum, si ab eo deflectat; vel afferendo lucem obscurioribus dictis; vel rectè prolata roborando rationibus novis, exemplis idoneis, Sacræ Scripturæ testimoniis, Sanctorum Patrum sententiis &c. *Tertiò*, ut omnium sententias colligens & expendens, seligat ac definiat, quid sentiendum & tenendum sit; addatq; brevem aliquam adhortationem

ad

ad ea alacriter & exactè præstanda, quæ sic discussa & definita fuerunt. Formulam & specimen hujusmodi spiritualis conferentiæ seu collationis exhibet Abbas Moyses apud Cassianum *collat.* 2. ubi refert, quod seniores propter studium perfectionis convenerint ad S. Antonium Magnum. Cùm autem proposita fuisset quæstio, quænam virtus possit Monachum à Diaboli deceptione illæsum custodire, & varii varias virtutum species attulissent, ipse B. Antonius tandem omnium sententias colligens, & collaudans, propositam quæstionem postremò sententiâ suâ definivit, dicendo, quod omnes virtutes ae ipsis allatæ sint quidem utiles & necessariæ propter rationes à singulis adductas; nihilominus principatum obtineat sola virtus discretionis.

241. *Colloquia spiritualia privata* dicuntur, quando in familiari discursu aliquorum, sivè in sivè extra horam recreationis, domi vel in itinere sermo habetur de rebus spiritualibus, qui colloquentes, & audientes ædificare sit idoneus. Quomodò Apostolus monet facere Ephesios. c. 4. dicens. *Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus; ut sciatis, quomodò oporteat vos unicuiq; respondere. Omnis autem sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Quæ verba exponens S. Hieronymus, ait, nobis ab Apostolo commendari *sermonem, qui docet virtutes sequendas, vitia Fugienda.* Et S. Chrysostomus *homil.* 14. *in cit at. Epist.*

Epist. docet, præscribi nobis *sermonem, qui moneat, instruat, doceat, disseratq; de compunctione, de pietate, de eleemosynâ, & rebus harum similibus.* Scribit autem Apostolus eam admonitionem ad omnes Fideles Ephesi habitantes, sivè laici ji sint sivè Clerici; ut facilè detur intelligi, qualia colloquia habere debeant Religiosi, tùm inter se, tùm inter sæculares. *In Dei servo omnia debent bona videri; nec ex aliquâ parte puritas ejus debet maculari. Quid enim prodest mundam habere vitam & os sordidum; cùm dicat Dominus, quod unusquisq; verbis suis aut justificabitur, aut condemnabitur. Nec credibile potest videri, benè vivere eum, qui malè loquitur; cùm ex abundantia cordis os loquatur; & bonus homo de bono thesauro proferat bona.* Inquit S. Ambrosius *in c. 4. ad Ephesios. Hoc nempè loquuntur quiq., quod diligunt; & delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus volunt;* ut ait D. Prosper *lib. 3. de vitâ contemplat. c. 6. Unde videmus agricultores, cum in unum coadunantur, repentè & sine tædio de iis, quæ agriculturæ sunt, sermocinari; artifices Mechanicos de suis artificiis, Mercatores de suis mercimoniis;* uti observat Laurentius Justinianus *lib. de disciplin & perfect. mon. c, 15.* Et juxta Poëtam.

Navita de ventis, de tauris narrat arator;
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Si ergò homo Religiosus diligat Deum, perfectionem, virtutes, profectum, orationem, mo-

modestiam, & similia, quæ professioni ipsius congruunt; procul dubio de talibus frequenter ac quasi semper sermonem instituet: *Ex abundantia* enim *cordis os loquitur. Matth.* 12.

242. Ne verò Tyronibus & Novitiis desit materia formandi discursus spirituales, eam suggerit B. Laurentius Justinianus suprà, dicens: *Studeant Christi servi, cùm in unum congregantur, & invicem reperiuntur, semper de rebus necessariis, vel de animæ profectibus habere sermonem. Maximam namq; & indeficientem loquendi materiam invenient, si de miseria præsentis vitæ, de periculis hujus peregrinationis, de variis tentationum generibus, de Diaboli fraudibus, de vitiorum deformitate, de virtutum ornamentis & meritis, de mortis inevitabili necessitate, de pœnis inferni, de regno Dei, & præmio paradisi conferant; frequentius verò de Dei ineffabili charitate humano generi per Christum & in Christo exhibitâ sermonem instituant.* Et S. Chrysostomus *homil. in Calend. habitâ: Cum aliis sedens, non de rebus externis disseras, neq; de his, quæ nobis perparùm, aut plane nihil conducunt; sed de Religione nostrâ, de gehenna, de Regno cælorum: Non autem de rebus inanibus & supervacaneis, cujus generis hæc sunt: quis magistratum gerit? quis Magistratu abiit? quâ de causâ hic mulctatus sit? Unde ille tantum lucratus sit & locupletissimus evaserit? quid ille reliquerit moriens? ac multa his similia.* Item S. Bernhardus *in formulâ S. vitæ: Cùm loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, ac de*

Deo. Si sæcularis loquitur tecum, ac vana proponit; quàm citissimè potes, succide sermonem, & transfer te ad ea, quæ Dei sunt: Nam qui de terrâ est, non mirum, si de terrâ loquatur. Sed si quis profitetur se esse cœlestem; loqui debet de Cælo, & circumcidere verba terrena. Atq; hinc proderit, imò in Tyronibus necessarium erit, ut antecedenter per lectionem pii alicujus libri se præparent ad spirituale colloquium, quæ quidem præparatio commodè ab ipsis fieri potest vel immediatè ante mensam; vel sub ipsa lectione mensali, captando occasionem ex materiâ obviâ conditioni & capacitati eorum accomodatâ; sic enim adimplebunt illud Regulæ S. Augustini: *Quod vobis secundum consuetudinem legitur, fiat tumultu & contentionibus audite; nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.* Ipsumq; suum Legislatorem imitabuntur, qui etiam in solenni die natalis sui, quo aliquin solemus erga nos liberaliores esse in cibo & potu sumendo, peracto prandio cum suis ad disputandum sedit; ut ipse testatur *lib. de beatâ vitâ.* Quod si unus aliquis quæstionem proposuerit, & quibus potuit argumentis prosecutus fuerit; cæterorum erit, ex suæ quoq; penu memoriæ depromere, quæ circa materiam propositam aliquando vel ipsi legerunt in Bibliis, Conciliis, Patribus, Historicis aut Asceticis Scriptoribus; vel ab aliis fide dignis viris audierunt. Varietas enim colloquentium reddit conversationem valdè jucundam, & salutarem etiam auditoribus; undè

de singulis permittenda est libera facultas & spatium proferendi, quod ad materiæ prosecutionem servit: nec alicujus sermo interpolari aut abrumpi debet; nisi talis esset, qui spiritualem discursum impediret.

§. 23.

De medio duodecimo ad operandum ex charitate Dei, quod est meditatio seu oratio mentalis.

243. QUàm necessaria nobis in hac vitâ constitutis sit meditatio rerum Divinarú ad illuminationem intellectus, & ad motionem voluntatis nostræ erga Deum, quamq; utilitatem & fructum nobis ea præstet, satis declarat Regius Propheta *Psalm* 1. dicens: *In lege ejus meditabitur die ac nocte; & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo &c.* Item *Psalm.* 38. *In meditatione suâ exardescet ignis, non alius nisi divini amoris.* Et *Ps.* 118. *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea.* Meditatio, teste B. Laurentio Justiniano *de Cast. con. c.* 22. *Cor, amovet ab exterioribus, & ad se rèdire compellit. Hæc est disciplina mentis, spiritualis pædagogus, orationis funiculus, incipientium eruditio, & intentionis mentis provida gubernatrix, disponit ad contemplationem, animæ munditiam operatur, ministrat devotionem, in corde spiri-*

tualem lætitiam ebullire facit, atq; sapientiæ parat domicilium. Ex ipsius assiduitate stabilitur mens, cogitationes purgantur, solitudo sapit, delectat Deus, ingenium acuitur, castificatur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur, & animus ad alta suspenditur. Meditatio seu consideratio juxta S. Bernardum *lib. 1. de considerat. c. 7. Mentem, de quâ oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat; ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens.* Sine meditatione lectio spiritualium communiter ita utilis est & sine fructu efficitur, saltem in ordine ad motionem voluntatis; nam *lectio apponit ori cibum solidum; meditatio autem frangit & aperit;* ut ait idem Bernardus *serm. 68. in Cantic.* Quia *sedula meditatio non remanet extra, non hæret in superficie,* ut lectio; *sed ulterius pedem figit, interiora penetrat, singula rimatur, & masticando ac rimando succum elicit, & transglutiendo usq; ad cordis intima transmittit, juxta eundem Doctorem in Scal. Claust. c. 3.* Undè cùm Deus populo dedisset præceptum de dilectione *Deut. 6.* statim subjunxit: *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & meditaberis in eis sedens in domo tuâ, & ambulans in itinere, dormiens, atq; consurgens.* Et Paulus *1. Timoth. 4.* Postquam præmisisset: *Attende lectioni &c.* subdit. *Hæc meditare, in his esto. Omnis siquidem fructus ex lectione & meditatione pròcedit,* teste S. Isidoro

lib

lib. 3. de summo Bono c. 8. *Quæ enim nescimus, lectione discimus, meditationibus conservamus, & ad eorum executionem permovemur.* Accedit, quod devotio & fervor mentis, quomodocunque intensus, paulatim intepescat etiam in magnis Dei servis, nisi identidem reaccendatur & conservetur per frequentem meditationem, *Tepescimus processu temporis à fervore conversationis nostræ;* Inquit S. Bernardus *serm. 3. de Annunt. Paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consummemur carne, qui spiritu cæperamus, timorem Domini relinquimus; verbosi, curiosi, faceti, etiam detractores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine notâ id licet.* Undè necesse habemus quotidianæ meditationis flabro ignem dovotionis deficientem resuscitare ac quasi de novo reanimare; resuscitatum autem constanter in suo fervore conservare. Imò juxta S. Chrysostomum *lib. de orando Deum.* Sancta oratio non tam vocalis quàm mentalis seu meditatio tam necessaria est animæ ad vitam spiritalem conservandam, quàm necessaria est ipsa anima ad naturalem vitam corpori subministrandam & conservandam; prout fusè deducit Bartholomæus Riccius *Instruct. de modo rectè meditandi. Part. 1. c. 1.* Et frequens nos experientia docet, quod pleræq; functiones nostræ spirituales & exercitia per decursum dici langueant, ac suâ quasi animâ seu vitâ destituantur, quotiescunq; meditatio Matutina fuit

aut planè intermissa, aut oscitanter & perfunctoriè peracta.

244. Porrò definitur, aut potius describitur meditatio à Richardo de S. Victore *lib. 1. de contemplat. c. 4. Meditatio est studiosa intentio mentis circa aliquid investigandum diligenter insistens.* Vel, ut ibidem ait: *Meditatio est providus animi obtutus, in veritatis inquisitione vehementer occupatus.* S. Bernardus *in libro de Scala Claustrali* ait. *Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam propriæ rationis ductu investigans.* Clarius eam definies dicendo, quod *sit attenta rerum divinarum consideratio, ad excitandos affectus pios erga Deum, & concipienda proposita vitæ spiritualis accommodata.* Dicitur primò, quod meditatio sit *consideratio*; ut per hoc exprimatur & significetur officium seu munus nostri *intellectus* sub meditationis decursu; quod officium triplex est: Nam primò debet intellectus elicere actum Fidei supernaturalem circa materiam à memoria propositam; qui actus Fidei sit Basis & fundamentum deinceps omnium actuum supernaturalium ex parte voluntatis eliciendorum. Atq; hinc materia meditationis consistere debet in veritatibus à Deo revelatis; ut possit circa illas assensus Fidei supernaturalis elici. Secundò pertinet ad *intellectum*, ut non solùm per simplicem actum Fidei percipiat rei & materiæ propositæ substantiam; sed etiam penetret & expendat omnes eas circumstantias, quæ idoneæ sunt ad voluntatem commovendam &

ad

ad efficaces animi affectus gignendos. Quod enim subindè parum aut nihil moveamur ex meditatione de Sanctissimis etiam Fidei nostræ mysteriis, ratio communiter est, quia obiter tantùm illa apprehendimus, nec enim circumstantialiter satis expendimus, fitq; non rarò, ut propter hunc defectum omne tempus meditationis frustra & sine omni pio animi motu transigamus, & ad alia impertinentia objecta abripiamur. Dixi autem; expendendas esse *eas circumstantias, quæ sunt idoneæ ad commovendam voluntatem.* Nam ab aliis circumstantiis, quarum consideratio parum aut nihil facit ad motus & affectus pios voluntatis excitandos, abstrahendus est intellectus & omni modo avertendus; cujusmodi sunt v. g. Si quis in mysterio Dominicæ passionis expenderet, cujus speciei fuerit arbor illa, ex quâ crux fuit fabricata; aut quot cubitis longa, vel quot palmis lata fuerit. Item si in meditatione de Morte Christi incideret in eam speculationem, num in Corpore Christi extiterit forma cadaverica, an verò habuerit formas partiales? Tertiò debet intellectus ex Actibus Fidei præmissis deducere conclusiones & illationes practicas, quibus determinet & statuat, quid deinceps faciendum vel omittendum, amandum & desiderandum, vel timendum & fugiendum sit; item quibus viis & mediis utendum ad virtutis propositæ consecutionem, aut ad vitii extirpationem &c. In his enim conclusionibus ex lumine Fidei deductis consistit vera scientia, Sapi-

entia & prudentia Sanctorum. Dicitur Secundò in definitione: *Ad excitandos affectus pios erga Deum accommodata*; ut ostendatur munus & officium voluntatis in meditatione; quod potissimum duplex est: Nam primò debet voluntas ex veritatibus Fidei per intellectum propositis & deductis elicere bonos affectus, & diversarum virtutum actus, qui ferè duobus hisce versibus comprehenduntur:

Crede Deo, spera, time, ama, mirator, & esto
Gratus, gaudeto, geme, luge, imitator honestum.

Alterum *voluntatis* officium est, ut concipiat & efformet proposita, conclusionibus practicis per intellectum ex Fide deductis consentanea; statuendo scilicet & proponendo, qualiter per decursum præsentis diei velimus hoc illudvè in nobis prædominans vitium, imperfectionem, aut defectum evitare; in tali vel tali occasione nos irreprehensibilis exhibere, hunc illumvè charitatis Fraternæ aut Humilitatis actum exercere &c. Quæ quidem proposita ut sint efficacia, & suum effectum consequantur, tres potissimùm conditiones habere debent. *Prima* est, ut sint particularizata & circumstantiata, puta, de tali virtute particulari in tali certâ occasione, & loco exercendâ per talem certum & specialem actum circa hanc illamvè personam &c. Experientiâ enim con-

stat,

stat, quod resolutiones solùm generales parùm sint utiles, & animum non satis præmuniant vel obfirment contra difficultates posteà in particulari exercitio occurentes. *Secunda* conditio est, ut propositis adjungantur media congrua & practica per intellectū tunc excogitata, aut ex penu memoriæ deprompta; per quæ infirmitas naturæ nostræ juvetur & sublevetur in exercitio virtutis propositæ: videmus enim, quod passim Doctores Ascetici, dum virtutis alicujus naturam, utilitatem & necessitatem explicant, media quoquè convenientia subjungant ad faciliorem ejus praxin & exercitium; eò quod persuasum habeant, nos difficillimè aut nullatenus ad illius virtutis perfectionem posse ascendere sinè adjumento talium mediorum; quod idem de extirpatione vitiorum, edomatione passionum, dicendum est. *Tertia* conditio est, ut voluntatis propositæ sint etiam valdè ardentia, intensa, fortia, & talia, quæ occurrentibus difficultatibus non cedant, nec ingruentibus tentationum ventis tam facilè dissipari & exsufflari possint. Cujusmodi fuerunt illa proposita Davidis Regis *Psalm* 118. *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Præterea etiam memoriæ seu potentiæ rememorativæ cooperatio in meditatione requiritur; *primò* quidem, ut non solùm omnia meditationis puncta pridiè ante somnum disposita, & ipsi commissa fideliter ac ordinatè intellectui repræsentet; verùm etiam quæ à nobis aliquando ex piorum librorum lectione, concionibus

aut colloquiis ſpiritualibus hauſta ſunt, & ad præſentem materiam faciunt, denuò promat; & intellectui ſuggerat. *Secundò* ut pia propoſita in meditationis decurſu concepta firmiter retineat, vivaciter conſervet, & opportuno tempore reexhibeat. In quem finem S. Franciſcus Saleſius *part. 2. philoth. c. 7.* Suadet, ut præcipuos affectus & propoſita circa meditationis finem contrahamus in nervoſam & brevem aliquam ſententiam ex S. Scriptura, SS. Patribus, vel alio ſpirituali libro petitam; ad conſulendum videlicet infirmitati memoriæ; quæ multitudine & varietate retinendorum facilè obruitur. Quam ſententiam idem author nominat *faſciculum devotionis*; alii verò *teſſeram* vocant.

245. Ut verò intellectus, voluntas & memoria poſſint convenienter & fructuoſè munia ſua in meditatione exercere, neceſſaria eſt antecedenter duplex ad eam *præparatio* ſivè *diſpoſitio.* Prima dicitur *remota;* & conſiſtit in tribus: Nam imprimis debet pridie ante ſomnum deſignari certa aliqua materia, & quidem ſolida, indubitata, & ex Fidei Catholicæ articulis deprompta, juxta interpretationem & ſenſum Eccleſiæ, aut juxta unanimem SS. Patrùm explicationem. Qui enim apocrypha & incerta Fidei dogmata, aut conceptus ex proprio vel alieno cerebro confictos, vel malè fundatas in humani ingenii ſubtilitate interpretationes S. Scripturæ ſibi pro materia meditationis aſſumunt; tales plerumq; jejunâ & vacuâ mente

te

te recedunt. Undè *Psalm.* 118. ait Propheta Regius: *Lex tua meditatio mea est.* Et Ecclesiasticus c. 16. monet: *cogitatum tuum habe in præceptis Dei; & in mandatis illius* meditandis *assiduus esto.* Neq; melior & utilior præscribi potest pro materiâ meditationis quàm codex Evangeliorum respectu proficientium, aut perfectorum. Hic enim materiam continet fertilissimam, omnium hominum statui accommodatam, & mysteriorum pluralitate varietate; ita distinctam, ut omnis molestia & tædium caveatur. *Quicunq; esse Dei fidelis servus & prudens desiderat, salvatoris gesta, & præcipuè ipsius passionem ruminare non negligat:* inquit S. Laurentius Justinianus *de disciplin. & perfect. monast. con. c. 8. & c. 18. Nulli famulantium Christo fas est, has postponere meditationes Redemptoris; ut ex ipsarum consideratione intelligant humano generi charitatem exhibitam, pati concupiscant, compati discant, amare studeant, & Deo gratias agere nunquam desinant. In his utiq; meditationibus assiduè ardenterq; incumbendum est, & singula diligenter pertractanda sunt; nisi fortè ex supervenienti novo gratiæ lumine, aut ex abundantiori charitatis affectu, cor ad alia meditanda raperetur.* Amplissimam verò meditandi materiam submini strat ipsa Dominicæ passionis Historia; sicut idem B. Laurentius Justinianus *de Cast. con. c. 23.* testatur dicens: *Nulla salubrior ad mentis construendum tabernaculum cogitatio reperitur, quàm Passionis Christi: per ipsam quippè humanæ salutis re-*

stau-

stauratio, & ineffabilis Dei ad homines agnoscitur summa dilectio. Nemo aliundè divinæ charitatis æternum fontem degustat melius, quàm in hujusmodi attentâ sedulaq; meditatione. In ipsa devotus inquisitor ingressus meditando, distinctè seriatimq; consideret diligenter, quis, qualis, ubi, qualiter patiatur, *& quare patiatur: ista nempè sunt, per quæ meditantis animus inflammatur ad amorem, ad imitationem provocatur. Et infrà Passio quia flagrantissimâ fuit exhibita charitate, vehementem in meditantis corde accendit affectum, atq; locupletem reddit fructum amoris & sapientiæ, compassionis & devotionis; Amorem quidem & sapientiam spiritualibus & perfectis; incipientibus verò & inexpertis compassionem ingerit & devotionem.*

Secundò debet materia designata dividi in duo vel tria puncta, ad confusionem evitandam; ita quidem, ut in primo puncto communiter ponatur definitio vel descriptio, & potiores actus; si de virtute aut vitio instituenda sit meditatio. In secundo autem collocentur motiva, seu rationes & causæ, ob quas virtus talis exerceri, aut vitium extirpari debeat; servatâ eâ motivorum subordinatione, ut primum locum teneat honestas, secundum utilitas, & tertium necessitas: quæ enim majorem habent vim ad permovendum, ea ordinariè postremò sunt pertractanda. In tertio puncto afferantur media practica & congrua ad virtutem acquirendam, vel ad vitium eradicandum. Quod si de aliquo Fidei mysterio instituenda sit medi-

meditatio, v.g. de Nativitate, prædicatione, morte Christi &c. partitio materiæ sivè historiæ sacræ talis fieri debet, ut quodlibet punctum sit aptum ad conclusiones practicas deducendas, & pios voluntatis affectus eliciendos.

Tertiò debet in electione & determinatione materiæ semper spectari & intendi *finis* aliquis certus, ipsi meditanti necessarius, vel utilis ad profectum spiritualem; cujusmodi est v.g. extirpatio alicujus vitii, acquisitio vel exercitium alicujus virtutis, passionis certæ edomatio, perfecta operum ordinariorum executio, debita & exacta functionis vel officii injuncti administratio, voluntatis ad Deum amandum incitatio & inflammatio &c. Nisi enim certus semper finis & scopus intendatur, & ad eum obtinendum meditationis materia, hujusq; dispositio ut medium proportionatum eligatur, plerumq; tempus frustrà consumimus; sicut & illi, qui librum quendam meditationes continentem percurrunt hac ratione, ut quotidie eam exindè materiam arripiant, quæ ordine sequitur; nihil solliciti, an hæc statui & conditioni, vel indigentiæ & necessitati eorum spirituali conveniat.

Altera præparatio ad meditationem dicitur *propinqua*; & consistit in duobus: Primum est *Oratio* seu gratiæ & auxilii divini petitio ad benè meditandum, & ad finem meditationi præfixum certiùs obtinendum. Quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est,*

des-

descendens à Patre luminum. *Jacob.* 1. Et teste S Paulo 2. *Corinth.* 3. *Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Undè necesse habemus ad Deum recurrere per orationem, dicendo v.g. Hymnum Ecclesiasticum: *Veni Sancte Spiritus & emitte coelitus lucis tuæ radium.* &c. Aut versiculum illum, quem Ecclesia omnibus Horis Canonicis præmittit; *Deus in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Aut ejusdem Ecclesiæ Orationem: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, adjuvando prosequere.* &c. Alterum sunt præludia, quæ præmittuntur tanquam introductio ad devotam Meditationem; ut omnis sensuum & phantasiæ evagatio, mentisq; distractio præcaveatur. Consistunt autem hæc præludia partim in *recogitatione præsentiæ Dei*, quâ sine ullâ capitis & imaginationis defatigatione credimus actu simplici Fidei, quod Deus intimè nobis sit præsens, & cunctas nostras cogitationes clarissimè inspiciat: partim in vivaci *repræsentatione objecti*, & circumstantiarum illius, de quo Instituenda est meditatio; puta, cùm quis de morte meditaturus, imaginatur & repræsentat sibi infirmum aliquem, in lectulo mortuali jacentem, à Medico derelictum: quem nec amici circumstantes juvare possunt, atq; ideò angustiatum, huc illucque se vertentem, propter peccata sua præterita pusillanimem &c. Aut cùm quis de inferno meditaturus, imaginatur sibi locum capacissimum, igne,

ne, fumo & fœtore undiq; repletum; in quo varia sunt receptacula, & hæc diversis tormentorum generibus referta, & quæ quidem imaginatio seu repræsentatio tunc erit efficacior, si in Sacris Litteris, aut in experientiis fundata fuerit.

245. Verùm præmissâ etiam utrâquæ præparatione, experimur nihilominus frequenter, quod meditatio non succedat, & non habeat eum effectum, quem intenderamus; idque propter triplicis generis impedimenta; quorum aliqua occurrunt ex parte *intellectus tantum*, alia ex parte voluntatis tantùm, alia verò ex parte *intellectus & voluntatis simul*.

Et quidem ex parte *intellectus tantùm* duplex se offert impedimentum. Primum & frequentissimum est *distractio animi*, quæ tunc contingit, quando illo tempore, quo cœpimus cogitare de unâ re, mox cogitationem deflectimus ad aliam, & sic priorem vel deserimus, vel saltem imperfectè tantum continuamus; vel certè quando mente cogitamus de unâ, & sensu volumus simul attendere ad aliam, etiam bonam & honestam, sed alienam ab eo negotio, quod tunc tractandum est. Quomodo S. Bernardus *serm.* 47. *in Cantica* numerat inter distractiones non solùm *cogitationes vanas*, sed etiam illas, quæ inter psallendum occurrunt ex lectione librorum in cellâ, aut ex concione auditâ. Ejus verba sunt: *Purè divinis laudibus interesse debetis; ita ut nihil, dum psallitis, aliud cogitetis. Sed nè illa quidem profectò recipere*

tunc

tunc consulerim, quæ paulò ante in claustro sedentes in codicibus legeratis; qualia & nunc me vivâ voce differente, ex hoc auditorio Spiritus Sancti recentia reportatis. Salubria sunt; sed minimè illa inter psallendum salubriter revolvitis: Spiritus enim Sanctus illâ horâ gratum non recipit, quidquid aliud, quàm debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris. Sunt autem variæ distractionum causæ in oratione tam mentali, quàm vocali, contra quas pugnare, & illas superare debet, qui totâ mentis recollectione vult orationi vacare. *Prima* est *sensuum externorum evagatio & licentia;* de quâ *in Threnis* c.3. dicitur: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Contra quam præsentissimum remedium est, si meditatio peragatur in loco solitario, & ab hominum strepitu longius remoto, sacro. v.g. in Ecclesia, vel cella, tempore matutino, & summo mane; oculis vel clausis, vel in piam imaginem, quæ mysterium & objectum meditationis repræsentat, defixis. Altera causa distractionum est *phantasia nostra;* quando illi se offerunt species rerum sensu externo antecedenter perceptarum: aut quando ipsa fingit res prodigiosas nunquam visas vel auditas, variasque rerum species contingit; aut quando propter similitudinem externorum accidentium v.g. cœlorum, locorum, temporum, &c. quæ in pluribus objectis reperiuntur, delabitur ex unâ re in aliam iisdem accidentibus affectam; puta si quis meditaretur de Christo flagellato, purpura induto; & ratione Coloris

rubei

rubei Phantasia delaberetur ad repræsentandum Cardinalem purpurâ amictum: & à Cardinale transiret ad sacellum Papæ, in quo plures purpuratos Patres aliquando conspexit. ac deindè ulterius deveniret ad repræsentationem honoris, inclinationis & reverentiæ, quam iidem Cardinales in sacello Papæ exhibent. &c. His autem Phantasiæ incommodis & malis facilè mederi possumus primò, si externos sensus nostros cohibeamus non solùm à noxiis, sed etiam à curiosis, vanis, & impertinentibus objectis; atq; horum speciebus omnem aditum ad phantasiam intercludamus. Secundò si tempore illo, quod mediat inter somnum & meditationem, nullas cogitationes de rebus & negotiis prophanis foveamus, sed vel sanctæ orationi incumbamus, vel ex materiâ futuræ & instantis meditationis aliquid ruminemus. *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus*; ait. B. Abbas Isaac apud Cassianum *Collat. 9. c. 2. ex præcedente enim statu mens atq; animus in supplicatione formantur.* Undè SS. Patres apud eundem Cassianum *Collat. 1. c. 18.* Cor humanum comparant lapidi molari; qui nunquam quidem quiescit, sed semper molit, verùm in molitoris arbitrio est efficere, ut is vel triticum, vel hordeum, vel avenam molat: quodcunq; enim molitor ei antecedenter injecerit, illud molet. Simili modo animus humanus quidem semper aliquid cogitare & agitare debet; at in nostrâ est potestate & arbitrio efficere, ut vel bonum

vel malum, vel sacrum aut prophanum aliquid versęt: quodcunq; enim ei antecedenter ingessimus, illud agitabit & volvet. Tertia radix & causa distractionum est *passionum nostrarum immortificatio*. Quamvis enim hæ suam sedem habeant non in capite, sed subtus in corde; attamen quia summam habent cum phantasia conjunctionem; hinc earum vehementia graves in capite parit distractiones. Tam arcta enim necessitudo intercedit inter appetitum sensitivum & potentias cognoscitivas tam externas quàm internas, ut vix commota sit aliqua passio, quin illicò aliis sentiatur potentiis, quæ operam suam quoq; mox præstant; uti videre est in eo, qui irâ accenditur ob injuriam illatam; statim enim & mirâ agilitate phantasia repræsentat gravitatem injuriæ, facilitatem vindicandi &c. Sicut in Organo, cum Organædus tangit dentes ejus inferius & in parte infimâ positos, mox resonant fistulæ etiam sublimes & in supremâ parte constitutæ, propter communicationem, quam habent cum venti receptaculo in medio Organi collocato. Qualiter autem & quibus mediis hi appetitus sensitivi motus & passiones edomari possint, ac debeant, vide supra. Quarta causa sed extrinseca distractionum est diabolus, qui supradictis tribus causis intrinsecis egregiè utitur, procurando scilicet, ut objecta ad distrahendum idonea in sensus incurrant; aut agendo in phantasiam, & commovendo eas rerum species, quibus unumquemq; novit magis distrahi; aut excitando

tando appetitum sensitivum ad motus distrahentes, perturbantes & evertentes tranquillum animæ statum, qui ad devotam & fructuosam meditationem est necessarius. Contra quas diaboli machinas plurimùm valet devota oratio, sicut advertit S. Basilius *in constitut. Monast. c.* 18. dicens: *Si quando ex insidiis animam circumvenire diabolus tentet, & quas commentus ex sè est, cogitationes magno cum impetu veluti ignita quædam tela in pacatum ac quietum animi statum intorquere contendat, illumq; inopino assultu conetur incendere, & eorum, quas semel intorserit, diuturnas & ad extricandum difficiles memorias efficere, sanè hic majore quâdam vigilantiâ contentioreq; animadversione hujusmodi declinandæ insidiæ sunt, & belli omnis evasio & telorum declinatio orationi ac divinæ opis imploration committenda. Si verò per adversarii impudentiam, flagitiosarum istiusmodi cogitationum vis vehementior etiam insurgat; ne sic quidem est succumbendum, aut dejiciendus animus; neq; susceptа certamina ex dimidiâ parte confecta relinquenda; sed eò usq; obfirmatè perdurandum, quoad Deus perspectâ nostrâ constantiâ, gratiâ Spiritus Sancti affulgeat, nosq; illustret, quæ & insidiatorem in fugam propellat, & mentem nobis puram efficiat, & divino lumine compleat, & rationi nostræ in pacatissimâ tranquillitate constitutæ otium ad Deum colendum suppeditet.* Imò nè Dæmon accessum habeat ad distractiones in nobis excitandas, in principio Meditationis specialiter id à Deo petendum

tendum est; Sicut ob eandem causam teste S. Thomâ & aliis sancta mater Ecclesia præcepit, ut Divino officio semper præmitteretur versiculus Psalmi 69. *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.* Deniq; pro universali remedio contra quascunq; distractiones undecunq; tandem provenientes adfert Joannes Climacus *grad.* 4. & 18. cogitationem seu recordationem & vivacem imaginationem præsentiæ Dei. *Is enim, qui, cùm orat, se Deo assistere intimo cordis sensu existimat & ponderat, ut columna perstabit immobilis.* Unde S. Basilius *in Regul. brev. interrogat.* 21. postquam quæsiviſſet, cur animus in oratione evagetur, respondet, quod *inanis, quæ solet esse mentis agitatio, nascatur ex inertia ipsius, quandocunq; scilicet in rebus necessariis minimè se occupat. Iners autem ex eo efficitur mens, quando Deum adesse non credit, qui scrutatur corda & renes. Si enim hoc crederet, prorus illud faceret, quod dictum est: providebam Dominum in conspectu meo semper &c.* S. Chrysostomus etiam in illud *Psalmi* 4. *Miserere mei &c. tomo* 5. suadet; ut ante orationem nobis imaginemur, ingredi nos aulam illam cœlestem, in quâ Rex Regum stellato sedet solio, plurimis tùm Angelorũ tum aliorum Sanctorum choris stipatus; abnoſq; omnibus illis inspici & considerari, juxta illud Apostoli 1. *Corinth.* 4 *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Alterum impedimentum in meditatione tenens se ex parte *intellectus tantùm* est *sterilitas*; quæ nihil est

aliud,

aliud, quàm defectus ratiocinationum & discursuum accommodatorum; acciditq; communiter in Novitiis & Tyronibus, qui exiguam adhuc habent rerum spiritualium notitiam. Tollitur verò per frequentem piorum librorum lectionem; uti & per ordinatam materiæ seu punctorum meditationis divisionem & dispositionem; maximè si per aliquod tempus inter meditandum adhibeantur libri tales, qui in deducendâ materiâ sunt fusiores, pluraq; ex S. Scripturis, & Patribus &c. adducunt argumenta; quomodò fieri videmus in meditationibus Patris Jacobi Massenii, & aliis.

246. Ex parte *voluntatis tantùm* impedit sæpè progressu & fructum meditationis nimia *aridtas* in affectibus eliciendis, & propositis concipiendis; quæ ariditas vocatur ab Ascetis scriptoribus *desolatio*; soletq; contingere aliquando in solo *appetitu sensitivo*; cùm scilicet voluntas fertur quidem promptè in Deum per amorem vel alios virtutum actus & affectus; ipse tamen appetitus sensitivus indè nullatenus afficitur, sed veluti stupidus et insensatus persistit; ita ut tunc homo verè possit cum Psalmista dicere: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Psalm.* 142. Quamvis autem hæc spiritualis ariditas non sit in se peccatum; nihilominus quia periculum est, nè & ipsa voluntas à suo officio cesset; si desolatio diutius in appetitu sensitivo persistat, hinc petenda est à Deo consolatio spiritualis opposita, dicendo cum Regio Propheta *Psalm.* 85. *Lætetur cor meum,*

ut timeat nomen tuum. Lætifica animam ser-
tui &c. Ita tamen, ut simul permaneamus re-
signati in providentiam & voluntatem Dei, *di-*
camusq; hoc in tempore: Pater mi, si possibile est,
transfer calicem hunc à me. Sed simul magni-
cum generositate & resignatione addamus: ve-
rùntamen non mea, sed tua voluntas fiat; & quo
possumus maximâ animi quiete, in hac nos deti-
neamus; inquit S. Franciscus Salesius *part. 4.*
Philoth. c. 14. Plurimùm autem roborabitur
hæc nostra ad Deum petitio, si profundè simul
nos coram Divinâ Majestate humiliemus, ag-
noscendo nostram indignitatem ad percipien-
das consolationes Divinas, & exprobrando no-
bis ipsis peccata, negligentiasq;, quibus talium
cœlestium favorum subtractionem promeriti
sumus; ac propterea nos cum Chananæâ re-
putemus longè indignissimos, qui de mensâ Dei
pascamur delitiis & cupediis filiorum, roge-
musque promicis de mensâ cadentibus. Quod
si nihilominus desolatio & ariditas adhuc per-
maneat; ita ut cœleste illud devotionis donum
in nobis necdum post preces & humiliationem
sentiamus; tunc solari nos possumus illâ S. Ber-
nardi *serm. 3. de Circumcis. Dom.* sententiâ: *Mul-*
ti totâ vitâ ad hoc tendunt, & nunquam tamen
pertendunt. Quibus tamen, si piè & perseveran-
ter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, reddi-
tur, quod in hac vitâ est dispensatoriè negatum. Ali-
quando etiam contingit desolatio in voluntate
quando scilicet appetitus sensitivus tristitiam
suam derivat in voluntatem, eamq; frangit &
de-

debilitat in tantum, ut actus virtutum & pios affectus vel planè omittat; vel non nisi ægerrimè ad illos eliciendos assurgat, & vix non todeat benè agere, vel pium aliquid cogitare. Quod ariditatis malum si oriatur ex parvâ & exiguâ virtutis aut perfectionis æstimatione, tolli ac removeri debet per condignam rerum spiritualium ponderationem ex sacrâ lectione vel consideratione resuscitatam. Si verò proveniat ex peccatis venialibus deliberatè admissis, utpotè per quæ gratia Dei uberior & consolatio subtrahitur, & animi vis ac robur enervatur; tunc præsentissimum remedium erit Sacramentum Pœnitentiæ, quo divinæ consolationis obstaculum tollitur, fiducia animi & confidentia recuperatur, & fervor devotionis reaccenditur.

247. Impedimenta ex parte *intellectus & voluntatis simul dicuntur illusiones & deceptiones diabolicæ*; quæ nihil aliud sunt, quàm ratiocinationes falsæ in intellectu, & impulsus erronei in voluntate, quos diabolus transfigurans se in Angelum lucis obtrudit pro veris & divinis, nosque à solida virtute, Dei dilectione, bono proposito, & subindè à propriâ vocatione laborat, abducere, sub prætextu & specie necessitatis, majoris utilitatis, aut pietatis. Quæ deceptiones quamvis variæ & innumerabiles sint; possunt tamen ad duo genera revocari. *Primum* continet eas, quæ manifestæ sunt & apertæ, possuntq; facilè à nobis deprehendi, si mentis oculos aperire velimus; cujusmodi sunt, cum diabolus in no-

bis excitat affectum ad res caducas, ut quæramus v.g. commoditatem in victu, vestitu, strato, cubiculo &c. aut cùm in nobis suscitat timorem vanum ædversæ valetudinis, ignominiæ vel confusionis sustinendæ; aut inducit oblivionem novissimorum, fastidium rerum spiritualium &c.

Alterum genus continet eas diaboli fraudes & deceptiones, quæ ita occultæ, abstrusæ & tectæ sunt, ut non nisi à valdè provido, sagaci & circumspecto animo detegi & deprehendi possint Cujusmodi sunt v. g. Quod malignus spiritus hominem ex minimis perducat ad majora, & suadendo contemnere levia, pertrahat paulatim ac quasi inadvertenter ad gravia; quod animum incauti fatagat vehementiori aut diuturniori rerum spiritualium tractatione defatigare, ac per hoc tædium seu fastidium illarum causare; quod sub boni & virtutis specie pertinaciam propriæ voluntatis & judicii foveat & corroboret &c. Ad quas diaboli illusiones & insidias detegendas, & à Divinis inspirationibus discernendas, tres Regulæ à S. Francisco Salesio afferuntur *lib. 6. de Amore Dei, c.* 11. 12. & 13. *Prima* est, quod inspiratio illa debeat esse nobis suspecta, quæ nos inducit ad relinquendum verum bonum, quod præsens tenemus; & ad prosequendum posthac melius, quod nondum tenemus. Solet enim Dæmon illis, quos videt expedito ad suam & aliorum salutem itinere progredi, suadere & suggerere ut aliam viam ingrediantur, sub prætextu majoris perfectionis, & relicto statu suæ Religionis

nis minus austero se conferant ad strictiorem, magisque austerum; sicut advertit S. Bernardus *epist.* 32. dicens: *Fratrem Hugonem de Lausanna ore tuo, & nostro spiritu commonemus, non omni spiritui credere; nè tam citò moveatur, certa pro incertis deserere, sciens, diabolum soli semper perseverantiæ insidiari, quam solam virtutum novit coronari; tutiusq; esse in eâ vocatione, quâ vocatus est, simpliciter, perseverare, quàm sub specie melioris boni id quidem, quod jam cœpit, amittere, nec ad id, quod præsumit, fortassis sufficere.* Et S. Chrysostomus *homil.* 6. *in Joann. Tale Diaboli ingenium est, tales insidiæ, ut eos, qui nobis constituti sunt fines, transire persuadeat, ac si ad longè meliores essemus perventuri. Cùm verò hac nos spe allexerit, divinaq; gratiâ privaverit; tunc non solùm nihil amplius præstantiusq; largitur; Sed nec in pristinam conditionem, ubi tutè & securè commorabamur, reditum permittit.*

Secunda Regula diabolicas illusiones occultas discernendi ab inspirationibus divinis, est hæc, quod Divinæ inspirationes causent & adferant secum pacem, lætitiam, tranquillitatem & suavitatem cordis; spiritus enim Divinus est violentus quidem; sed ejus violentia est suavis, mitis, & pacifica. E contrà Spiritus malignus est turbulentus, asper, seditiosus, & tumultuosus; ejusq; suggestiones adferunt animi terrores, inquietudines, perplexitates, tenebras & obscurationem intellectus, motus inordinatos, ac tumultus voluntatis & appetitus sensitivo

Undè videmus eos, qui diaboli ſuggeſtiones ſequuntur, communiter eſſe homines inquietos, capitoſos, feros, turbulenros, motores turbarum, qui ſub prætextu zeli omnia ſuſq; deq; agunt, omnia vituperant, omnes criminantur; ita ut nemo ab eorum dicacitate ſit exemptus. Quæcunq; ergò cogitatio reddens hominem inquietum in animo, perplexum, dejectum, puſillanimem, turbulentum, ſeditioſum &c. habenda eſt pro ſuggeſtione & illuſione diaboli, quantumvis ſpeciem boni & zeli divini honoris præ ſe ferat. Cujusmodi teſte S. Saleſio *in Philoth. part.* 3. *c.* 37. ſunt immatura illa & vana aliquorum deſideria de rebus, quæ vel eorum poteſtatem excedunt, vel vocationi non conveniunt, vel non niſi poſt longum temporis ſpacium fieri poſſunt; interim autem cor vaniſſimâ occupatione detinent gravatum, illudq; inquietant, torquent, defatigant, & à præſentibus Exercitiis non tam divertunt, quàm avertunt, cum jacturâ pretioſi temporis, & ſpiritualis profectus.

Tertia Regula eſt, quod illi, qui acceperunt inſpirationes divinas, non detrectent obedire hominibus & legitimis ſuis ſuperioribus: econtrà ſuggeſtio diabolica declinet humilem obedientiam; cauſetq; ſuperbiam intellectus & pertinaciam; ita ut pro certo impoſtore & mendace habendus ſit, qui dicit ſibi quippiam inſpiratum à Deo; & tamen recuſat obedire ſuperioribus, eorumq; monita ſequi.

PARS

PARS III.

De secundo gradu ad perfectionem, qui est gradus Proficientium intendentiâ ad perfectionem.

248 COmplectitur hic *gradus* totum illud tempus, & omnes illos annos, qui à finito Novitiatu, & professione solenni facta numerantur usq; ad presbyteratuin, seu Ordinis Sacerdotalis susceptionem; adeoq; in hoc *proficientium* gradu debent versari omnes Religionem professi, qui ad Sacerdotium aspirant. De his enim intelligi potest illud Pauli *Hebræor 6. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Ut ita insigniter fallantur illi, qui putant, post Novitiatum & professionem plus sibi licere; ne ad se amplius pertinere illam disciplinæ Regularis observantiam, & morum modestiam, quæ Novitiis inculcatur. Nam quod Professi ad majorem & strictiorem Regularum ac constitutionum suarum observationem teneantur, quàm Novitii, posteà multis declarabimus. Hic interim prænotandum est, terminum hujus secundi gradus non esse alium in genere loquendo, quàm Famulatum Dei perfectum in vocatione nostrâ. In specie autem & ad particularia descendendo, terminus omnium Religiosorum, qui vitam ex contemplativâ & activâ

activâ mixtam professi, in hoc proficientium gradu constituti sunt, in eo consistit, ut opera vocationis suæ ordinaria, ex vitâ Christi transumpta, & in Regulis vel Statutis præscripta, aut juxta Regulam à Superioribus injuncta, perfecto modo (qui humanæ infirmitati moraliter possibilis est.) obeundi habitum & facilitatem acquisiverint. Dico, *perfecto modo:* nam *incipientium* & Tyronum terminus est, ut facilitatem & habitum obtinuerint, opera sua ordinaria exequendi utcunq; juxta eum modum, qui in Regulis, & constitutionibus præcipitur; antequàm ad secundum gradum admittantur. *Proficientes* autem ulterius tendere, & ad sublimiorem scopum collimare debent, nempè ut discant, atq; etiam assuescant omnia vocationis suæ opera ordinaria, sivè ea Deum immediatè concernant, veluti sunt actus virtutum Charitatis & Religionis, sivè ad proximum juvandum ordinentur, uti sunt actus misericordiæ corporalis & spiritualis, *perfecto modo*, quì in hac vita moraliter possibilis est, obire & exercere, ita ut terminus illorum sit ipsissima perfectio, quæ tali statui præfixa est & constituta: quâ obtentâ sunt in tertio gradu *perfectorum*.

249. Atq; hinc facilè colligitur, quodnam sit munus & officium illorum, qui post Novitiatum & emissam professionem se disponere debent ad presbyteratum aliquando suscipiendum: Cùm enim tales post susceptum Ordinem Sacerdotalem in eo perfectionis statu jam esse debeant, ut statim ad nutum suorum Superiorum

riorum possint applicari sublimibus illis Ecclesiasticis functionibus, quæ ordinantur ad alios purgandos, illuminandos, & perficiendos, adeoq; ipsi jam tunc teneantur esse omni ex parte in suâ vocatione perfecti, ut alios etiam perficere possint: sequitur, quod toto illo tempore intermedio à Professione usque ad Sacerdotium obligentur in hoc incumbere; *Primò* ut proprium suum spiritum quotidiè magis ac magis perficiant; omnia reliqua impedimenta & obstacula tùm externa tùm interna, quæ in operando eos à perfectâ charitate & unione cum Deo retardare quoquo modo possunt, prorsus à se removeant; usum, consuetudinem, habitum & facilitatem in quavis occasione mentem ad Deum elevandi acquirant; & per diversos ac intensos charitatis actus ipsi se conjungere, unire, & adhærere perfectiori modo addiscant.

Secundò ut intereà se etiam perficiant in ordine ad eas functiones Hierarchicas & munia, quibus in statu & officio Sacerdotali proximum juvare, & ejus salutem promovere juxta vocationem suam possint; adeoq; doctrinam & scientiam tam sublimi officio competentem legendo & studendo sibi comparent; prudentiam acqvirant; catechizandi, concionandi; Sacramenta administrandi, moribundos juvandi, peccantes corrigendi, & cum omnibus ædificatoriè conversandi dexteritatem addiscant; respicientes identidem ad exemplum Filii Dei in hoc mundo conversantis; qui, etiamsi statim in primo Incarnationis suæ instan-

ti

ti esset perfectissimus, & omni tùm scientiâ, tum prudentiâ repletus, nihilominus per triginta annos latere voluit, ac interim in jejunio, obedientia, aliarumq; virtutum actibus se exercuit; quin & *discentis* seu *discipuli* speciem præ se tulit, quando duodennem parentes ejus *invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Luc. 2.* ut formam nobis & exemplum daret, qualiter nos ad prædicandum, aliasq; functiones Sacerdotales, quibus proximorum salus æterna promovetur, ritè exercendas, antecedenter disponere, aptare, & perficere debeamus.

Caput I.

De Primo Munere eorum, qui in ordine & gradu proficientium sunt constituti.

§. 1.

De necessitate proficiendi, & tendendi ad Perfectionem.

250. Quod omnis Religiosus, etiamsi Monachus sit, & sibi soli intendat, obligetur tendere ac conari ad perfectionem in suo statu consequendam, docent passim Theologi, & SS. Patres. Imprimis autem D. Thomas 22. *q. 186. a. 2.* cujus hæc sunt verba: *Ipsa perfectio charitatis est Finis statûs Religionis. Et ideò ille, qui*

statum

statum Religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem: sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam. S. Hieronymus *epist. ad Heliodor. Monachum* ait: *Perfectum esse nolle, delinquere est.* Eusebius Emissenus *homil. 4. de Epiphan. suos hortatur. Fratres videte vocationem vestram: venire quidem sic ad Eremum, summa perfectio est: non perfectè autem in Eremo vivere, summa damnatio.* Et Secundùm S. Odonem Cluniacensem *lib. 1. Collat. Illos Gehenna devorat, qui in habitu Religionis negligenter vivunt* Unde idem Eusebius Emissenus *homil. 4. videamus vocationem nostram; non enim satis prodest, quod istum locum expetivimus, si hic tales sumus, quales in sæculo esse potuimus. Non in hoc loco vixisse, sed in hoc loco benè egisse laudandum est. Quid nobis habitationis hujus secretū prodest, quando per diversarum passionum vitia mundum intra nos inclusum tenemus? Quid prodest, si locus quietis tantum corporaliter teneatur, & inquietudo in Corde versetur: Quid prodest, si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus vitiorum tumultus, & colluctatio passionum: Non enim ad istum convenimus locum, ut mundus nobis famularetur, ut rebus omnibus abundante, omni quiete frueremur. Non utiq. ad quietem, non ad securitatem, sed ad pugnam huc convenimus, ad agonem processimus, ad exercenda cum vitiis bella. Peculiarius autem istud ad professionem pretinet nostram, nihil in hâc vitâ consolationis quærere, nihil quietis, nec recipere velle*

bona

bona in vitâ suâ, sed honores fugere, subjectione & objectione gaudere, Paupertatem studiò quærere. Ideoq; Fratres videte vocationem vestram: venire quidem ad eremum summa perfectio est: sed non perfectè in eremo vivere, summa damnatio est.

Causæ hujus obligationis variæ assignantur. Prima est, quod Religiosus in professione suâ voveat, ac Deo sanctè promittat tendere ad perfectionem. Sicut ait S. Petrus Damianus *lib. de perfect. Monachor. Sub professione monasticâ scandere perfectionis excelsa promisimus.* Et S. Bernardus *epist. ad Fratres de Monte Dei: Altissima est professio vestra, non enim solùm vovistis omnem Sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem. Non est vestrûm circa communia præcepta languere; neq; hoc solùm attendere, quid præcipiat Deus, sed quid velit, probantes, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum enim est Deo servire: vestrûm adhærere.* Item S. Hieronymus *epist. ad Heliodorum Monach. Non est tibi eadem causa, quæ cæteris. Tu perfectum te fore pollicitus es. Dominum fefelliſti, si perfectus non es.*

Secunda causa est, quod Religiosus, qui non seriò, strenuè & impigrè laborat fieri perfectus, sit hoc ipso *simulator*, *hypocrita mendax* & *deceptor* in re magni momenti. Nam plerique in Religiosis studium perfectionis præsumunt; & intuitu hujus Pontifices Summi, Imperatores, Reges ac Principes, plurimis ac maximis Religiosos privilegiis, favoribus & gratiis cumulârunt;

runt; eosq; communibus Republicæ oneribus exemerunt. Propter idem in Religiosis præsumptum perfectionis studium multi sæculares amplissimas ipsis tradiderunt possessiones & substantias; ita ut non raro eas Filiis ac Fratribus suis carnalibus subtraxerint, & exindè monasteria fundaverint, liberaliterq; dotaverint. Sicut ergò graviter peccat, qui propter falsum titulum & sub prætextu confecto accipit eleemosynam in notabili quantitate: Ita procul dubio mortaliter peccat, qui Religioso Habitu & professione simulat exterius & mentitur studium perfectionis, atq; sub hoc specioso titulo amplis fruitur privilegiis, favoribus, exemptionibus, Fidelium largitionibus, & eleemosynis; interius autem nihil minus curat, quàm tendentiam ad perfectionem. Undè S. Thomas 2.2. *q.* 184. *a.* 4. *ad* 2. ait: *Non committit aliquis mendacium vel simulationem ex hoc, quod aliquis non est perfectus, qui statum perfectionis assumit; sed ex eo, quod ab intentione perfectionis animum revocat.*

Tertia causa est, quod Religiosus negligens proficere, sivè non efficaciter tendens ad perfectionem, per hoc se exponat periculo incidendi in gravia peccata; cujusmodi sunt votorum substantialium violatio, regularum transgressio & contemptus, ac tandem Apostasia â suâ Religione; quam Deus prædixit *Apocal.* 3. illis verbis: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Et testantur frequentes casus eorum, qui antecedenter à fervore & stu-

dio perfectionis, post verò à Religioso statu & suâ vocatione, ac tandem omninò à Fide & Ecclesia Catholica ad hæreticos defecerunt. Undè Christus *Apoc.* 2. Cuidam tepido & negligenti minatur: *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; unde excideris; & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo.* S. Thomas *coment. in 2. Corinth.* 12. ait: *esse necessarium, quod homo semper tendat ad perfectionem: quia, qui non studet ad proficiendum, est in periculo deficiendi.* Idem cum aliis SS. Patribus & Magistris spiritualibus, Augustino *epist.* 143. *ad Demetriad. virgin.* Gregorio 3. *part. pastoral. admonit.* 35. Theodoreto Abbate *apud Cassianum collat.* 6. *c.* 14. *&c,* docet. S. Bernardus *epist.* 253. his verbis: *Indefessum proficiendi studium & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni, esse perfectum est; profectò nolle proficere, deficere est. Ubi ergo sunt, qui dicere solent: Sufficit nobis; nolumus esse meliores quàm Patres nostri? O Monache! Non vis proficere? Non vis ergò deficere? nequaquam. Quid ergo? sic mihi inquis, vivere volo & manere, in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergò vis, quod esse non potest. &c. Et infrà: Nolle proficere non nisi deficere est; palamq; datur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri.*

Quartam causam adfert Doctissimus vir Thomas

mas Sanchez *lib. 6. c. 4. §. 18. Quia Religiosus tenetur sub mortali taliter vivere, ut non sit graviter Religioni suæ perniciosus, inducendo alios Religiosos pravo suo exemplo ad nimis relaxatam regulam; & præterea perturbando suam Religionem.* Quantum enim Religioni nocumentum inferant illi, qui suâ tepiditate, negligentiâ & malo exemplo introducunt in aliquod Monasterium Disciplinæ Religiosæ relaxationem; patet indè, quod difficillimum sit, & quandoq; moraliter impossibile, laxitatem semel introductam denuò extirpare, & disciplinæ exulantis rigorem ac vigorem restituere; pro ut experti sunt plures Religiosorum Ordinum & Monasteriorum Reformatores, nominatim Gregorius Papa VII. S. Anselmus Lucensis, Altmannus, Norbertus apud Canonicos Regulares Lauduni in Ecclesia D Martini, Carolus Borromæus Archiepiscopus & Cardinalis apud Fratres Humiliatos Mediolani: quos cùm reformare vellet præsentissimum vitæ suæ discrimen subiit, globulo sclopetario petitus. Scilicet *multò facilius reperias multos sæculares converti ad Bonum, quàm unum quempiam de Religiosis. Transire ad melius. Rara avis in terris est Religiosus, qui de gradu, quem fortè in Religione semel attigit, vel parùm ascendat;* ut inquit S. Bernardus *epist. 96.* Væ igitur homini illi, per quem tale scandalum venit in Monasterium, ut suo exemplo alios inducat ad laxitatem, morum dissolutionem, & irreligiositatem; eosq; conturbet, qui in viâ ad perfectionem cœtero-

quin benè currebant! profectò portabit judicium Dei, quicunq; est ille. *Nam qui inter multos vitam agere constituerunt, aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo vel diligentes, vel negligentes sunt. Felix est anima illa, quæ dum benè in congregatione versatur, plurimi ex eâ vel ædificantur, vel illuminantur. Si in congregatione positus obedientiam tenuit, si humilem patientemq; se præbuit, quantos ædificavit, tantos fœneravit; quantum bonum ex se proximis commendavit tantum in sua lucra convertit. Si verò è contrario per inobedientiam vel superbiam alios ad maculam compulit; quantos destruxit, de tantis periculum damnationis incurrit*; ut inquit Eusebius Emissenus *homil. 7. ad Monachos.* Scilicet sicut *Benedicta est illa anima, cujus humilitas alterius confundit superbiam, cujus patientia Proximi extinguit iracundiam, cujus obedientia pigritiam alterius tacitè increpat, cujus fervor inertiam alieni torporis exsuscitat:* ita maledicta est illa anima, cujus torpor aliorum extingvit vel langueſcere facit fervorem, cujus Petulantia corrumpit aliorum modestiam &c.

251. Verùm etiamsi omnes omninò Religiosi obligentur non segniter tendere ad perfectionem; Hæc tamen obligatio magis stringit eos, qui professi sunt statum non purè Monachalem, sed Canonicum & clericalem, sivè talem, qui ex fine suo ordinatur ad salutem animarum promovendam; cujusmodi inter cœteros status est Canonicorum Regularium Norberti-

bertinorum seu Præmonstratensium; de quo *in præfat. Statutorum* dicitur: *Ordo noster gloriæ Dei propagatio est, Zelus animarum est, Sacramentorum divinorum administratio est, Ecclesiæ Dei servitium est. Ordo noster est Evangelium prædicare, Fidei nostræ rudimenta ignaris tradere, Ecclesiam Dei regere, pastorale officium, quando imponitur, exercere. Ordo noster est illas hierarchias, quas ponit D. Dionysius, exercere actiones, purgare, illuminare, atq; perficere, & post propriæ salutis perfectionisq; studium, proximorum saluti & perfectioni opportunè, importunè, privatim & publicè, verbo & opere, domi & foris, omniq;, quâ fieri potest. ratione & viâ, vigilantissimè intendere.* Unde Clemens Papa VIII. in diplomate suo Anno 1603. testatur, Ordinem Præmonstratensem esse â S. Norberto institutum, *ut perpetuum sit in Ecclesia Dei virorum fortium seminarium, qui virtute spiritus atrium fortis impavidè intrent, eum ligent, & gladio spiritus (quod est verbum Dei) ejus vasa, animas scilicet diabolica fraude deceptas, vasa bellantia contra Dominum, vasa vinculis iniquitatis irretita atq; captiva diripiant & ex vasis contumeliæ faciant vasa gloriæ.* Tales igitur Religiosi tenentur vi suæ professionis & ex fine sui instituti magnis passibus contendere ad perfectionem, priusquàm Sacerdotio initientur: postquàm verò Sacerdotes sunt ordinati, debent jam esse in eo statu positi, *ut non amplius perfectioni quærendæ studeant; sed ut tandem jam sint consecuti; & in sanctitate, quam*

alios docere debent, sint perfecti; ut inquit Religiosissimus & doctissimus vir Ludovicus de Ponte *tomo 2. de Christiani hom. perfect. tract. 1. c. 1.*

§. 2.

Quomodo possimus in charitate erga Deum proficere.

25. DIximus suprà ex D. Thoma 22. *q.* 186. *a.* 2. quod *perfectio charitatis* sivè *charitas sit finis statûs Religionis*; quod non intelligendum est de Actu Charitatis intensissimo, qui scilicet talis sit, ut intensior haberi non possit: Nam hoc nimis arduum foret, & anxietatibus scrupulisq; plenum; cùm nullus scire possit, an ille actus, quem elicuit, sit omnium intensissimus, ita ut intensior elici nequeat; adeoq; illi, qui obligantur esse perfecti, velut Episcopi, pastores animarum &c. semper deberent esse dubii & anxii, num suæ obligationi satisfecerint. Quod repugnat Bonitati divinæ, cujus *jugum suave est, & onus leve. Matth.* 11. Neque etiam intelligendum est, quasi illi, qui tenentur esse perfecti, debeant incessanter diu noctuq; & sine intermissione Actibus charitatis eliciendis vacare. Id enim secundùm ordinarium cursum pro statu viatorum impossibile est & solis comprehensoribus proprium. Debet ergo charitas esse perfecta in iis, in quibus requiritur perfectio; non verò perfectissima;

hoc

hoc est, debet esse vehemens, intensa, fortis, & efficax; non autem remissa, tenuis & infirma; qualis est in *incipientibus*. Debet secundo pluribus actibus ferri in Deum, iisq; variis & specie diversis; non verò per unicum solùm Actum *Bonæ intentionis*; quem suprà pro Tyronibus assignavimus. Tertiò debent prædicti Actus frequenter elici, & quidem toties, quoties opportuna se occasio offert; ita ut ex actuali charitate, aut saltem virtualiter permanente semper operemur, si conditio operis incepti non patiatur actualem. Quartò debet Charitas etiam se extendere ad plura objecta, puta ad proximos nostros, ita ut inimicos quoq; diligamus, & illis benefaciamus propter Deum. *Matth.* 5.

253. Atq; hinc facilè colligitur, quomodò in charitate Dei proficere, & quotidiè se perficere debeant, qui ad perfectam charitatem tendere obligantur. Primò enim conari eos oportet, ut paulatim intensiores & fortiores actus eliciant, amorem suum ab omnibus rebus creatis abstrahendo, & totum in Deum transferendo. Sicut enim jaculatoros, dum unum oculum claudunt, hoc ipso visionem in altero oculo magis intendunt, & fortiorem efficiunt; eò quod spiritus animales tunc plures concurrant, & eo oculo, in quo se advertunt otiosos, relicto, adalterum mox confluant, ut ibidem visionem intendant: ita si pars cordis nostri, quæ ferebatur ad res creatas, occludatur; vires illius antèa dissipatæ, mox recolliguntur & coadunantur ad dilectionem Dei intensiorem & fortiorem elicendam. Dixi autem conandum esse,

ut paulatim intentiones Actus charitatis elici ant: quia ut suprà dixi, nemo tenetur conari ad actus intensissimos eliciendos: Sicut nemo tenetur esse perfectissimus: charitas enim *perfecta* reddit hominem *perfectum*: non autem requiritur perfectissima & intensissima. Imò talis conatus foret planè irrationalis & imprudens, multisq; scrupulis, dubiis, & anxietatibus animi expositus; possetq; frequenter causare capitis dolores, destructionem cerebri, aliasq; incommoditates; prout non rarò docet experientia. Undè Cornelius à Lapide *in c. 3. Philipp.* ait *Perfectionem hujus vitæ consistere non in eo, quod quis planè sit perfectus, hoc enim impossibile est.* probatq; ex S. Augustino *lib. de perfect. justit c. 9.*

Secundò quamvis Novitii & *incipientes* officio suo abundè satisfaciant, si opera vocationis suæ ordinaria ritè & ex intentione Deo placendi, sivè ex motivo charitatis erga Deum peragant; id tamen professis nequaquàm sufficere debet; sed hi prætereâ adalios charitatis actus progredi, & in eorum exercitio se quotidiè occupare opus habent, ut paulatim consuetudinem seu Habitum & facilitatem acquirant, animum in quâvis occasione ad Deum elevandi, & per diversos charitatis Actus illi se uniendi. Qui verò sint cœteri charitatis Actus, infrà fusiùs explicabitur.

Tertiò etiamsi multa sint opera Religiosorum, quæ talem requirant mentis applicationem & attentionem, ut illorum exercitio non possimus actualiter simul intendere Deo, & per charita-

ritatem nos illi conjungere; cujusmodi sunt studia literarum, & aliæ occupationes mentis seriæ; quas proindè sufficit per Actum charitatis prævium retulisse ad Deum: Nihilominus in aliis operibus & functionibus, quarum tractatio compatitur actuale charitatis exercitium concomitans, pluries & sæpius, etiam durante eodem opere, animus ad Deum elevandus, & per charitatem illi est uniendus; maximè si diuturnior & protractior mora in conficiendo aliquo negotio requiratur; aut si in functione aliquâ frequentes occurrant occasiones Deum amandi; prout contingit in recitatione vel decantatione Horarum Canonicarum, & Hymni Angelici, Orationis Dominicæ &c. de quibus infra. Imò non sufficit ad perfectionem, sæpiùs tantum se Deo per amorem conjungere, sed requiritur jugis quasi & continua animi & voluntatis unio; uti suo loco dicemus.

Quartò præter eos Actus charitatis, quos Religionem professi erga suos domesticos & confratres quotidiè exercent; & cum Novitiis communes habent, illis ex amore erga Deum ministrando; compatiendo, defectus eorum sivè naturales sivè morales supportando; Regularum observatione, modestiâ morum, & Religiosâ conversatione eos ædificando &c. requiritur præterea, ut ex Zelo gloriæ & Honoris Divini propagandi, & salutis animarum promovendæ, studeant acquirere eam scientiam, prudentiam, aliasq; qualitates, quæ ad hoc Apostolicum imò divinum opus ritè tractandum

sunt necessariæ; ut Sacerdotes facti, inveniantur omnibus ad sublimes illas functiones Ecclesiasticas requisitis instructi, possintq; ad nutum & voluntatem sui Prælati non solùm absq; periculo propriæ & alienæ salutis, verùm etiam cum magno animarum fructu applicari. Verùm de his suo loco.

§. 3.

De primo actu charitatis erga Deum, qui est gaudium de Bonis Dei.

254. AMare aliquem, sivè charitatem & dilectionem habere erga aliquem, nihil est aliud, quàm illi benè velle, cum unione quâdam affectus erga ipsum; adeoq; dilectio & Amor Dei, qui est præcipuus & primarius actus charitatis, definiri potest, quod sit *actus voluntatis, quo quis Deo bonum vult, cum quâdam unione affectus erga ipsum.* Duo enim requirit verus Amor, Primùm est *volitio Boni*; quæ dicitur *Benevolentia*; & cùm in opus externum prodit, vocatur *Beneficentia.* Alterum est *unio affectûs ad amatum*; quia nisi benevolens aut benefaciens affectu suo copuletur ei, cui bonum vult, non dicitur propriè illum amare. Sicut videmus in judice æquitatis studioso, quod benefaciat aliquando Judæis, vel extraneis ipsi ignotis, adjudicando ipsis causam secundùm jus & leges; cùm tamen propterea non possit dici eos amare; quia non unitur eis affectu.

Porro

Porrò ex hoc generali & substantiali actu charitatis oriuntur seu promanant plures alij particulares. Primus est *gaudium de Bonis Dei*, cui enim benevolumus, & affectu conjungimur, de illius felicitate & bonis gaudere solemus. Sunt autem duplicia Dei Bona: Nam alia sunt ipsi *extrinseca*; ut cultus, Honor, Laus, & glorificatio, quam Deus habet apud SS. Angelos & homines in Ecclesia triumphante & Militante: sicut videlicet inter hominis bona numerantur Honor, Fama, Laus, & bona existimatio, quam habet apud alios. Undè Deus ipse honorem, qui ipsi debetur, inter Bona sua reputat *Malach.* 1. dicens: *Si ergò pater ego sum, ubi est honor meus.* Et *Isaiæ* 42. *Ego Dominus; hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* Alia sunt econtrà Bona Dei *intrinseca*, ipsiq; identificata, & ab eo inseparabilia; videlicet perfectionis ejus essentiales, sapientia, misericordia, justitia, omnipotentia, immensitas, beatitudo, infinitas &c. Quarum passim meminit Sacra Scriptura, & nobis eas manifestat; ut *Psalm.* 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis.* Et *psalm.* 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & Sapientiæ ejus non est numerus. &c.* Qui ergò de hujusmodi Bonis Dei sivè intrinsecis sivè extrinsecis veraciter & cordialiter gaudet, quod v.g. Deus Optimus Maximus ab hominibus in terris agnoscatur, adoretur, laudetur, & glorificetur; aut quod à S. Angelis & Animabus beatis

beatis in cœlo jugiter honoretur, diligatur, & summis laudibus celebretur, aut quod in seipso sit infinitè beatus, omnipotens, sapientissimus, pulcherrimus, justissimus, & in omni genere perfectionis excellentissimus, Talis propriè & verissimè diligit Deum amore benevolentiæ & amicitiæ; sicut filius aliquis diligit patrem suum, quando ex animo gaudet de ipsius exaltatione, laude, reverentiâ & honore ab aliis ipsi impenso.

255. Possunt autem duæ potissimùm occasiones hunc charitatis Actum exercendi, & de Bonis Dei gaudendi, frequentius nobis occurrere. *Prima* est, cùm sub Officio Divino in choro, aut sub Missæ Sacrificio aliqua de perfectionibus Dei sit mentio v. g. cùm *in Psalm. 8.* pronuntiamus vel audimus ab aliis pronuntiari hæc verba: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!* aut *in Psalm. 47. Magnus Dominus & laudabilis nimis.* aut *in Psalm. 49. Venite exultemus Domino &c. Quoniam Magnus Dominus & Rex magnus &c.* Altera occasio est, quando intuemur homines sivè Ecclesiasticos, sive Laicos, in Dei optimi maximi servitio, cultu & laude occupatos, ac ferventes. Aut sub illis verbis Dominicæ Orationis: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ*; vel sub illa clausula Præfationis in Sacrificio Missæ: *Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, ac beata Seraphin sociâ exultatione concelebrant &c.* Recordamur Beatorum Spirituum in

in cœlis sine cessatione die noctuq; Deum unâ voce laudantium. Item quotiescunq; fit mentio de resipiscentiâ & pœnitentiâ magni alicujus peccatoris; vel de conversione alicujus Regni, provinciæ, civitatis, aut Familiæ ad Fidem catholicam. Aut cum videmus vel audimus, quod in ordine aliquo Religioso vel Monasterio bona observetur disciplina, & ibidem reperiantur homines Evangelicæ perfectionis avidi & studiosi. Aut cum in celebritate alicujus diei festivi cernimus magnam pœnitentium multitudinem &c. verbo: Quotiescunq; intelligimus fieri aliquid, aut factum esse, quod ad Dei honorem, cultum, laudem & gloriam aliquo modo pertinet, tunc nobis ansa & occasio opportuna offertur, hunc actum *gaudii* de Bonis Dei exercendi.

§. 4.
De secundo Actu charitatis erga Deum, qui est contritio perfecta.

256. SEcundus charitatis Actus ex amore Dei profluens est *Tristitia* & *dolor de peccatis* eorumq; *odium & detestatio*, quatenus adversantur Deo summè dilecto; & Bonum illius extrinsecum, videlicet, cultum, honorem, laudem & amorem impediunt, vel tollunt. Nam pertinet ad eandem virtutem, amare Bonum, & odisse ac detestari malum ipsi oppositum. Neq; potest quis malum aversari, nisi præcesserit in eo amor & prosecutio Boni oppositi: quia

quia objectum voluntatis est Bonitas per intellectum cognita & repræsentata. Cùm verò non solùm peccata nostra propria, sed etiam aliena adversentur Deo summo Bono: hinc notanda est distinctio, quam afferunt Theologi, inter *dolorem* seu *Tristitiam*, *contritionem*, & *odium* sivè *detestationem*, quæ ab eodem Habitu charitatis procedunt. Nam *contritio* propriè dicta, quia involvit peccati proprii retractationem, non potest de peccatis alienis concipi; sed tantùm de propriis: neq; enim voluntas retractare potest, quod ipsa non tractavit & commisit. *Dolor* verò & *Tristitia* quamvis possint etiam de alienis peccatis elici ab hominibus viatoribus: non tamen cadere possunt in Beatos & comprehensores; de quibus *Apoc.21.* dicitur, quod *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; neq; dolor erit ultrà.* Deniq; *odium*, *aversio*, & *detestatio* possunt non solùm de propriis & alienis peccatis concipi; verùm etiam Beatissimis Spiritibus in cœlo conveniunt, & ab iis sæpè eliciuntur sinè ullâ tristitiâ & dolore; quamvis in nobis viatoribus detestationem peccati semper comitetur dolor aliquis de eodem. Propter quod Concilium Tridentinum *sess. 14. de Sacramento Pœnitent. c. 14. Contritionem* definit, quod sit *animi dolor ac detestatio de peccato.* Sivè ergò de peccatis propriis conteramur; sivè aliena detestemur, & de iis doleamus; actum charitatis erga Deum elicimus; si ea cordis contritio & detestatio procedat ex hoc motivo & ratione formali quod

peccata

peccata adversentur Deo summo Bono, ac super omnia diligendo.

Porrò si contritio vel detestatio peccatorum fuerit intensa valdè, & efficax; non sistit interius tantùm; sed foràs etiam prorumpit, & hominem impellit ad indaganda media, quibus tùm propria tùm aliena peccata aboleantur, non solùm quoad reatum culpæ, sed etiam quòad reatum pœnæ; ita ut malitam invisi Deo nec vestigium amplius supersit. Ex quo deindè oritur *Spiritus Pœnitentiæ*, qui Bonum & honorem Deo per peccata ablatum compensare & deinceps illæsum conservare satagit: Item *zelus gloriæ Divinæ, & salutis animarum*, qui in aliis hominibus per admonitiones, correctiones, conciones, aliasq; vias & modos peccata commissa destruere, & posthac futura impedire omnibus viribus laborat; nè scilicet Honor & Bonum Dei diminutionem ullatenus patiatur.

Sunt autem plures occasiones eliciendi hunc Actum charitatis. *Prima* est, cùm Sacramentum pœnitentiæ volumus suscipere. Quamvis enim Doctores communiter sentiant, Attritionem supernaturalem ex metu gehennæ vel turpitudine peccati conceptam sufficere in Sacramento ad remissionem peccatorum. Id tamen secluso omni charitatis actu non est omninò certum. Nam Pallavicinus, qui Historiam Concilii Tridentini fidelissimè scripsit, *ibidem lib. 12. c. 10.* refert, quod, cùm Decreto *capitis 4. Sess. 14. de contritione* fuisset ex aliquorum

rum Patrum sententia in favorem attritionis additum, eam *sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*; Sacrosanctum posteà Concilium propter rationes & argumenta Reverendissimi Episcopi Tudetani, Joannis Aemiliani, prædicta verba iterum ex decreto sustulerit, & loco eorum posuerit, quæ nunc in citato capite habentur, videlicet quod attritio sit Donum Dei & Spiritus Sancti, nondum inhabitantis, sed tantùm moventis impulsus; quod peccatorem ad *Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat &c.* Noluit ergò Concilium definire *attritionem sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*, aut esse partem illius constitutivam; alioquin ea verba ex decreto non sustulisset. Cùm autem dolor sit pars constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ; non est ad huc certum ex mente Concilii, quod sub dolore hoc comprehendatur attritio, utpotè quæ tantùm est dispositio ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam: dolor autem ille, qui est pars constitutiva Sacramenti, non tantum *disponit*, sed verè causat cùm aliis compartibus gratiam & justificationem. Undè non solùm melius & utilius, sed etiam tutius facit pœnitens, si contritionnem charitate perfectam sivè dolorem & detestationem peccatorum ex motivo charitatis semper eliciat in Sacramenti Pœnitentiæ susceptione.

Secunda occasio est, cùm vesperi ante somnum instituitur & peragitur Examen conscientiæ quotidianum; inter cujus puncta primum

mum locum tenet dolor de peccatis. Quod enim hic dolor debeat esse *contritio perfecta & actus charitatis*, patet indè, quia præscribitur in remedium ad peccata per decursum diei commissa abolenda, & consequenter ad nos Deo reconciliandos, si fortè illum graviter in aliquo offendissemus. Atqui hunc reconciliationis effectum non præstat attritio extra Sacramentum Pœnitentiæ; uti expressè docet Concilium Tridentinum *sess.* 14. c. 4. Ergò requiritur contritio charitate perfecta.

Tertia occasio est, quando volumus occedere ad tremendum Missæ Sacrificium peragendum, vel ad quodcunq; aliud Sacramentum administrandum, puta, ad dispensandam populo Eucharistiam, vel ad confessiones pœnitentium excipiendas &c. Nam licet nullius tunc peccati mortalis nobis conscii simus: quia tamen propterea non etiam coram Deo justificati sumus 1. *Corinth.* 4. Sed verè nescimus, utrùm odio vel amore digni simus. *Eccle.* 9. Procul dubio laudabiliter & tutissimè agit, qui nunquam sine actu perfectæ contritionis prævio ad sacra mysteria tractanda præsumit accedere; ut dispensator fidelis & prudens inveniatur.

Quarta occasio est, quando sub divino officio occurrunt verba & sententiæ ad dolorem de peccatis nostris concipiendum accommodatæ, cujusmodi sunt verba illa *Psalm.* 50. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Item Orationis Dominicæ; *Dimitte nobis debita nostra.* Et

illa confessionis generalis : *peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere &c.*

Quinta occasio tunc nobis se offert, quando videmus & audimus, peccatum aliquod perpetrari, aut perpetratum esse ab aliis, puta, si audiamus quempiam absentibus detrahentem; aut turpiloquia, blasphemias, convitia &c. proferentem. Tunc enim deberemus non solùm peccatum illud detestari tanquam malum Deo summo Bono maximè contrarium; verùm etiam omni modo possibili & conveniente conari, ut per fraternam correctionem, instructionem & admonitionem illud in proximo nostro iterùm destruamus, & funditùs aboleamus.

§. 5.

De tertio actu charitatis erga Deum, qui est gloriæ & Honoris Divini desiderium.

257. COnsistit hic tertius charitatis actus in eo, ut ex animo desideremus & exoptemus Dei summi Boni honorem, gloriam, & laudem; ut videlicet omnes homines ipsum agnoscant, adorent, glorificent, laudent, ament, & sanctissimam ejus voluntatem semper adimpleant, ac dignè ipsi famulentur; quia in se infinitè bonus & perfectus est, ideoq; dignissimus *accipere honorem & gloriam Apoc. 5.* Qui Actus si valdè intensus sit & efficax, dicitur *zelus gloriæ Divinæ;* & datâ occasione prorumpit in opus

opus externum, mediaq; inquirit, Dei gloriam & Honorem ubiq; procurandi, augendi & propagandi. Sicut videre est in viris Apostolicis maximè verò in Apostolo Paulo, quem hoc desiderium divinæ gloriæ impulit, ut tot regiones & terras peragraret, tot maria enavigaret, tot labores & ærumnas die noctuque toleraret, tot periculis caput suum objiceret. Scilicet *ut clarificetur Nomen Domini Nostri Jesu Christi.* 2. *Thessal.* 1. quia *charitas Christi urget nos*; ut inquit 2. *Corinth.* 5. Prima occasio hoc Divinæ gloriæ desiderium exercendi nobis offertur sub Oratione Dominicâ in tribus primis petitionibus. Nam verbis illis *Sanctificetur nomen tuum*, optamus & desideramus, ut sanctitas & gloria Divini Nominis augeatur; omnesq; gentes & populi agnoscant, colant, adorent & ament Deum unum & verum. In secundâ verò petitione per verba illa *Adveniat Regnum tuum*, desideramus, ut Reggum Christi, quod est Ecclesia, ubivis gentium propagetur & dilatetur; omnesq; infideles ad Christi Fidem se convertant; Schismatici verò & Hæretici ad unionem & obedientiam Ecclesiæ Catholicæ redeant; peccatores deniq;, qui per fidem existunt quidem in Ecclesiâ, & verbis confitentur Deum, factis autem & operibus negant, ac propterea sub principis tenebrarum tyrannide & jugo captivi tenentur, discussâ peccatorum caligine, & excusso servitutis jugo, deinceps in pristinam Filiorum Dei libertatem restituantur, atq; ita solus Deus in omnium cordibus regnet.

Demùm verbis tertiæ petitionis *Fiat voluntas tua &c.* desideramus, ut homines omnes in terrâ faciant & adimpleant voluntatem Dei, quâ nobis significat, quid fieri & caveri à nobis velit; Sicuti Angeli & Beati in Cœlo omnem Dei voluntatem perfectè adimplent & exequuntur.

Secunda occasio est, cùm in officio Divino talia occurrunt verba & sententiæ, quæ desiderium promovendi laudem & gloriam Dei exprimunt. Cujusmodi sunt illa in Hymno Angelico: *Gloria in excelsis Deo.* Et *in Psalm. 66. Confiteantur tibi populi Deus. &c.* Item versus *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. &c.*

Tertia occasio est, quotiescunq; functio aliqua coerceri debet, quæ directè instituta est, & tendit ad Gloriam Dei promovendam; quales sunt functiones & exercitia vitæ activæ v. g. prædicatio verbi Divini, catechizatio rudium; administratio Sacramenti Pœnitentiæ; Laus Dei in choro. &c.

Quarta occasio, nobis occurrit, quando foràs prodimus, & in oculis sæcularium hominum versamur; tunc enim sicut per indisciplinatam & scandalosam Religiosorum conversationem blasphematur Nomen Dei apud sæculares: Ita per bonam & laudabilem nostram conversationem possumus efficere, ut apud eosdem sæculares Nomen Dei glorificetur & honoretur, juxta illud *Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*

§. 6.

De quarto Actu charitatis erga Deum, qui est conformatio voluntatis, nostræ cum divinâ.

258. QUartus hic charitatis Actus, qui dicitur conformatio & unio voluntatis Nostræ cum Divinâ voluntate, est *pars altissima, sublimissima, purissima, ac veluti cremor Amoris Dei; Et quantò quis erit cum Divinâ voluntate conformior & unitior, tantò erit melior & perfectior*; inquit Alphonsus Rodericius *de perfect. part.* 1. *tract.* 8. *c.* 1. *n.* 5. Consistit autem in hoc, ut in omni re nobis contingente, sivè delectet, sivè affligat, omnimodè & totaliter nos conformemus atq; uniamus cum voluntate Divinâ; quia scilicet hæc est rectissima, sanctissima, æquissima, perfectissima, & consequenter dignissima, quæ sola & semper ab omnibus adimpleatur; juxta Normam & Exemplum Christi *Matth.* 26. Qui in re etiam maximè afflictiva, videlicet in passione & morte suâ crudelissimâ ad Patrem] ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* Sivè, ut habet Lucas *c.* 22. *Non mea voluntas sed tua fiat.* Noscq; idem facere docuit, *Matth* 6. illis verbis: *Sic ergò orabitis* &c. *Fiat voluntas tua.*

Possumus verò duplici modo nostram voluntatem cum Divinâ conformare & unire. Primus est per *resignationem*; cùm quis in prin-

cipio quidem vult diversum aliquid à Dei voluntate, antequam hanc plenè cognoscat: postea tamen factâ ad eam reflexione, ex motivo charitatis erga Deum totaliter se in ejus Beneplacitum resignat, & voluntatem suam Divinæ voluntati postponit, dicendo v. g. *Vellem equidem libentius esse sanus quàm infirmus & ægrotus: quia autem video, aliter tibi placere; acquiesco & me conformo sanctissimæ & aquissimæ voluntati tuæ; quia hæc dignissima est, quæ sola in me & in omnibus creaturis adimpleatur.* Undè patet, quod resignatio compatiatur in principio adhuc amorem aliquem rerum illarum, quæ licitæ sunt; vel potius eum præsupponat: quem tamen Deo postea subjicit, relinquens omnia suavissimæ dispositioni Divinæ. Alter modus contingit per *indifferentiam*; quæ in eo sita est, quod homo prorsus omnem affectum, amorem & desiderium cujuscunq; rei, quæ Deus non est, exuat & abjiciat; eò solo contentus, quod Dei voluntas in se fiat; dicatq; cum Prophetâ Regio *Psalm 72. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Atq; hinc, quia hæc conformatio voluntatis nostræ cum Divinâ per *indifferentiam* nihil de propriâ voluntate admisceri patitur, sed unicam Dei voluntatem respicit & pro scopo habet; sequitur etiam, quod perfectior sit illâ, quæ fit per *resignationem*: Nam voluntas nostra per *indifferentiam* quodammodò absorbetur in Dei voluntate, nec habet amplius velle distinctum à Divino; ita ut veraciter cum

S. Paulo

S. Paulo dicere possit: *vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus Galat. 2.*

259. Porrò quatuor sunt rerum genera, in quibus nostram voluntatem cum divinâ unire & conformare debemus. Ad *primum* spectant jussa sivè mandata & præcepta divina: quæ nihil aliud sunt, quàm voluntas Dei jubens seu mandans & præcipens. De quibus *Joan. 14.* dicitur: *Si quis diliget me, sermonem meum servabit.* Et *1. Joann. 5. Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Ad *secundum* genus pertinent consilia Dei; ut in iis, quæ statui ac viribus nostris congruunt, divinæ *voluntati* nobis consulenti pareamus, & voluntatem nostram conformemus. *Tertium* genus continet inspirationes & instinctus Divinos; quia & hi sunt intimationes quædam & suaves insinuationes Divinæ voluntatis circa ea, quæ hic & nunc vult à nobis fieri. *Quartum* genus comprehendit omnes & singulas Divinæ Providentiæ circa nos dispositiones; sivè hæ immediatè à Deo, sivè mediantibus hominibus, vel quibuscunq; creaturis, etiam inanimatis obveniant; sivè palato nostro sapiant, sivè desipiant; sivè in honorem sive in contemptum & depressionem nostram vergant. &c. Quomodò legimus Christum Dei Filium in rebus maximè adversis se conformâsse voluntati & dispositioni Patris sui, dicendo: *Pater mi, si non potest calix hic transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Matth. 26.*

260. Ut autem in Diviniſſimo hoc exercitio conformandæ voluntatis noſtræ cum Divina nos jugiter occupemus, maximè ſi adverſum quid nobis acciderit, movere nos debet *primò* Divinæ voluntatis ſanctitas, rectitudo, & æquitas; utpotè quæ nihil vult aut velle poteſt, niſi ſanctiſſimum, rectiſſimum, & æquiſſimum; *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*; inquit David *Pſalm* 5. adeoq; digniſſima eſt, quæ impleatur ſemper & ubiq;. Adde, quod eadem Dei voluntas ſit etiam propenſiſſima in noſtrum commodum & bonum ſpirituale; ita ut *omnes homines velit ſalvos fieri*. 1. *Timoth.* 2. Duntmodò ipſi velint, & ſe convertant; ſicut ait *Ezechiel* 18. *Nolo mortem morientis*; *revertimini, & vivite*. Et Ezechiel. 33. *Nolo mortem impii*; *ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ*. Item *Ezechiel* 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* Deniq; *Matth.* 9. *Miſericordiam volo &c.* Undè quando Divina voluntas nobis immittit aliquam adverſitatem, tunc eam dirigit ad ſpirituale emolumentum Animæ noſtræ, ut ſcilicet nos vel caſtiget propeccatis in hac vitâ admiſſis; vel abſterreat à committendis; vel materiam & occaſionem ſubminiſtret exercendi virtutes patientiæ, fortitudinis, ſpei, Charitatis, obedientiæ &c. Vel affectum noſtrum abſtrahat à terrenis & caducis; vel deniq; anſam augendi & cumulandi merita, ac conſequenter gloriam in cœlis.

Secundò movere nos debet ſua viſſimum illud

& juge

& juge gaudium, pax, serenitas, quies & tranquillitas animi, quam possident omnes, qui suam cum Divinâ voluntatem ita uniunt & conformant, ut idem semper cum Deo velint & nolint. *Non contristabit justum, quidquid acciderit ei. Proverb.* 12. Quod enim nos subindè tristemur & affligamur, exindè provenit, quod voluntas nostra patiatur violentiam aliquam, & res aliter evenerit, quàm nos volebamus. Qui autem velle suum & nolle totaliter conformat beneplacito Divino, nec aliud desiderat, quàm quod Deus vult & ordinat; huic non potest aliquid accidere contra suam voluntatem: quia nihil potest evenire contra Dei voluntatem, quâcum ipse univit & unam fecit suam voluntatem. Dicit enim Deus *Isaiæ* 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Undè sequitur, quod talis homo non possit contrario aliquo eventu turbari; sed in jugi lætitiâ animi semper sibi simillimus perstat; cantans illud in corde suo. *Job.* 1. *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit Nomen Domini benedictum.*

Tertiò Movere nos debet, quod Deus specialiter provideat illis, qui abjectâ omni solicitudine inordinatâ totos se voluntati & dispositioni Divinæ committunt ac resignant. Jacta *super Dominum curam tuam; & ipse te nutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo;* ait Propheta Regius *Psalm.* 54. Et Christus *Matth.* 10. *Nonnè duo passeres asse veneunt? & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro: vestri autem capilli capitis omnes numerati*

rati sunt ; Nòlite ergò timere : multis passeribus meliores estis vos. Nec refert, quod videantur subindè opprimi tales, qui se totos Divinæ voluntati & dispositioni commiserunt: Nam ipsa hæc temporalis oppressio dirigitur à Deo ad majus eorum spirituale, atq; etiam interdum corporale emolumentum ; Sicut patet in Josepho Filio Patriarchæ Jacob, quem Fratrum suorum capitale odium, invidia, & persecutio, uti & falsa Dominæ accusatio ac injusta ad carcerem condemnatio tandem evexit ad primam post Regem Ægypti dignitatem; Deo scilicet malitiosas & fraudulentas tùm fratrum suorum, qui ipsius exaltationem impedire volebant, tum aliorum hostium machinationes dirigente ad utilitatem & commodum Josephi. Undè & ipse cuncta circa se etiam ex maligno animo gesto (cujusmodi erat venditio in Egyptum) divinæ voluntati ac dispositioni adscribit, dicens : *Nolite pavere, neq; vobis durum videatur, quod vendidistis me in his regionibus, pro salute enim vestrâ misit me Deus ante vos in Ægyptum, non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* *Genes.* 45. Et *Genes.* 50. *Num Dei possumus resistere voluntati ? vos cogitâstis de me malum : Sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me.*

Atq; hæc de charitate erga Deum sufficiant: Nam Quintum charitatis actum, qui est *intentio Divinæ gloriæ*, jam suprà explicavimus in primo gradu.

CAPUT

Caput II.

De mediis ad proficiendum in charitate Dei.

EXplicuimus suprà in gradu primo *Media* pro *incipientibus* diligere Deum, & tendere ad perfectionem, talia scilicet, quæ Tyronum ac Novitiorum conditioni ac statui sunt accommodata. Nunc verò ulterius progrediendum & de sublimioribus mediis tractandum est, quæ ad ipsum perfectionis apicem cum Divinâ gratiâ promovere nos possunt.

§. 1.

De majori puritate conscientiæ acquirendâ.

261. NOn est hic amplius sermo de emundatione & purificatione conscientiæ à peccatis mortalibus: hic enim labor *incipientium* est, non *proficientium*. Quin & sæculares ac laici omnes tenentur mortalia commissa expiare, & à committendis sibi sub pœnæ æternæ reatu cavere. Neq; hoc loco amplius agitur de fugâ peccatorum venialium, quæ cum plenâ advertentiâ intellectus & deliberatione voluntatis admittuntur; quia etiam talia excludit conscientiæ teneritudo, quæ in primo gradu obtineri debet. Qui ergò in Secundo *proficientium* gradu consistunt, propius jam ad similitudinem & Imaginem Christi accedere debent,

bent, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* 1. *Petri* 2. adeoq; conari debent

Primò, ut deinceps nullum veniale peccatum *exterius* committant, sive ut in dictis suis & factis *externis* se irreprehensibiles exhibeant, possintq; suis obtrectatoribus & calumniatoribus liberè in faciem dicere illud Christi *Matt.* 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam *sancti viri ita se in operibus suis, Deo Auctore, custodiunt, ut omninò, undè accusentur, exterius non inveniatur;* inquit S. Gregorius *lib.* 11. *moral. c.* 19. Undè S. Basilius *in Psalm.* 32. monet, *prius actiones corporis corrigere oportere, ut decenter ac congruè eas perficere possis juxta præscriptum Divini verbi; ac sic tandem ad intelligibilium contemplationem ascendere.* Rationem dat *in c.* 4. *Isaiæ.* *Peccata enim, quæ superficietenus admittuntur, & externè apparent, sunt quæ levia, sordi cuipiam similia videntur.*

Secundò conari debent proficientes, ut peccata venialia etiam solùm materialia caveant, quæ scilicet ob defectum advertentiæ rationis omni culpâ vacant, dicunturq; imperfectiones & defectus; uti distractiones involuntariæ, inanis digitorum agitatio seu tympanizatio, masticatio festucæ, cinguli vel rosarii in extremitatibus rotatio, digitorum singulorum ad strepitum edendum instituta tractio, capitis motus non necessarius, manuum in colloquio familiari gesticulatio, verba ex motu primo iracundè prolata, genu unius in sedendo supra alterum positio &c. Quamvis enim talia in sæcularibus non

non videantur adeò reprehensibilia; nihilominus Religiosi, qui teste S. Nazianzeno *Orat. in Laud. S. Basilii sunt Ecclesiæ pars selectior sapientior*, debent esse non solùm sine maculâ peccati, sed etiam sine rugâ imperfectionum. *Velim non ignores*, ait idem Nazianzenus *Orat. de fuco. Rugam tibi unam turpiorem esse, quàm maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt.* Undè S. Augustinus *in Regulâ* monet: *In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum: Sed quod vestram deceat Sanctitatem.*

Tertiò eò usq; progredi debent ac proficere, ut ægrè ac difficulter labantur in ea, in quæ fragilitas humana & Naturæ nostræ peccato vitiatæ conditio pertrahit etiam quandoq; perfectissimos, sed nolentes; Ita ut quodammodò fiant impeccabiles: Sicut monet S. Dionysius Areopagita *Eccles. Hierarch. c.* 3. dicens: *Oportet nos, si ad Deum desideramus per communionem ascendere, in Divinissimam sui, secundùm carnem, vitam respicere, & ad eam similitudinem mirabili impeccabilitate in Deiformem & immaculatum habitum recurrere.* Qualem impeccabilitatem videtur obtinuisse, qui dixit: *quomodò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Genes.* 39. Qui enim frequenter & efficaciter quævis peccata etiam minima detestatur & abominatur, tandem in isto horrore & aversione à peccatis ita firmatur, ut ægrè ac difficulter peccet, ac quodammodò impotens ad peccandum efficiatur; Sicut dicitur

tur 1. *Joann.* 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare.* Unde *Roman.* 8. dicit Apostolus: *Quis nos separabit a charitate Christi? certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli &c. Neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Et de Monachis S. Pachomii scribit Ruffinus *in vitis Patrũ lib.* 3. *n.* 35. *quod impossibile (moraliter) fuerit, aliquem apud eos verbum otiosum loqui; Sed tantùm, quæ de Sanctis scripturis didicerant, ferant inter se conferentes, & exponentes de capitulis Scripturarum, quæ ad timorem Domini confirmarent, & illuminarent animas eorum.* Quia per odium & detestationem verborum otiosorum tantam aversionem habitualem contraxerant, animosq; suos ita obfirmaverant, ut eis difficillimum accideret & ægerrimum, tales sermones proferre otiosos.

262. Porrò media ad puritatem conscientiæ tam sublimem consequendam non sunt alia, quàm quæ suprà tradidimus in gradu primo pro *incipientibus.* Si enim diu & exactè frequententur; tandem ad hunc nos effectum perducunt. Dico exactè: nam qui obiter tantùm & luridè examen suum conscientiæ peragit, post annos plures in Habitu & professione Religiosa exactos idem erit, qui in ingressu fuit. Dixi etiam, si *frequententur*: quod maximè intelligendum est de memorato Examine; quod Doctores Ascetici & spirituales magistri ita volunt frequentari; ut saltem bis quolibet die instituatur, tempore videlicet matutino, & vespertino; Sicut

cut testatur S. Dorotheus apud Eusebium Nierenbergium *in Doctrin. Ascet. lib, 2. doctrinâ 2. c.8.* dicens: *Docuerunt sæpe nos majores nostri, quo pacto purgemus nos ipsos per singulos dies, ut scilicet ad vesperam perscrutemur nobiscum, quomodò transactam diem exegerimus; & rursùm manè, quomodò noctem; & sic pœnitentiam agamus apud Deum, ut par est, in quo peccasse nos deprehenderimus. Sanè cùm admodùm delinquamus, peccemusq́, obliviscamurq́ delicta & peccata nostra, opus esset nobis in horas diligenti curâ & examinatione, quo pacto scilicet ambulemus. Deberetq́ umus quisq́ nostrûm â seipso tanquam judex rationem cujuslibet facti extorquere, & dicere: ut quid locutus sum infelix, quæ fratrem meum morderent, & carperent? ut quid fratrem aliquid facientem judicavi? ut quid eum contempsi? ut quid murmuravi? cur coquum increpavi? cur pudore illum affeci? Dixit mihi cæremoniarum princeps, vel quivis alius fratrum verbum; nec ferre potui, ac statim adversus illum locutus sum verbum. Sicq́ per singulos dies agendum nobis esset, discutiendum, & cognoscendum, quo pacto ambulemus. Debet item quis à se exigere, ut noctem transierit, si videlicet & cum diligentiâ & promptitudine ad vigilias surrexerit.* Et S. Bernardus *de vitâ solitar. Manè præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tibi indicito cautionem. Vesperæ præteritæ diei rationem exige, & superventis noctis fac indictionem.* Item Dionysius Rikelius *de vitâ solitar. art. 24. Manè inquirat, que-*

quemadmodùm nocturnum tempus exegerit, qui alacritate divina persolverit: & item qualiter instantem diem fructuosè decurrat, sapienter instituat. Deniq; vespere contuendum, quomodò dies ipse defluxit, quid agendorum omissum, quid etiam committendorum commissum, quid profecerit, quantumq; proficere potuerit, sed neglexit; atq; advenienti se nocti præparet. Addit S. Bonaventura *in Regul. Novit.* etiam ante mensam debere præmitti Examen conscientiæ. *Cùm pulsatur*, inquit, *campanella ad mensam vel ad comedendum; stes in silentio, & examina te ipsum, quomodò in Oratione vel lectione, vel in servitiis laborâsti.*

§. 2.

De incremento Humilitatis.

263. *CErtum est*, inquit Dionysius Carthusianus *tract. de profess. monast. art.* 1. *quod Religiosæ personæ, quæ in charitatis sinceritate ac profectu non crescunt, substantialia vota inaniter promiserunt. Porrò in charitate non crescit, nec proficit, nisi qui in verâ Humilitate crescit.* Quia non potest quis absq; virtute Humilitatis crescere in aliis tribus virtutibus, nempè in Paupertate Spiritûs, Castitate & Obedientiâ; quæ necessaria sunt media ad proficiendum in charitate. Undè S. Chrysostomus *homil. 35. in Genes.* monet: *Bonis operibus nostris humilitatem quasi fundamentum substruamus; ut securè virtutes superstruere valeamus: Virtus enim non est, nisi conjunctam habeat Humilitatem.*

Qui

Qui hoc fundamentum rectè jecerit, poterit, in quantam voluerit altitudinem, structuram excitare. Juxta S. Basilium *serm. de Abdicat. Animî in virtute progressus, in humilitate progressus est.* S. Thomas Aquinas interrogatus quod esset signum spiritualis profectûs, respondit: *Qui delectatur risu & dissolutione, qui appetit honores, qui ægrè fert vilem de se hominum opinionem; talis etiamsi miracula faceret, non est perfectus.* Deniq; S. Dorotheo teste *serm.* 14. *Omnis virtus ex humilitate gignitur, & cum humilitate producitur, & exercetur. Omnium Sanctorum profectus atq; perfectio accessus quidam est & progressus ad humilitatem.* Debet igitur Professus non solùm de virtute Humilitatis in Novitiatu exercitâ nihil remittere; verùm etiam eandem magis in se firmare, profundius radicare, & ad plures perfectioresq; illius actus se extendere.

264. Hujusmodi autem imprimis est, si non solùm patienter feramus, sed etiam hilariter, gaudenter, & cum animi *exultatione* accepte-mus, atq; etiam cum ingenti *desiderio* & *aviditate* expectemus, & summis votis exoptemus, ut cum Christo habeamur despecti & novissimi virorum, cum iniquis & sceleratis reputemur, atq; etiam illis postponamur; nullo favore, gratiâ, officio & servitio digni æstimemur; tanquam fatui & stulti rideamur & illudamur; omnia mala de nobis judicentur & dicantur (absq; tamen culpâ nostrâ, & quantum sine Dei offensâ fieri potest) ita ut ex animo gau-

deamus, si iisdem ignominiosis appellationibus afficiamur, quibus innocentissimus Dei Filius in hoc mundo non solùm à plebe, sed etiam à Magistratu, Summis Sacerdotibus & scribis affectus fuit, quando eum vocitârunt & diffiamârunt ut Hominem voracem & vini potatorem, insanum, peccatorem, Dæmoniacum, blasphemum, populi seductorem &c. Qui enim talia refugit, satis ostendit, quod non sit de Familiâ humilis Christi; qui *Matth.* 10. ait: *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? non est Discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum. Sufficit Discipulo, ut sit sicut Magister ejus; & servo, sicut Dominus ejus.* Undè S. Bernardus *epist.* 249. *Non bonus est color, si quispiam sanctorum anixè suam abiectionem ferre videatur: de quo etiam non gaudere & non gloriari minus est à perfecto.* Et *serm.* 16. *in Cantic. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui.* Item B. Laurentius Justinianus apud Nicolaum Lancicium *opusc.* 8. *de Humilit. c.* 11. *Non est tanta virtutis contemnere honores, quàm contemptum appetere. Plus est enim, ut malè affici negligas, quàm ut benè affici non cupias. Cæterùm illud summæ perfectionis, ut malè affici desideres.* Imò effectus superbiæ est, si quis magis ambiat laudari; quàm despici; bonus haberi, quàm malus; Sicut ait idem B. Laurentius Justinianus *lib. de Humilit. c.* 1. *Experientiâ teste pauci reperiuntur numero, in comparatione cæterorum, qui saltem naturali exagitati impulsu præesse potius non ambiant.*

biant, quàm ſubeſſe, laudari magis appetant, quàm deſpici; atq; plus concupiſcant ab hominibus boni exiſtimari, quàm mali. Hæc procul dubio ſunt ſuperbiæ germina; hæc, inquam, elationis ſunt filiæ, quæ niſi ſedulâ coerceantur diſciplinâ virtutum, ex quotidiano accreſcunt uſu & ex filiabus ſpiritualibus efficiuntur matres.

265. Alius Humilitatis actus ex præcedente conſequens & *proficientibus* maximè proprius eſt, ut in operibus ſuis aut dictis non quærant ab aliis ſuſpici, laudari, magni æſtimari, & deprædicari; ſed æquo lubentiq; animo ferant, ſi qui forſan geſta & dicta eorum malè interpretentur, carpant traducant, contemnant vel irrideant: Neq; enim meliores ſunt ipſo Dei Filio, qui ex operibus ſuis Diviniſſimis & perfectiſſimis ſæpius & ferè communiter retulit non, laudem & applauſum, ſed contradictionem, vituperium, contemptum, irriſionem, calumniam & infamationem, ſiniſtras opiniones, iniquiſſima judicia, & obtrectationes. Nimis abjectus, vilis & terrenus eſt animus, qui in operibus ſuis aut ſermonibus quærit gloriam & applauſum hominis; aut propter unius vel plurium opinionem, cenſuram dicteria, & obtrectationem dejicitur animo, triſtatur, aut ab opere bono deſiſtit. *Magna vecordia eſt*, inquit S. Gregorius *lib. 8. moral. c. 25. laborioſa agere, & auræ laudis inhiare; ſorti opere præceptis cœleſtibus inſervire, ſed terrenæ retributionis præmium quærere.* Nec poteſt negare, quod vanam gloriam captet & âmbiat, qui propterea contriſtatur, aut conturbatur & affligitur, vel

etiam indignatur, quia ejus opera & gesta ab aliis vituperantur aut parvipenduntur: si enim ea propter homines non feciſſet, ſed propter Deum, non curaret etiam hominum judicia & cenſuras; Sed his neglectis & contemptis vel diſſimulatis, ad ſolius Dei reſpiceret approbationem; diceretq; cum Apoſtolo. 1. *Corinth.* 4. *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer.* Et *Galat.* 1. *An quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Adde, quod impoſſibile moraliter ſit. opera ſua ita omni ex parte perficere, ut non aliquibus ſaltem diſpliceant. Sicut patet in Chriſto; de quo alii dicebant: *quia bonus eſt: alii autem dicebant, non, ſed ſeducit turbas.* Aliqui conciones ejus laudabant, alii econtrà dicebant auditoribus: *inſanit: quid eum auditis? Joan.* 10. Aliqui clamabant: *benè omnia fecit.* Alii verò aſſerebant: *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit. Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Joann.* 9. Quod ſi igitur ipſa Dei ſapientia inter homines degens, & operans ea, quæ pater cœleſtis injunxerat, ita ut, quæ placita ſunt ei, faceret ſemper, nihilominus omnium hominum, etiam eorum, qui prudentes videri volebant, & ut tales habebantur, utpotè in dignitatibus conſtituti, judicis & opinionibus non ſatisfecit; ſed multorum ſiniſtras interpretationes, cenſuras, obtrectationes, calumnias & contradictiones paſſa eſt: Quomodò nos impetrare & procurare poterimus, ut opera & dicta noſtra omnibus hominibus placeant,

ceant, nullusq; illa carpat, vituperet, aut malè interpretetur? Sufficiat ergò nobis, quod in iis, quæ præstanda nobis sunt, diligentiam moralem impenderimus, & per ea Soli Deo placere intenderimus: de reliquo si obtrectator aliquis contra nos insurrexerit; dicamus apud nosmetipsos: putasnè tu miser homo, quod tale opus fecerim, ut tibi probaretur illud, & placeret? Erras: *propter te non cœpi; propter te non desinam.* Ita nos monet S. Basilius *in constitut. Monast. c.* 11. ut, dum aliquid in publico coram hominibus peragimus, *conjectis in cœlestem laudatorem oculis, neq; illorum laudes magnoperè curemus; neq; vituperatione ab eo ullo modo dimoveamur.*

266. Prætereà ex eodem Humilitatis Actu, quo desideramus esse cum Christo despecti & Novissimi virorum in hoc mundo, sequitur etiam, quod debeamus Honores, dignitates, prælaturas, & officia splendida seu honorifica declinare (quantum salvâ obedientiâ & charitate possumus) & eligere abjecti esse in Domo Dei; imitantes in hoc Filium Dei, qui, *cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus Joann.*6. Maluitq; in hoc mundo degere inglorius, abjectus, & despectus; Sicut ait Isaias c 53. *Vidimus eum despectum & novissimum virorum.* Scilicet *Fabrum. Marc.*6. Et *Fabri Filium. Matth.*13. *Cum iniquis reputatum. Marc.* 15. Quod enim virtute Humilitatis careat, qui prælationes & honorata officia quærit, vult-

que libentius præesse, quàm subesse, testatur S. Basilius *constitut. Monast. c.* 31. dicens: *Is satis se à charitate Humilitateq; disjunctum declarat, qui primas desiderat.* Et *in Regul. brevior. interrogat.* 35. dum ad quæstionem, ex quibus signis dignoscatur superbus, respondet: *cognoscitur ex eo, si ea quærat, undè cæteris superior sit.* Quàm autem indecens, probrosa, atq; etiam damnosa, & noxia sit hæc in Religiosis superbia, declarat idem S. Doctor *in constitut. Monast. c.* 10. his verbis: *Inter Fratres principatum nullo modo appetere Monachus debet. Si quidem diabolica illa pestis est, & libidinis dominandi labes. Quæ res insigne est primæ illius Diaboli pravitatis indicium. Et sine dubio qui in hujus vitii tempestate est, is eodem planè cum diabolo malo laborat. Qui autem ab eo captivi tenentur, eos invidos, contentiosos, insimulatores, impudentes, calumniatores, assentatores, veteratores, humiles ubi non convenit, illiberales, glorioso sexcentis deniq; aliis hujuscemodi turbis refertos existere necesse est. Etenim qui est ejusmodi, is idoneis invidet, ac palàm traducit: quin erit sæpè numero, cùm illorum etiam interitum exoptabit; quò videlicet sublatis de medio, qui tales sunt, in deferendis muneribus necessariò suffragia ad ipsum deveniant, Atq; ex hoc etiam aliud sequetur; quod iis, penes quos illa deferendi potestas erit, adulabitur &c. Item ibidem c.* 25. *Prorsus ab omni ambitione alienum habere animum Monachus debet. Nam si in hac vitâ laboribus ac rectè factis suis esse præmium vult, mi-*

sera

sera profectò illius mercedis conditio est, qui pro æternarum rerum jacturâ caducas paciscatur. Si verò secum decreverit, velle se in hac vitâ agones laborum perferre, & eorum mercedem in cœlo recipere; non modò honores ultrò ipse consectari non debet, sed nè oblatos quidem admittere, potiusq; recusare, atq; rejiceret: nè consequentis vitæ gloriam præsens honor imminuat: quandoquidem præsens vita universa laborum est atq; certaminum; contraq; futura in præmiis compensationibusq; posita est: quemadmodùm Magnus Paulus de hac vita in aliam proximè migraturus ait: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi còrona justitiæ; quam reddet mihi Dominus, non hic, sed in illa die justus Judex. Item Salvator: in mundo hoc pressuram habetis. Et rursum idem Apostolus: per multas tribulationes oportet vos introire in regnum cœlorum. Proindè si habes in animo, in futurum regnare; hic noli otium, noli honorem consectari, caveat omni ratione pietatis cultor ne honores consectetur, cæterisq; se præponi velit. Omnis enim qui seipsum exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Si semet ipsum pietatis cultor in altum extulerit, habet, qui graviter & potenter illum affligat, & ad inferos usq; possit deprimere. Si contrà seipsum humiliaverit; splendidissimè magnificentissimeq; extolletur. Quippè cùm Deus humiliantem se in altum extollat. Expectato igitur rectè extollentem, ô Monache. Athleta enim es, & operarius Christi: pactus es cum eo, totam te diem certaturum, & diei totius æstum perla-

turum: quid igitur diei opere nondum compleo requiem consectaris? vesperam, vitæ hujus finem operire; ut, cùm Paterfamilias venerit mercedem tibi denumeret. Interim autem in postremo loco acquiesce; ut tunc primum adipiscare. Deniq; *serm. de Abdicat. Studioſè operam dato, ut omnium novissimus ſis, ac servus omnium. Se animo scire submittere, Christum est scire imitari: contrà autem arrogantia efferri, & insolentius se gerere, est Diabolo se similem facere. Christum tu imitare, non adversarium Christi. Noli in eo properare, ut Fratribus præsis.*

267. Sanè qui accuratè considerat & expendit periculosissimam Prælatorum ac quorumvis Superiorum conditionem, & quàm multa in illis requirantur; is non prælaturas, sed latebras quæret, & cum viris sanctis se abscondet; nè in publicum protrahatur. *Disciplinæ moderator sit, qui & propter vitæ ac morum probitatem, & reliquis in rebus moderationem, ipse cæteris antelatus sit;* Inquit S. Basilius *serm. 1. de Institut. Monachor. In cujus vitam quicunq; intueantur, omnium virtutum exemplar ante oculos propositum habeant. Cui vitæ conversatio moresq; ex moderatione incanuerint, ut quidquid ab eo dicatur, fiatvè, id cunctis fratribus pro lege ac Regulâ sit.* Et *serm. 2. de Institut. Monachor. Illud curandum est, ut qui omnium testimonio omnibus in rebus prudentiâ & gravitate, vitæq; sanctitate cæteris omnibus præstare judicatus fuerit, hic deligatur, qui cæteris præsit, quo videlicet virtutis, quæ in ipso est, fructus pro-*

miscue

miscuè in cunctos redundet. Quis autem nisi temerarius & imprudens talem ac tantam vitæ probitatem, moderationem morum, conversationis sanctitatem, & in rebus agendis prudentiam arrogare & attribuere sibi audeat? Undè duæ sunt causæ, propter quas Prælati Regulares de salute suâ æternâ periclitari solent. *Prima est*, quod is, qui ad Prælaturam evectus est, cùm in tali loco superiorem se non agnoscat, quandoq; putet, se jam ab exercitiis & functionibus ordinariis, & ab observatione Regulæ ac statutorum esse exemptum; ac plus sibi jam licere. Sic videmus nonnunquam, quod aliqui Prælati lautiùs epulentur, & splendidius vestiantur, quàm votum & ratio paupertatis promissæ permittat; rarius ad chorum veniant; & immemores professionis Religiosæ, per omnia sæcularibus Prælatis æquiparari velint. De quibus conqueritur S. Bernardus *in Apolog. ad Guilielm. Abbat.* dicens: *Miror, undè inter Monachos tanta intemperantia in comessationibus & potationibus, in vestimentis & lectisterniis, & equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit? Quis in principio, cùm Ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet Monachos in ertiam devenire? &c. quid hoc ignaviæ est, ô boni milites! sociis in sanguine & cæde versantibus, vos aut cibos diligitis delicatos, aut somnos capitis matutinos; aliis inquam, nocte & die curâ pervigili festinantibus redimere tempus, quoniam dies mali sunt, vos econtrario & longas noctes dormitando consumitis & dies fabulando ducitis otiosos. Sic Ma-*

carius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit! Sic Patres in Aegypto conversati sunt? Sic denique Sancti, Odo, Majolus, Odilo, Hugo, quos se sui Ordinis Principes & Præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri consuerunt? sed hi omnes quia Sancti fuerunt, à Sancto Apostolo non dissenserunt, qui nimirùm ita loquitur: Habentes victum & vestitum, his contenti simus. Nobis autem est pro victu satietas; nec vestitum appetimus, sed ornatum: quæritur ad induendum non quod utilius, sed quod subtilius invenitur. Quomodò lux mundi obtenebrata est? quomodò sal terræ infatuatum est? quorum nobis vita via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actionibus ostendunt superbiæ, cæci facti sunt duces cæcorum &c. Quis autem finis sit vitæ tam licentiosæ Prælatorum, colligi potest ex eo, quod refert Boverius *in Annal. Capucin. ad Annum Christi* 1554. Cùm Franciscus Astensis, secundus Capucinorum Generalis Puteolos proficisceretur, contingit, ut in itinere obvium sibi haberet spectabilem ex quodam Religioso Ordine equitatum; quem sequebatur Frater quidam Laicus pedester, ipsi Francisco benè notus. Quia verò præfatus Franciscus post salutationem à se impensam, nulla resalutationis signa sibi rependi cernebat; miratus, rogavit ex Fratre Laico, quinam essent hi equites, & quò tenderent? Cui Frater: *Omnes isti, quos vidisti, vitâ functi sunt, & Ordinis sui nuper Superiores: nunc autem judicio Dei damnati, tendunt in infernum, me sequente vestigia ipsorum. Ut enim*

enim ipsorum mihi gratiam conciliarem, veritus non fui, Regulas & observationes monasticas in ipsorum gratiam violare : ita non immeritò ad æternos ignes eos comitor, inter quæ verba cum toto equitatu videri desiit. Vitæ igitur libertas, conversatio cum sæcularibus, luxus in victu & vestitu, negotiorum temporalium tractatio, & licentia multos jam Prælatos perdidit, & æternùm damnavit; qui procul dubio salvati fuissent, si privatam in subjectione vitam duxissent. *Multos novi, qui omni se tempore incluserunt, jejuniis consumpserunt; probabiles coram Deo inventi, quousq; solis esse licuit, suaq; curare; qui etiam non exiguam partem singulis diebus suo philosophico profectui adjecerunt. Hi postquàm in publicum progressi, multorum insscitias emendare debuerunt; vel in principio impares inventi sunt; vel demùm abjectâ suâ priori austeritate, sibi ipsis maxima damna, aliis verò omninò nihil contulerunt;* inquit S. Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdot. c. 15.* Vult quidem S. Basilius *in Regul. fus. interrogat. 27.* Quod Prælatus suos debeat habere monitores, qui ipsum officii & obligationis suæ commonefaciant, si fortè in aliquo delinquat; aut etiam *si qua unquam minus laudabilis orta suspicio sit* de ipso; additq;, quod admonitio hnjusmodi vel officium commonendi pertinere debeat ad eos, *qui cùm ætate, tùm prudentiâ in Societate reliquis præstent.* Verùm quia Prælati communiter ægrè admodùm suscipiunt admonitionem ab inferiore factam; & non rarò monitores suos torvis

vis oculis aſpiciunt, ac perſequuntur: hinc eſt quod vix reperire ſit aliquem; qui hoc monitoris officium obire velit.

268. Altera cauſa eſt, cur Prælatus facilè poſſit de ſalute ſuâ periclitari: quia ipſe cum dignitate ſimul in ſe ſuſcipit curam & onus reſpondendi ſupremo judici de ſalute & profectu ſuorum ſubditorum. *Ipſi pervigilant*, & pervigilare debent, *quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*; inquit Scriptura *Hebræor.* 13. Et *Sapient. 6. Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Item *Ezechiel. 3. Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael &c. Impius in iniquitate ſuâ morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Scilicet *facile quidem eſt geſtare pedum, ſed difficile reddere rationem*; Inquit S. Adalbertus Polonorum Apoſtolus apud Abrahamum Bzovium ad annum Chriſti 1415. Undè S. Baſilius *ſerm. de Abdicat. Noli in eo properare, ut Fratribus præſis; nè alienorum peccatorum onere cervices aggraves tuas.* Et *in Regul. fuſ. interrogat. 24. Si oculus ita ſe operuerit, ut nihil aſpiciat; neceſſariò ipſe quoq; cum reliquis membris interibit: Sic nihilo minus intelligendum eſt, non eſſe extra periculum, qui cæteris præeſt, ſi negligenter ſe gerat: cùm futurum ſit, ut omnium ipſe in judicio cauſam ſuſtineat.* Item *interrogat 25. Cui communis totius regendæ ſocietatis data provincia eſt, is ita eſſe animo affectus debet, quaſi qui intelligit, reddendam ſi-*

bi de

bi de unoquoquè rationem: illudq; sibi persuadere, si de Fratribus aliquis in aliquod peccatum inciderit, quem priùs ipse de judico Dei non præmonuerit; vel si jam lapsus, in eo perstiterit, ac non rationem ipsam, quâ sanari possit, docuerit, fore, ut sanguis ejus requiratur de manibus ipsius. Et *infrà: Necessariò igitur ei pro totius Fratrum Societatis animabus vigilandum est; & quæ ad salutem cujusq; conducant, omnia sollicitè accuranda; ut qui de ipsis rationem sit redditurus.* Item *interrogat 29. Oportet Antistitem ipsum illud sibi persuasum habere, se, nisi ut debet, Fratris saluti in munere fungendo suo consuluerit, gravissimas atq; inevitabiles pœnas daturum: siquidem sanguis illius requiretur de manibus ejus.* Deniq; *interrog. 30. Antistes ipse neutiquam dignitate illa extolli debet: siquidem illud persuasum sibi habere debet, ut quò præsit pluribus, hoc necesse sit, pluribus ut ministret. Ut igitur, qui sauciis multis ministrat, & saniem d singulis eorum vulneribus abstergit, & pro naturâ uniuscujusq; mali remedia ei adhibet accommodata, munere illo neutiquam ad animorum elationem uti consuevit, sed ad demissionem potius & solicitudinem ac majorem quandam curam: multò magis is, cui totius Fratrum societatis sanandæ provincia est delegata, perindè ut qui omnium minister sit, & rationem de unoquoq; illorum redditurus, sic secum agitare animo, & contendere anxiè debet.* Neq; enim Prælato sufficit ad salutem consequendam, si in se bonus sit, & proprium spiritum perfecerit;

sed

sed præterea requiritur, ut eas in se qualitates & virtutes possideat, quæ necessariæ sunt ad aliorum salutem & profectum in spiritu promovendum. *Qui aliis præest, & peritissimus esse debet, & omni studio saluti proximorum consulere; & singulorum incessum, & gestus, & habitum considerare; & corrigendo quæ minus decora & convenientia videbuntur, ad optimum ea statum formamq; redigere. Nihil quantumvis minimum, quod ad salutem spectet, est omittendum, quin Fratribus indicet;* inquit S. Ephrem *de vitâ spirituali.* Et S. Basilius *in Regul. fus. interrogat. 43. Si Christianæ vitæ limes eò pertendit, ut Christum imitere juxta proportionem assumptæ ab eodem carnis, ex eo, quod ad vocationem cujusq; pertinet: Sine dubio, quibus ea data provincia est, ut cæterorum duces sint, ii operâ suâ imbecillioris adhuc deducere ad Christi assimilationem debent, & eâ re beatum Paulum imitari, sic dicentem: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quibus autem virtutibus & qualitatibus potissimùm ornatus esse debeat Antistes seu Prælatus, subdit dicens: *Convenit igitur, ut qui in conventu reliquis Fratribus præest, is præceptum illud Apostoli memoriâ teneat: Exemplum esto fidelium; vitamq; suam exercendorum Domini mandatorum exemplum præbeat evidentissimum. Proinde primò ipsi observanda ea, quæ à Domino Nostro Jesu Christo tradita est submissionis animi & Humilitatis Regula: Si enim Dominus ministrare discipulis non erubuit, (Ego*

enim

enim in medio vestrum sum, inquit, sicut qui ministrat) quid est tandem, quo erga æquales nostros præstando illius imitationem assecutos nos existimare possimus? morum igitur mansuetudo, & Humilitas cordis, hæc præcipua Antistitis velut insignia sunto. Tum clementem esse ipsum oportet, & ejusmodi, qui per rerum inexperientiam in officio delinquentes, leniter sufferat; non tamen qui obtiescat ad peccata: sed immorigeros, ac detrectantes imperium, clementer toleret, & ipsis cum quantâ maximâ potest, lenitate moderationeq; medicinas adhibeat. Idoneum præterea, qui accommodata eorum morbis remedia comminiscatur & excogitet: non atrociter objurgantem, sed in mansuetudine monentem, clementerq; corripientem: eundemq; in rebus præsentibus administrandis pervigilem & attentum; in futuris prospiciendis sagacem; talemq; qui & certare cum valentibus possit, & infirmorum imbecillitates portare: cujus cùm dicta tùm facta omnia ad illorum, quorum disciplinæ præest, perfectionem pertineant. Et *in Regul. brevior. interrogat. 98.* dividit Officium Prælatorum in duas partes, quarum una respiciat Deum, altera proximum; additq;, quod in iis, quæ ad Deum spectant, gerere se debeat, *tanquam minister sit Christi, & dispensator mysteriorum Dei; metuens, nè quid præter voluntatem Dei dicat, statuatvè; aut aliquid alienum à Doctrinâ Domini judicat; aut contrà eorum, quæ grata sunt Deo aliquid prætermittat. Quod verò ad Fratres pertinet, tanquam si nutrix sit, quæ foveat*

foveat Filios suos, cupidus tradendi unicuiq; ad gloriam Dei, & communem omnium utilitatem non solùm Evangelium Dei, sed etiam animam suam Item *interrogat. 113. Cùm vir sapientissimus Salomon dixerit: Omnia tempus habent; intelligendum est, quod Humilitatis quoq; & potestatis exercendæ, & reprehensionis, & exhortationis, & reticentiæ, & libertatis, & benignitatis, & severitatis, & (ut uno verbo dicam) omnium rerum suum est tempus; ut videlicet nunc adhibenda Humilitas sit, maximè quando mutui honores, mutuaq; officia, & quæ ad corpus pertinent ministeria obsequiaq; tribui oportet: Nunc utendum potestate, quam dedit Dominus ad ædificationem, non ad destructionem; quando videlicet libertatem tempus requirit: similiterq; quando exhortatione opus est, adhibenda lenitas; contraq; ubi severitate, justa indignatio, &c.* Præclarè Innocentius Papa III. in *c. cum ad monasterium. 6 de statu Monachor. & Canonic. Regul. Abbas quantò frequentiùs poterit, sit cum Fratribus in Conventu, Vigilem coram & diligentem solicitudinem gerens de omnibus; ut de Officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem: Cùm offensa non solum propria, verùm etiam aliena de suis manibus requiratur.*

Cùm igitur in Prælato tantus virtutum solidarum apparatus, tanta ubiq; vigilantia & circumspectio, tanta sollicitudo & cura requiratur ad officium suum ritè explendum, & ad salutem æternam in statu suo consequendam, pœnaq;

pœnasq; inferni evitandas: meritò Nebridius in suo antiquario *epist.* 119. *inter summa Beneficia* collocat, quod Prælaturas effugere potuerit. *Sæpè*, inquit, *recordor Fratris mei Alipii, qui cùm aliquando periculum hoc evasissem, familiariter mihi dixit, in hoc à Deo me singulariter amatum esse*, Scilicet *rara avis est ista;* ait S. Bernardus *epist.* 248. de bono utiliq; Prælato. Et quia meliores ac humiliores officium tam periculosum suscipere refugiunt; hinc *culmen Prælationis plerumq; accipiunt, qui in charitate Dei & proximi perfecti non sunt;* inquit S. Gregorius *lib.* 4. *c.* 5. *in* 1. *Reg.* 10. Et *ille præponitur ovili Divino, qui nescit adhuc dominari spiritui suo;* uti conqueritur Nicolaus Papa *epist.* 2. *ad Michaëlem Imperatorem.* Undè præfatus Nebridius: *Si mores nostros & statuta Patrum confero, non leviter à Prælaturis abhorreo. Non omnes Gualberti sunt, qui quod alios docent, ipsi primi perfectè faciunt. Quis enumeret omnes leges, quæ pastoribus animarum à Scripturâ Divinâ, Patribus & Conciliis positæ sunt? omnium harum exigetur ratio in judicio Dei. Periclitatur Prælatus aliorum exemplis; periclitatur variis occasionibus; periclitatur fragilitate naturæ; sed maximum periculum imminet ex reddendâ ratione tàm pro suâ quàm subditorum animabus.* Cùm Cardinalis Alexandrinus, Pii Pontificis V. Nepos morti vicinus esset, ad circumstantes dixit: *Quàm in hac hora optarem, totam vitam meam in Religione meâ transegisse! sanè jam mallem, me tò-*

tâ vitâ ſerviiſſe coquo Menaſterii mei, quàm Cardinalem egiſſe; uti refert Cornelius à Lapide *in c.* 3. *Apocal.* Nullus dubito, quin plures etiam Prælati in exitu vitæ ſuæ jam optaverint, & deinceps optaturi ſint, nunquam ad tale officium perveniſſe, ſed omne tempus vitæ ſuæ in conventu tranſegiſſe, & perſonam ſimplicis Religioſi ſuſtinuiſſe. Ad quod mihi perſuadendum non parum inter alia me movet, quod ex Antonio ſenenſe refert Copenſtenius *lib.* 2. *de Roſar. c.* 16. *apud Bzovium in Annal. ad Annum Chriſti* 1380. his verbis: *In Conventu Neapolitano Divi Dominici contigit, ut poſt Completorium refectionis locum ingrederetur is, cui erat cura illius commiſſa. Qui mox in ingreſſu vidit illum Fratribus circumquaq; refertum, & illi cappas habebant indutas, & tanquam hora foret collationis faciendæ, & tanquam illum expectarent, ſedebant. Accurrit ille ſine morâ ullâ ad Priorem, & iſtud illi aperit. Prior Fratrem delirum putat, vel ſomnia narrantem: attamen dum urgetur, vadit, videt & credit. Et ille quoq; turbatur, remq; mox confert cum gravioribus & prudentioribus Monaſterii Patribus. De horum conſilio ſacras veſtes aſſumit, & ſacrum Chriſti Corpus deferendo toto Conventu commitante ſe illuc confert: & ad illum ſermone directo, honoratiore loco ſedebat, eos adjurat ut aperiant, quinam ſint? ad quid venerint? quidq; velint? Et ut adhæc reſpondeant, illis præcipit in nomine illius Domini, quem geſtabat in manibus. Ut autem Prior coram illis comparuit*

ruit

ruit cum venerabili Sacramento illi omnes assurrexerunt quidem, & capita inclinarunt; caputia tamen taliter demittentes, ut eum minimè viderent, & hoc facto iterùm sederunt. Ita jussi à Priore, ut responderent ad proposita, inclinarunt. Tandem qui inter eos videbatur præcipuus, respondens dixit: Quod omnes ipsi fuerint ejusdem Ordinis Religiosi, & pro majori parte Magistri, Priores, Superiores, Baccalaureis, Lectores, & aliis officiis donati: & quod omnes damnationis sententiam acceperint: quoniam ambitio multa, superbia, invidia, & alia hujus generis vitia dignos eos fecerint damnatione &c. Meretur autem hæc historia fidem indubitatam ex eo, quod Scriptores ejusdem sint viri non tantùm fide dignissimi, sed etiam ejusdem Ordinis membra & professi: Nam Abraham Bzovius fuit ex Ordine Dominicanorum, & Historiam hanc refert *de nonnullis Dominicanæ Familiæ*, aitq;, eam accidisse anno circiter 1380. sub Urbano Papa VI. *perseverâsse verò memoriam istius rei in illo conventu Neapalitano Divi Dominici per traditionem receptam ab antiquis.* Currant igitur ad Prælaturas, ad Prioratus, ad officia honorifica & administrationes, qui salutem animæ volunt periculo damnationis exponere? Nos eligemus esse abjecti in domo Dei, & recumbere in novissimo loco, ac cum Christo esse despecti & novissimi virorum. *Isaiæ 23.* ut nobis post mortem in alterâ vitâ dicatur: *Amice, ascende superiùs!*

§. 3.

De incremento virtutis Paupertatis.

269. DE necessitate paupertatis ad proficiendum ait S. Laurentius Justinianus *in Ligno vitæ de paupert. c. 4. Ab omni affectione & curâ per paupertatem, voluntariam omnium temporalium liberi esse debent; quatenus Deo liberiùs vacare queant. Nam Deo mundo corde vacare penitus non potest, quisquis temporalium rerum implicatur amore, & distrahitur occupatione. Spiritus est Deus, & eos, qui eum adorant, oportet in Spiritu & veritate adorare; ut unum cum Deo efficiantur, quod est proprium quiescentium, quorum vota sursùm tendunt, & quorum exercitatio spiritualis est.* Porrò in virtute paupertatis proficimus, si non tantùm patienter & æquo animo toleremus defectus in rebus necessariis v. g. in victu, vestitu, strato &c. verùm etiam insuper *hilariter, gaudenter,* cum *amore* & *delectatione* ac *lætitia animi* perferamus hujusmodi incommoditates & defectus. *Laudabile non est, pauperem esse; sed in paupertate paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter & hilariter sustinere, sufferendo etiam quædam incommoda propter paupertatis amorem;* inquit S. Vicentius *tract. de vitâ spirit. c.* 1. Quomodò S. Paulum sustinuisse incommoda paupertatis legimus, qui vixit *in fame & siti, in frigore & nuditate* 2. Corinth.

Corinth. 11. De quo etiam refert S. Chrysostomus *homil. 4. de Laudibus Pauli*, quod *sæpè necessarium non haberet cibum, nec quo se circumdaret indumentum.* Undè de se & aliis suiis coapostolis ait. 1. *Corinth. 4. Usq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Quo autem animo fuerit in hujusmodi necessitatibus, significat 2. *Corinth.* 12. dicens: *Placeo mihi in infirmatibus meis in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Quicunq; ergò experiri vult, an verè pauper sit spiritu, & an in virtute Paupertatis profecerit, is considerare debet in se, num effectibus aut comitibus sivè amicis & sodalibus Paupertatis delectari soleat, cujusmodi sunt fames, sitis, calor, frigus, fatigatio, durities, strati, & asperitas vestium; inquit Alphonsus Rodericus *de perfect. tractat. de voto paupertat.*

270. Prætereà ad incrementum & profectum Paupertatis pertinet, ut foris coram hominibus maximè sæcularibus non erubescamus pauperes & indigentes videri, sivè in vestibus, sivè in victu. Et quidem quod Religiosi non debeant verecundari ob vestes tritas & obsoletas, aut propter materiam vilem & grossam, vel etiam propter formam minus elegantem, docuit nos sanctissimus Domini Præcursor Joannes, qui fuit norma & speculum Religiosorum. De quo Matthæus scribit. *c. 3. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Un-

os. Undè S. Basilius *in Regul. fus. interrogat.* 22. *Exquirat se ipsum quisq;, utrinè magis assimilem esse Christiano homini conveniat, iisnè qui habitant in aulis Regum & mollibus vestiuntur? an nuncio & Præconi Adventus Domini, quo in natis mulierum non surrexit major? de Joanne loquor filio Zachariæ; cujus vestimentum ex setis Camelorum erat.* Sanctus Augustinus Episcopus & tantus Doctor Ecclesiæ, qui in Regulâ suis præscribit, ut *non sit notabilis habitus eorum*, neq; affectent vestibus placere, sed moribus; non erubescebat de vili indumento, sed de pretioso. Ita enim de se testatur *serm.* 50. *de Diversis.* *Fateor vobis, de pretiosâ veste erubesco; quia non decet hanc professionem.* S. Norbertus electus Episcopus Magdenburgensis tam vilibus, tritis & obsoletis indutus erat vestibus, ut propterea tanquam vile mendicabulum rejiceretur & excluderetur â janitore palatii Archiepiscopalis; uti refert Surius *in ejus vitâ ad diem.* 6. *Junii.* Vestis S. Martini Episcopi Turonensis erat de setis camelorum, teste Sulpitio in *ejus vitâ.* S. Basilii Episcopi Cæsariensis indumenta fuerunt pilosi centunculi, in quibus etiam mendicus erubesceret. Undè *in constitut. Monast. c.* 31. hortatur: *De vestimentis calceamentisvè non ea exquirenda nobis sunt elegantiora, sed quæ viliora, ea deligenda.* Et *epist.* 1. *ad Gregorium suum* ait: *Humilitas requirit, ut Habitus sit neglectus.* De S. Equitio multorum Monachorum patre testatur S. Gregorius *lib.* 1. *dialog.*

c. 4.

c. 4. quod tam vilibus indumentis veſtitus fuerit, ut ſi quis illum non agnoviſſet, ſalutatus etiam ab eo, reſulatare deſpiceret. Non eſt igitur Religioſo erubeſcendum de Paupertate in veſtitu, quam ejus profeſſio & ſtatus requirit: cùm etiam maximi Præſules & Epiſcopi ex Monaſteriis aſiumpti, in ſuo ſtatu & dignitate Eccleſiaſticâ non erubuerint indui vilibus veſtimentis, & in iis coram populo apparere. Imò magis de pretioſis veſtibus erubescere deberemus; eò quod etiam ſæculares judicent, eas voto Paupertatis & profeſſioni noſtræ minimè convenire. *Heu me miſerum qualemcunq; Monachum!* exclamat S. Bernardus *in Apolog. ad Guilielm. Abbatem. Ecce enim ipſe habitus noſter (quod & dolens dico) qui Humilitatis ſolebat eſſe inſigne, à Monachis temporis noſtri in ſignum geſtatur ſuperbiæ. Vix jam in noſtris Provinciis invenimus, quo veſtiri dignemur. Cucullam empturus luſtras urbes, fora circuis, percurris nundinas, domus ſcrutaris negotiatorum, cunctam evertis ſingulorum ſuppellectilem, ingentes explicas pannorum cumulos, attrectas digitis, admoves oculis, ſolis opponis radio; quidquid groſſum, quid quid pallidum occurrerit, reſpuis. &c.*

Quod verò Religioſi etiam non debeant erubeſcere coram ſæcularibus vel aliis quibuscunq; propter *paupertatem victûs*, pulchrè demonſtrat S. Baſilius *in Regul. fuſ. interrogat. 20. dicens: Quoniam videmus eos, qui in civili vitæ genere verſantur, humilitatem pau-*

pertatis fugere veluti rem ignominiosam, ob eam quoque causam, quotiescunque aliquis ipsis suscipiendus est hospes, epularum & copiam, & magnificentiam studiosius consectari; metuo, nè ad nos quoque furtim se istiusmodi pestis insinuet; nevè planè ii esse convincamur, quos tantoperè commendatæ à Christo Paupertatis pudeat. Quid nobis cum apparatibus sumptuosis? accessit ad nos hospes aliquis? Si Frater est, & idem nobiscum vitæ institutum habet, is domesticam suam mensam agnoscet. Accessit alius à communi vulgarique vivendi consuetudine? hinc discat ex factis, quæ ratio illi persuadere non potuit; formulam & adumbrationem hinc mutuetur vitæ frugalioris. Quod si his minimè ille permovebitur, ac potius ridiculo habebit; prorsus iterum nobis molestus non erit. Nisi vestitus etiam demutandus nobis sit, quotiescunque casus tulerit, ut in superbos ac fastigio elatos aliquos incidamus. Quod si hoc facere minus instituto nostro conveniat; illud certè multò ab honesto alienius, si ob istos delicatulos à mensæ nostræ solito ritu recesserimus. Tu quoquè cùm & largiore epularum copiâ, & exquisitâ nimis in illis ad voluptatem apparandis solertiâ in Fratre accipiendo mensæ tuæ solitum ritum immutas, sine controversiâ ipsum veluti hominem voluptatibus deditum accusas, & apparatu illo ei contumeliam infligis, nimirum qui ventris illi libidinem objicias. Adde quod hospites non rarò scandalizentur ex liberaliori & sumptuosiori mensâ apud Regulares; putant enim & judicant, quod incolæ

talis

talis loci ordinariè & quotidiè tam lautè vivant, saltem in mensâ Abbatis ; & non propter hospites, sed propter seipsos tantum fecerint ciborum apparatùm ; prout aliquoties jam putârunt, ac propterea passim Monasteria diffamârunt quidam sæculares, qui in Abbatiis liberalius quoad cibum & potum fuerunt habiti. Lege vitas Patrum, & invenies, quid hac in re contigerit cuidam Anachoretæ lautius excipienti duos Fratres peregrinos.

§. 4.

De incremento virtutis Castitatis.

271. QUamvis certissima sit doctrina Beati Joannis Climaci *grad. 15. Castitatem nostris laboribus* tantùm *& industriâ acquiri non posse.* Nihilominus ex parte nostrâ conandum est, ut Divinæ gratiæ cooperantes, ad excellentem quendam & sublimem Castitatis gradum ascendamus, in quo Deum puro ac mundo corde per contemplationem videre, & per charitativam adhæsionem unus cum eo Spiritus efficii possimus. Porrò præter duos illos gradus, quos suprà pro incipientibus & Novitiis assignavimus, supersunt adhuc alii quinq; *proficientibus* conscendendi.

Primus (alias tertius) continet eos, qui carnem suam cum concupiscentiis, adeò per abstinentiam jejunia, vigilias & labores macerârunt, subegerunt, crucifixerunt & mortificârunt, ut ordinariè jam non ampliùs moveantur

tur & concitetur aſpectu & alloquio fœminarum. Qui gradus magnæ eſt perfectionis, & diuturnam ſupponit corporis caſtigationem per labores & jejunia; cùm cæteroquin caro noſtra quaſi naturali pronitate ſtatim ad conſpectum & vocem mulieris ſoleat moveri & concitari; ut inquit Alphonſus Rodericius *de perfect. part. 3. tract. 4. c. 1. n. 17.*

Secundus proficientium gradus eſt, cùm vigilantes nè ſimplicem quidem carnis motum ampliùs patimur. Quod donum eſt perfectæ Caſtitatis.

In *Tertio* gradu exiſtunt, qui poſſunt (ſi opus ſit) de rebus lubricis in confeſſionali & extra illud tractare, illas cauſâ ſtudiorum legere, examinare &c. Corde tam ſubacto, tranquillo, & quieto, ut non magis indè moveantur, quàm ſi de lignis, äere, ſole, ſtellis &c. loquerentur.

Quartus gradus proficientium complectitur eos, qui nè quidem in ſomno & dormientes amplius illuduntur imaginationibus & phantasmatibus impuris. Quod manifeſtum ſignum eſt, non ſolùm appetitum ſenſualem prorſus eſſe devictum & ſubactum; verùm etiam nec minimam quidem ſpeciem alicujus ſpurcitiei reſidere ampliùs in memoriâ & phantaſiâ.

Quintus deniq; gradus gaudet quodammodò ſtatûs innocentiæ privilegio, ideoq; valdè paucorum eſt, eorum ſcilicet tantùm, qui diviná adjuvante gratiâ ad tantam carnis & corporis

poris puriatem aſcenderunt, ut nec vigilantes, nec dormientes ſentiant amplius illos motus, qui à cauſis naturalibus ortum habere ſolent: ſuamq; naturam ita per abſtinentiam & laborem debilitârunt, ut ſpiritui amplius caro rebellis eſſe non poſſit: Undè in carne vivunt quaſi ſine carne.

272. Media ad proficiendum in virtute Caſtitatis, prout ex dictis colligitur, præcipuè duo ſunt. *Primum* eſt oratio ad Deum pro dono Caſtitatis impetrando. *Qui ſuâ induſtriâ carnem ſuam vincere & debellare vult, in vanum currit. Niſi Dominus domum carnis deleverit, fruſtrà quispiam hanc jejunando & vigilando deſtruere nititur. Offer ante oculos Domini carnis naturalem infirmitatem; & tuam humiliatus imbecillitatem agnoſcens, prorſus ſuſcipies in intimis Caſtitatis donum;* inquit S. Joannes Climacus. *grad.* 15.

Alterum eſt caſtigatio & maceratio carnis ſeu corporis noſtri jugis & continuata, per abſtinentiam & jejunium, labores, & alias afflictiones. De quâ S. Paulus 1. *Corinth. 9. Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo.* Et S. Gregorius Naziazenus *tract. de ſilent. & jejunio: maceravi continuis laboribus carnem meam, quæ in flore ætatis recalcitrabat & bulliebat. Vici gulam ventris, & tyrannum juxta eum reſidentem. Mortificavi oculos meos; repreſſi impetum iræ; frænavi membra mea, planxi riſum. Terra mihi erat lectus, veſtis cilicium &c. per diem humeros fatigavi oneri-*

oneribus & laboribus: nocte steti quasi statua, scribens hymnos. Nullam delectationem in animum vel in cogitationem admisi. Hæc fuit ratio vitæ meæ in juvente: quia caro & sanguis instar incendii evomebant flammas, & me à via in cœlum avertere satagebant. Imò adeò necessarium est hoc medium, ut teste S. Laurentio Justiniano *Nunquam possit ad decorem attingere pudicitæ, quicunq; voracitati gulæ frena laxaverit; neq; ardentes possit concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ arctare nequiverit.* Quod etiam insinuat S. Basilius *in Regul. fus. interrogat 17.* Dum *macilentiam corporis & pallorem* dicit esse *continentiæ* sivè castitatis *adjunctum comitem.* Pallor autem hic & macilentia corporis oritur ex illius mortificatione per jejunia, labores, & vigilias.

§. 5.

De incremento virtutis Obedientiæ.

273 QUam suprà in gradu primo proposuimus, operis, voluntatis, & intellectus obedientiam; ea crescere & perfici potest ac debet in sequentibus: primò circa *objectum*, ut non tantùm voluntatem Superioris expressam & mandantem exequamur; sed etiam ejus propensioni ac nutui nos accommodemus, & ad amussim conformemus. Multa enim sunt, quæ Superiores libenter vellent à nobis fieri; nolunt tamen ea jubere & præcipere; nè o-

neroſi

neroſi nobis & graves exiſtant. Ad quæ proindè noſtra obedientia ſe extendere, & illorum imperium prævenire debet, juxta Exemplum Chriſti, qui de Obedientiâ ſuâ erga Patrem cœleſtem ait: *Ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Joan.* 8. ſivè præcepta ea ſint, ſivè non. Undè S. Thomas *2.2. q. 104. a. 2. Tantò videtur Obedientia promptior, quantò expreſſum præceptum obediendo prævenit, voluntate tamen Superioris intellectâ.* Et S. Bonaventura *c. 8. de proceſſ. Relig. Bonus obediens aliud non expectat, ubi de Superioris ſibi conſtiterit voluntate.* Item *de grad. virt. Altus gradus obedientiæ eſt, implere verbum Patris propter Deum; altior implere nutum; altiſſimus implere voluntatem, priusquàm hæc per nutum declaretur:* Eodem etiam pertinet, ut in diſtributione Obedientiarũ ſemper deſideremus nobis injungi opera illa, quæ ſunt viliora, abjectiora, & magis contemptibilia; aut quæ ſunt difficiliora, magis incommoda & moleſta; quemadmodùm Chriſtus *factus eſt Obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Philipp.* 2. Deniq; perficitur obedientia ratione objecti, ſi non tantùm ſe extendat ad ea opera, quæ in Regulis & Statutis continentur; verùm etiam reſpiciat & exequatur indifferenter ac ſine ullâ exceptione, quæcunq; injunguntur, & non involvunt peccatum. *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non coarctatur, neq; contenta anguſtiis profeſſionis; largiori ſertur voluntate in latitudinem charitatis; & ad*

omne,

omne, quod injungitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisq; animi, modum non considerans, in infinitatem extenditur; inquit S. Bernardus *lib. de dispens. & præcept.* Et S. Thomas *in 2. dist. 44. q. 2. a. 3. Subditus obedientiam, qui voti finibus continetur, noverit imperfectam; & ad hanc profitentes ex necessitate coguntur. Obedientia verò perfecta est, secundùm quam subditus simpliciter obedit in omnibus, quæ non sunt contraria legi Divinæ, vel Regulæ, quam est professus.*

274. Secundò perfici potest obedientia circa *modum* operandi & exequendi opus injunctum; ut scilicet id fiat *promptè, celeriter, & sine morâ.* Sicut ait S. Bernardus *serm. de virtut. Obedient. Verus obediens mandatum non procastinat; sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.* De antiquis Religiosis scribit Cassianus *lib. 4. Institut. c. 12. Ad sonitum pulsantis, & ad orationem seu opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis unusquisq; prorumpit. ita ut, qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat, sed in eodem puncto, quo ad aures ejus sonitus pulsantis advenerit, summâ velocitate prosiliens, nè tantum quidem moræ interponat, quantum cœpti apicis consummet effigiem; sed imperfectam lineam literæ relinquens, non tam operis compendia lucravè sectetur, quàm Obedientiæ virtutem exequi toto studio atq; æmulatione festinet.*

275.

275. Tertiò perfici poteſt obedientia circa *Perſonas*, quibus obedimus; tanto enim odio proſequi debemus noſtram propriam voluntatem, ut obediamus non ſolum legitimis Superioribus noſtris, qui Dei vices gerunt: ſed inſuper ſtudeamus voluntatem cujusvis hominis, quæ mala non ſit, potius & citius exequi quàm noſtram, atq; ita omnium voluntati in licitis morem geramus; juxta illud monitum S. Petri *epiſt. 1. c. 1. Animas veſtras caſtificantes, in obedeintia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite attentius.* Et *1. epiſt. c. 2. Subjecti eſtote omni creaturæ propter Deum.* Pulchrè S. Vincentius Ferrerius *c. 3. de vitâ Spirit. Hoc generaliter habeas pro quacunq; re temporali, per quam temporalibus neceſſitatibus deſervitur: nunquam ſequaris voluntatem propriam, ubi alium contradicere videas; quantumcunq; exorbitet à judicio rationis; ſufferens quodcunq; incommodum pro internæ mentis tranquillitate ſervandâ, quæ per tales repugnantias perturbatur, dum homo ſuo judicio adhærendo, & ſuam voluntatem adimplando, verbis vel cogitationibus, cum aliis altercatur. Non ſolum in temporalibus, ſed etiam in his, quæ ſpiritualia ſunt, vel ad ſpiritualia ordinata, alterius potius quàm tuam impleas voluntatem; dummodò ſit bona; licet tua perfectior videatur; quia majus detrimentum acquires in diminutione Humilitatis & tranquillitatis & pacis, cum aliis contendendo, quàm poſſit provenire*

venire profectus in quocunq; alio virtutis exercitio, voluntate propriâ assecutâ Et hoc intelligas, quantum ad illos, qui sunt tibi familiares exercitio Socii.

§. 6.

De profectu in passionibus edomandis.

276. NOtat S. Thomas, 1. 2. q. 77. a. 2. quod passionum & motuum appetitûs sensitivi vehementia & impetus tripliciter impediat *intellectum* in operando; quia *passio tripliciter impedit considerationem rationis: primò quidem per distractionem quandam: quia in operibus animæ requiritur quædam intentio, quæ dum per passionem vehementer applicatur ad unum, non potest alteri vehementer attendere, adeoq; distrahitur à suo actu. Secundò impedit considerationem rationis per contrarietatem; quia plerumq; passio inclinat ad contrarium hujus*, quod recta ratio proponit faciendum vel omittendum.

Tertiò per quandam immutationem corporalem, ex quâ ratio quodammodò ligatur; multi enim propter abundantiam amoris & iræ sunt in insaniam conversi. Et per hunc modum passio trahit rationem ad judicandum in Particulari contra scientiam, quam habet in universali.

Similiter juxta eundem S. Doctorem 1. 2. q. 77. a. 1. Potest vehemens passio indirectè dupliciter impedire voluntatem in operando;

Uno

Uno quidem modo secundùm abstractionem quandam. Cùm enim omnes potentiæ animæ in unâ essentiâ animæ radicentur. Necesse est, quod quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo actu impediatur, tùm quia omnis virtus ad plura dispersa fit minor; tùm quia in operibus animæ requiritur quædam attentio, quæ dum vehementer applicatur ad unum, non potest alteri vehementer attendere. Et secundùm hunc modum per quandam abstractionem, quando motus appetitus sensitivi fortificantur secundùm quamcunq; passionem, necesse est, quod remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitûs rationalis, qui est voluntas.

Alter modus tenet se *ex parte objecti voluntatis, quod est bonum ratione apprehensum: impeditur enim judicium & apprehensio rationis propter vehementem & inordinatam apprehensionem imaginationis seu phantasiæ. Manifestum est autem, quod passionem appetitûs sensitivi sequitur imaginationis apprehensio: Undè videmus, quod homines in aliquâ passione existentes, non facilè imaginationem avertant ab his, circa quæ afficiuntur. Undè per consequens, judicium rationis plerumq; sequitur passionem appetitus sensitivi; & per consequens motus voluntatis, qui natus est semper sequi judicium rationis.*

Atq; hinc facilè patet, quomodò ad perfectam intellectûs & voluntatis operationem requiratur, ut perfectam & plenam acquiramus

passionum nostrarum moderationem ac Dominium, per quod eas rationi ita subjiciamus, ut non solùm in Divinorum & Ecclesiasticorum præceptorum, atq; etiam in Regulæ & Statutorum trangressionem nullatenus nos præcipitent; verùm etiam nec pacem nostram & animi tranquillum & pacatum statum perturbent. *In pace enim perfectio est, ubi nihil repugnat*; inquit S. Augustinus *lib* 1. *de serm. Dom. c.* 2. *Et ideo Filii Dei pacifici; quoniam nihil in his resistit Deo. Pacifici autem in seipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalesq; concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo sunt ita ordinata omnia, ut id, quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt in nobis bestiisq; communia. Et hæc est pax, quæ datur in terrâ hominibus bonæ voluntatis: hæc vita perfecti consummatiq; sapientis. Et infrà: Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia. nullusq; motus adversus rationem rebellis est; sed cuncta obtemperant spiritui hominis.*

277. Quapropter præter illa, quæ superius pro *incipientibus* & Novitiis de moderatione passionum statuimus, pertinet ad *proficientes* primò, ut nullam voluntariam negligentiam committant in repressione passionis cujuscunque, contra rectam rationem exurgentis, sed statim in principio strenuè contra eam se opponant, & fortiter illam reprimendo compescant.

Secundò

Secundò ut in illis ordinariè aut sæpè non exurgant involuntarii affectus passionum, qui vehementer mentem eorum inquietent & perturbent; quemadmodùm homines imperfectos sæpè ita perturbant passiones iræ, vel tristitiæ, ut non possint ab illis tam citò liberari, & diu alterentur toto corpore, etiam quandoq; cùm detrimento sanitatis & somni. *Tertiò*, ut passionibus etiam non vehementibus & inquietantibus rarò infestentur, idq; non diu; ita ut illas quasi non sentiant. Quemadmodùm S. Dorotheus *serm. 1.* refert, *Antonium, Pachomium, Macarium non solùm à passionum operationibus & actibus abstinuisse; sed passiones quoq; ipsas radicitus evellere, & impassibiles omninò fieri studuisse;* non quidem impassibilitate stoicâ, sed tali, quæ sita est in perpetuâ animi tranquillitate, excludente frequentes & diuturnos motus inordinatos. *Quartò*, ut ab illis passionibus, à quibus anteà perturbabantur, nunquam deinceps infestentur, nè quidem per motum primò primum. v. g. Sentit quis passiones carnalis amoris, & tentationes indè ortas erga formosas personas ad primum earum aspectum vel colloquium cum illis: talis si posteà in necessariis & diuturnis colloquis vel aspectibus nullam prorsus sentiat inordinati erga eas personas amoris passionem, nullamq; tentationem carnis, imò nè fœdum in corpore motum, adeptus jam censetur quartum hunc in moderandis passionibus gradum. *Quintò*, ut motus passionis ordinatus justâ de causâ ex imperio rationis

& voluntatis concitatus, postquam eo usi sunt quantum satis erat, statim iterum conquiescat, & relinquat eos in tali quiete, & statu pacifico ac læto, qualem possidebant ante passionem illam à se excitatam. In quo consistit perfectum Dominium passionum.

278. Media autem pertingendi ad plenum hoc Dominium, sunt potissimùm sequentia: *Primum* est frequens usus Sacramenti Eucharistiæ; quia hæc teste S. Thoma 2. *part. q.* 79. *a.* 6. *ad* 3. *Carnis fomitem imminuit.* Et, ut inquit S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 4. *in Joann.* 17. *Perturbationes animi extinguit.* Secundum est, ut primitus in parvis nos exerceamus. & sic paulatim nos assuefaciamus ad resistendum motibus Appetitûs sensitivi in nobis exurgere incipientibus. *In omnibus actibus à facilibus quis ad majora venit, multò priùs discens faciliora*; inquit S. Chrysostomus *homil.* 27. *ad popul.* Et S. Bernardus *serm.* 1. *de S. Andreâ. Nemo repentè fit summus: ascendendo, non volando apprehenditur summitas Scalæ.* Nam *Sanctorum conversationē velle quempiam repentè totam imitari, irrationabile simul est & impossibile;* ut inquit S. Joannes Climacus *grad.* 4. *Nemo unquam repentè uno simul passu scalæ gradus omnes conscendere potuit*; teste eodem *grad.* 25. Deniq; S. Laurentius Justinianus *serm. in fest. SS. Innocent. Nemo ad perfectionis valet vastigium scandere, nisi mediante progressu. Materialia videmus construi ædificia non repentè, sed paulatim. Pueri quoq; ab Eruditoribus suis literis imbuuntur, & ex quo-*

quotidianâ assiduitate studendi efficiuntur docti. Quomodò autem paulatim passiones nostras in parvis & minimis rebus reprimendo, perveniamus tandem ad perfectum earundem passionum Dominium, practicè ostendit S. Dorotheus *serm.* 1. dicens: *Nec quisquam hoc putet arduum & difficile; cùm brevi compendio & spatio quis seipsum possit & velit decies abnegare. Quod, quo pacto fiat, edocebo: obambulat aliquis, & quippiam conspicatus, persuadetur à cogitatione, ut id advertat; at is cogitationi & non bonæ persuasioni repugnat, seq; avertit. Rursum juvenis quis magis & vanis rumoribus occupatur; persuadet, ut quoque se turbæ immisceat, & verba pariter inferat, negat id se acturum, & aversus aliò, propriam voluntatem abscindit. Item occurrit illi, ut coquum adeat, interrogetque, quid paret obsonii? non adit, ac se cohibet. Cernit aliquid in culinâ; quis illud attulerit, sollicitatur interrogare; comprimit appetitum & vocem, & nihil percunctatur. Sicque dum parva quæque præcidit, sensim quacunq; advenientia præcidere consuescit. Et quid quid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua evenisset. Cùmq; nullam affectionem habeat, omninò tandem ad impassibilitatem animi perducitur. Adverte igitur, quantum pusillum hoc nos proficere faciat.* S. Augustinus etiam *serm.* 20. *de Sanctis* docet, hominem debere *litigare quotidiè sua, contra vitia increpare se quâdam censurâ austeritatis, & rixam quodammodò cum homine interiore conferere;*

voluntates proprias abnegare. Econtrà nunquam plenam passionum & motuum suorum moderationem assequetur, qui sibi non quotidiè vim infert; sed *est, cum quibus vult; pergit, quo vult; dormit, quando & quamdiu vult; loquitur, quæ vult, & ubi vult; manducat & bibit, quando & quod vult, & quantum vult; ridet ac lætatur inter quos vult; postremò quidquid naribus suave est, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid cæteris sensibus carnis suæ jucundum, exercet ac sequitur, qualiter vult;* ut inquit S. Prosper *lib. 3. de vitâ contemplat. c. 1.*

Tertium medium est, ut, cùm ad quotidianam contra passiones nostras luctam requiratur ardor & desiderium proficiendi, inclinatio ad virtutem, & fervor charitatis, ante omnia caveamus peccata quæcunq; plenè voluntaria & deliberata, etiam minima; *Peccata enim venialia sunt impedimenta spiritualis profectûs*; teste S. Thomâ *3. part. q. 87. a. 1. ad. 1, Et disponunt ad mortalia, juxta eundem 1. 2. q. 88. a. 3. ad. 1. Et retardant, nè animus hominis promptè feratur in Deum. 3. part. q. 87. a. 1. Et impediunt actus virtutum. 1. 2. q. 89. a. 1. Et diminuunt inclinationem ad virtutem. 1. 2. q. 85. a. 1. Et diminuunt fervorem charitatis 3. part. q. 79. a. 4.*

§. 7.

§. 7.
De profectu in moderando & coërcendo Intellectu.

279. DIximus ſuprà ex D. Thomâ 1. 2. *q.* 77. *a.* 1. *quod motus voluntatis ſequatur judicium rationis*: quia voluntas potentia cœca eſt, non poteſt ferri in incognitum; adeoq; ſicut appetitus ſenſitivus pro duce habet ſenſum & potentiam cognoſcitivam materialem; ita appetitus rationalis ſivè voluntas ſequitur potentiam cognoſcitivam ſpiritualem, nempè intellectum. Undè Chriſtus de hoc mentis oculo ait *Luc.* 11. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; Si autem nequam fuerit; etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergò, nè lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.* Nam *cœcus, ſi cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Inquit idem *Matth.* 15. Et S. Paulus *Epheſ.* 4. Peccata abominanda, quæ gentiles admiſerunt, obſcurato eorum intellectui adſcribit, dicens: *Iam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſûs ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati â vitâ Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cœcitatem cordis ipſorum.* Ut igitur rectè operemur, neceſſe eſt, ita rectificare & moderari intellectũ, ut voluntati nihil proponat amandum & proſequendum, quod divinâ aut humanâ lege eſt prohibitum, aut quod vanum inutile, & ſpiritualis profectus eſt impeditivum

Porrò præter ea, quæ suprà attulimus in primò gradu pro *ineipientibus* de abnegatione proprii judicii in obediendo, & de illuminatione intellectus per lectionem piorum librorum, colloquia spiritualia, & meditationem, agendum hic erit de remotione duorum obstaculorum, quæ ex parte intellectûs valdè profectui spirituali obsistunt.

Primum est *curiositas* intellectûs in cognoscendis sivè addiscendis rebus inutilibus, quando scilicet intellectus intendit talium rerum studiis & scientiis, quæ ad finem & scopum vocationis nostræ planè nihil faciunt. Quod vitium sumoperè cavendum est illis, qui vitam ex contemplativâ & activâ mixtam profitentur: nè tempus illud, quod Sacræ Scripturæ lectioni, studio Theologiæ, & concionibus sacris componendis esset impendendum, ipsi profanis & vanis, curiosis, inutilibus, ac supervacaneis scientiis impendant; Sicut conqueritur S. Hieronymus *Epist. ad Damasum Papam*, dicens: *Sacerdotes dimissis Evangeliis & Prophetis videmus comœdias legere, & amatoria Bucolicorum versuum verba cantare.* Sanè ipse Damasus ad eundem Hieronymum scribens, testatur, se libros Lactantii non libenter legere; quia *rarò de nostro dogmate disputant*; & quæ ibi continentur, *Scholasticis magis sunt apta, quàm nobis*, utpotè *de metris, & regionum situ, & philosophis disputantia.* S. Bernardus *serm. 36. in Cantic.* variorum hominum studia recensens, ait: *Sunt, qui scire volunt, eo tantùm fine, ut*

sciant;

sciant; & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi; & turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causâ pro honoribus; & turpis quæstus est. Sed sunt quoq; qui scire volunt, ut ædificent; & charitas est. S. Augustinus deniq; *epist. 56. ad Dioscor.* vocat *imperitissimam scientiam, dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras senserint, & cæteri hujusmodi; cùm hoc à verâ doctrinâ & eruditione longè absit.* Et *lib. 5. confess. c. 3.* De scientiâ Astrologicâ ait: *Mirantur homines Astrologica; & stupent, qui ea nesciunt; & exultant atq; extolluntur, qui sciunt. Ante Solis defectum futurum prævident; & in præsentia suum non vident.* Item *c. 4. Nunquid Domine Deus veritatis, quisquis novit ista, jam placet tibi? Beatus, qui te scit; etiamsi illa nesciat. Qui verò & te & illa novit; non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est. Qui quasi nihil habens, omnia possidet inhærendo tibi, quamvis pyros cæli nesciat, melior est, quàm mensor cæli, numerator syderum, pensor elementorum & negligens sui.*

280. Alterum est *curiositas* in aliorum vitâ, moribus, & factis inquirendis, & dijudicandis. De quâ Christus Matth. 7. *Quid vides festucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides?* Et Apostolus *Roman. 14. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Quid judicas fratrem tuum? aut quid spernis fratrem tuum? omnes*

enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. S. Baſilius *ſerm. de Abdicat.* hortatur: *Etſi multi multis in rebus errata commiſerint, parvaeq; ac magna, in iiſq; pertinaciter perſeverent; nolito tu alienorum te erratorum judicem conſtituere: habent enim ipſi judicem juſtum, qui reddit unicuiq; ſecundum opera ſua.* Quod intellige de illis, quæ manifeſtè non ſunt mala, ſed poſſunt bono & malo animo fieri; Sicut ait S. Auguſtinus in illud *Roman. 24. Tu quis es &c. In his rebus, quæ & poſſunt bono animo fieri, & malo, non audeamus de alterius corde, quod non videmus, ferre ſententiam: in his autem rebus, quas bono & caſto animo fieri non poſſe manifeſtum eſt, non improbatur, ſi judicemus.* Quin & tunc fraternam correctionem erranti impendere tenemur, ſi delictum mortale ſit certum; nec alius ſit, qui ipſum corrigat; & ipſe ſine correctione non credatur ſe emendaturus, correctus autem prudenter ſperetur ad meliorem frugem ſe recepturus. De quâ correctione fraternâ ſuo loco dicemus. Quod ſi alius fuerit conſtitutus, qui ſingulorum actus ſollicitè obſervet, & corrigat, aut ſi delictum non ſit certum; tu *cave alienæ conſervationis eſſe temerarius judex. Etiamſi perperàm actum quid deprehenderis, nec ſic judices proximum; magis autem excuſa intentionem, ſi opus non potes; puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum aut vehementem nimis tentationem*; inquit S. Bernardus *ſerm. 4. in Cantica.* Nam *quid tibi ipſi negotia plectis? quid curioſus es? ſi Deus ita ordi-*

ordinâſſet, ut percunctaremur vitas, & expoſceremus pœnas, & curioſè aliorum mores diſcuteremus, annon multi gravatim & apud ſeipſos dicerent: Quidnam eſt hoc? difficilem rem nobis Deus præſcripſit; non enim poſſumus aliorum vitam inquirere; Siquidem ignoramus, quid admiſerint: Nunc verò cùm omni hac curioſitate nos liberaverit, nobis ipſis negotium facimus; & per hoc noſmetipſos negligimus. Unde Chriſtus ad Petrum curioſè de vitâ & morte Joannis Apoſtoli inquirentem & dicentem: *Hic autem quid?* ait: *quid ad te? Tu me ſequere. Joan. 21.*

Porrò medium primum & efficaciſſimum ad evitandam hanc noſtri intellectus curioſitatem eſt, ut cogitationes noſtras convertamus ad nos ipſos, & ſolliciti ſimus, quomodò defectus noſtros proprios deprehendamus & emendemus; Sicut monet S. Chryſoſtomus *ſerm. in illud Pauli: Salutate Priſcam* &c. dicens: *Noſtram ipſorum vitam ſingulis diebus diligenter ſcrutemur: aliorum autem vitam ei, qui etiam incognita novit, judicandam relinquamus.* Hac enim ratione fiet, ut tempus pro alienâ vitâ & moribus inveſtigandis non ſuperſit nobis; & propter multiplices & enormes defectus noſtros non audeamus leviores aliorum defectus perſtringere; Sicut accidiſſe legimus illis Judæis, qui mulierem peccatricem apud Chriſtum accuſabant. *Joann. 8.* Cùm enim vehementius inſtarent, ut Chriſtus pœnam & ſupplicium in illam decerneret; is verò

rò responderet : *Qui sine peccato est vestrùm, primus in illam lapidem mittat, ac prætereà se* inclinans, singulorum peccata in terrâ describeret, & oculis eorum objiceret; *unus post unum exibant, incipientes à Senioribus;* nec ulterius de mulieris peccato puniendo verba faciebant. *Væ tibi tuæ, nigræ dicebat cacabus ollæ;* quia non agnoscebat propriam suam nigredinem, quæ major & deformior erat, quàm nigredo ollæ. Et Christus *Matth. 7. Quomodò dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo?*

Secundum medium est, ut intellectui nostro circa interiorem aliorum hominum constitutionem & animi statum cognoscendum diffidamus, & de errore suspectum habeamus. *Homo videt ea, quæ apparent: Dominus autem intuetur cor.* 1. *Reg.* 16. Et *Jeremiæ* 17. *Pravum est cor omnium & inscrutabile; quis cognoscet illud?* Undè Apostolus monet. 1. *Corinth.* 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* Quod si quis velit experimentaliter discere, quàm facilè possit intellectus humanus errare circa internam animi constitutionem in aliis cognoscendam; is tantùm se reflectat supra seipsum, & recogitet, quoties alii circa ipsum in suspicando & judicando erraverint, quàm sæpè in malam partem interpretati fuerint, quod ipse optimâ ex intentione fecerat; quoties etiam suspicati sint, de quo ipse nunquam cogitavit.

Legat

Legat Hiſtoriam Evangelicam; & videbit, quàm graviter in judicando erraverint, Sacerdotes, Phariſæi, & Scribæ circa Chriſtum & Præcurſorem ejus Joannem: cùm tamen putarent ſe conformiter S. Scripturæ judicare. Tutiùs igitur & ſecuriùs procedit, qui de omnibus benè, quàm qui de uno aliquo malè ſentit. *Nam qui proclivior eſt ad bene credendum de homine, quàm ad malè ſuſpicandum, non ſe multùm dolet errare, cùm benè credit etiam de malo. Periculoſum eſt autem, cùm quis malè ſenſerit fortè de bonè, neſciens qualis ſit. Quid perdo, ſi credo, quia bonus eſt; Si incertum, utrùm ſit malus?* inquit S. Auguſtinus *in Pſalm.* 147.

Tertium medium eſt charitas erga proximum: Nam quem veraciter diligimus, illius verba & facta non ſiniſtrè interpretamur, ſed àculpâ excuſamus, & in bonam partem trahimus; quia *charitas non cogitat malum.* 1. *Corinth.* 13. Sicut experimur in parentibus, qui ſæpè in liberis ſuis laudant & approbant etiam illa, quæ alii homines vituperant & carpunt.

§. 8.

De profectu in modo & ratione meditandi.

281. Quatuor modis ſivè exercitiis potiſſimùm accedimus ad Deum, teſte S. Bernardo, *Lectione* ſcilicet, *meditatione*, *Oratione*, & *contemplatione*. Per ipſum verò amoris exercitium

ercitium Anima Deo plenè conjungitur, unitur, & adhæret. De Lectione jam ſuprà in primo gradu pluribus egi: Quibus hic ſolum ex Ludovico Granatenſi. *De perfect. Amoris Dei* addendum, quod inter lectiones ea plus faciat ad conjunctionem cum Deo, *quæ magis eſt affectuoſa, devota, & plus habet Amoris Divini;* cujusmodi eſt lectio *meditationum S. Auguſtini, ſtimuli Amoris S. Bonaventuræ &c.* De meditatione & reliquis dicam in ſequentibus. Itaq; quamvis ſuadendum ſit *incipientibus* & Tyronibus, ut meditationes ſuas quotidianas deſumant ex aliquo libro jam formatas, & in ſua puncta ab Authore libri diſtributas. Nihil ominus poſtquam uſum & praxin meditandi ſatis didicerunt, & in eâ arte ſe diu exercuerunt, non eſt amplius neceſſe hujusmodi libris inhærere; ſed poſſunt ipſi materias fini & intentioni ſuæ convenientes ſibi juxta ſpiritualem ſuam indigentiam & neceſſitatem, aut utilitatem ſeligere, & meliori modo diſponere v. g. ad profectum faciendum in Humilitate poſſunt ſibi pro meditatione aſſumere Hiſtoriam illam Chriſti, apud Joann. c. 13. lavantis pedes diſcipulorum. Pro incremento Paupertatis ſerviet textus Matth. *8. Filius hominis non habet, ubi caput reclinet &c.* Ad perfectam obedientiam obtinendam accommodatus erit pro meditatione textus S. Pauli *Philipp. 2. Factus eſt obediens uſq; ad mortem.* Et ſic de reliquis. Vide ſententias ſuprà allatas ex S. Scripturâ contrà tentationes frequentiores. Modus autem & ratio

ratio procedendi in meditatione poterit esse vel per *puncta plura*, sicut tradidimus suprà in gradu primo: vel sine punctis per *considerationem personarum* in mysterio aliquo Fidei occurrentium; aut per *considerationem Actionis*; aut plurium Actionum personæ, vel personarum; aut per *expensionem verborum* personæ; vel textuum & sententiarum S. Scripturæ. Circa *personas* considerari possunt earum Nomina; quomodò S. Bernardus *serm. 1. super Missus est* expendit Nomina Angeli Gabrielis, civitatis Nazareth, Josephi, Beatæ Virginis &c. dicens: *Quid sibi voluit Evangelista tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? putasnè aliquid horum supervacuè positum sit? nequaquàm: plena quippè sunt omnia supernis Mysteriis &c.* Secundò possunt considerari ætas, status, Officium, Bona externa, corporis & animi constitutio &c. Sicut facit S. Ambrosius *in Lucam*, dum ait: *Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus Joannes exultat, vidua confitetur, Justus expectat &c.* Item S. Hieronymus *in c. 19. Matth. Petrus piscator erat, cibos manu & arte quærebat; & tamen loquitur confidenter: Ecce nos reliquimus omnia &c.*

Circa *Actiones* personarum & circumstantias Actionum possunt considerari sequentia: Primò *Finis*, quis & qualis fuerit, bonus an malus &c. Secundò *causa efficiens* Actionum, physica, vel moralis; cujusmodi est Imperans con-

consulens &c. Tertiò *qualitas* Actionum, an fuerint crudeles, voluntariæ &c. Quartò *locus*, in quo exercitæ sunt Actiones v. g. Flagellatio Christi in atrio Pilati, captivitas in horto, crucifixio in monte Calvariæ. Quintò *tempus*, in quo Actio aliqua contigit, v. g. Nativitas Christi in hyeme, mors & Resurrectio in vere, prædicatio in anno ætatis trigesimo &c.

Circa *Verba* & locutiones personarum, vel circa sententias S. Scripturæ præsupponendum est, quod nullum sit verbum in omnibus Libris & capitulis Bibliorum redundans & superfluum. *Nihil temerè & fortuitò loquitur Divina Scriptura; sed & Syllaba & apiculus reconditum habet thesaurum;* inquit S. Chrysostomus *homil.* 18. *in Genes.* Et S. Gregorius Nyssenus *de Gen. hom. Grave nefas est dicere, in Scripturâ verbum aliquod redundare.* Item S. Bernardus *serm. 1. super missus est: Si nec folium de arbore sine causâ, nec unus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit super terram: putem ego, de ore Sancti Evangelistæ superfluum diffluere verbum? Non puto: plena quippè sunt omnia supernis mysteriis.* Hoc præsuppositio rectè concluditur, in meditatione & consideratione cujusvis sententiæ Divinæ Scripturæ nullum verbum esse transiliendum quasi superfluum, aut impertinens, aut inutile, sed omnia & singula verba esse accuratè examinanda & perpendenda, imò & syllabas verborum; Sicut ait S. Basilius *lib. 1. de Spiritu Sancto: Nobis præscriptum est, ut si-*

miles

miles efficiamur Deo, quatenus humanæ naturæ fas est. Porrò *similitudo non est absq; cognitione. Cognitio verò doctrinâ paratur. Doctrinæ autem initium est Oratio. Orationis partes sunt dictiones & Syllabæ. Proindè Syllabas excutere non est aberrare à scopo. Quod si quis ridet nostram circa Syllabas (ut Psalmi utar verbis) nugacitatem; ipse quidem infrugiferum risûs sui fructum metet: Nos verò haud unquam cedentes hominum convitiis, nec illorum vituperatione dejecti, vestigandi studium deseremus.* Et S. Chrysostomus *homil. 28. in Genes. Non putetis obsecro, hoc absq; causâ fuisse adjectum. Nihil enim est in Divinâ Scripturâ, quod non aliquâ ratione dictum sit: quod & non latentem in se habeat utilitatem.* Undè non est putandum, in Divinis Scriptutis usurpari Synonyma ad ornatum; uti faciunt Scriptores prophani: sed omnia verba etiam minutissima significant aliquod mysterium, & præbent occasionem eruendi alicujus conceptûs boni; ideoq; perpendenda sunt singillatim, & ordinatè; ac post quam libet voculam per intellectum expensam applicanda est voluntas, ut *affectum* indè bonum eliciat, vel Amoris, vel timoris, vel doloris de peccatis, vel desiderii Bonorum cœlestium &c. *propositumq;* concipiat emendationis, perfectionis &c.

Porrò notat Ludovicus Granatensis suprà, quod inter meditationes eæ sint utiliores ad conjungendam cum Deo animam, quæ versantur circa Beneficia, & Perfectiones Dei, omniaq;

niaq; alia, quæ possunt in nobis amorem Divinum accendere. Cujusmodi meditationes plures adfert idem Author *lib. cit. circa finem.*

§. 9.

De profectu in modo orandi.

282. PEr *orationem* hic intelligitur brevis & frequens ad Deum *aspiratio*; cujus juge exercitium valet plurimùm ad unionem cum Deo; sicut cum aliis Scriptoribus illuminatissimis testatur Cardinalis Bona *in viâ compendij ad Deum c. 5.* Undè quidam Doctor apud Ludovicum Granatensem *suprà* ait: *Etsi multæ viæ sunt, quibus ad perfectionem pervenitur; tamen compendiosissima & efficacissima est hæc, quam docet S. Dionysius & multi alii post illum nempè elevare cor nostrum ad Deum cum affectibus & desideriis amore ipsius inflammatis, conversando cum eo, & cum eo colloquendo, incedendo semper collectis animæ viribus in illius conspectu, & eliciendo ex omnibus rebus incentiva quædam ad illum meliùs cognoscendum, & ferventiùs amandum.* Sunt autem *aspirationes* nihil aliud, quàm brevissimæ quædam orationes, sivè mente solâ, sivè mente simul ac ore conceptæ, & prolatæ; quibus debet anima fidelis in quovis loco & tempore assuescere, & frequenter incumbere, cor suum & voluntatem ad Deũ erigens die ac nocte, domi & foris, sedens & ambulans, in quovis negotio, in quavis actione,

& occupatione; quantum scilicet humana infirmitas & vitæ præsentis conditio permittit. Dicuntur *aspirationes*; quia illis aspiramus ad Deũ, & nihil nisi Deum spiramus. Dicuntur quoq; *motus Anagogici*; id est, sursum ducentes; quia nos à rebus terrenis abducunt, & ad superna levant, ac tandem ad beatam cum Deo unionem evehunt. Dicuntur etiam *orationes jaculatoriæ*; quia instar jaculorum & sagittarum velocissimè eas jaculamur ad Deum. Dicuntur deniq; *Affectus*; quia sunt affectiones cordis, desideria, ac proposita voluntatis. Undè Victor Geleníus *in summâ Pract. mysticæ Theologiæ*, aspirationem *definit*, quod sit *expeditus affectus erga Deum ut Summum Bonum*. Traditq; primum statum, per quem anima transire debet, antequam perveniat ad culmen sanctitatis, esse statum *meditationis*, secundum *aspirationis*, & tertium *contemplationis*: Nam exercitium hoc aspirationum illis præsertim convenit, qni animam à vitiis jam expurgârunt, & aliqualiter in exercitio meditationis ptofecerunt. Postquàm enim anima à sæculi affectu per meditationis exercitationem abducta fuerit, ita ut sentiat Divinum in se ignem accensum; tunc relicto statu meditationis transit ad statum *Aspirationis*; post quem demùm ad *contemplationem* pertingit; uti advertit memoratus Cardinalis Bona *suprà c. 7.*

283. Porrò ad Exercitium *Aspirationum* facilitandum requiruntur sequentia: *Primum* est memoria & recordatio præsentiæ Dei; nam ad

præsentem non est difficile nobis loqui & aspirare. Non est autem necesse, ut per hanc recogitationem Divinæ præsentiæ caput sivè cerebrum & phantasiam nostram fatigemus; sicut imperiti quidam faciunt, & per hoc imaginationem suam lædunt: Sed sufficit per actualem fidem apprehendere immensitatem Dei, quâ cœlum & terram implet; scientiam ejus infinitam, quâ cuncta videt & penetrat; & concursum illius ad omnes nostras operationes. Undè Ludovicus Granatensis postquàm monuit, hominem debere in semetipso extruere oratorium, in quo semper vacet Deo, & in præsentia Dei versetur; subdit, hoc non esse faciendum cum impetu & violentiâ, sed cum tranquillitate, & simplicitate; inclinando suaviter spiritum ad supremam illam Deitatem.

Secundum est tranquillus, pacatus, quietus, & serenus animi status; qui supponit perfectam abnegationem, & nuditatem ab omnibus imaginibus, formis, & speciebus creaturarum; fugam curiositatum, inutilium sermonum, humanarum consolationum, & vanarum occupationum; mentem liberam & expeditam ab omni terrenâ delectatione, desiderio proficiendi; lectionem spiritualem; collocutionem de rebus Divinis; silentium &c. Nam quælibet vel minima inordinatio, quicunq; tenuissimus affectus erga creaturam aliquam, quævis exterior distractio moram injiciunt Animæ ad unionem cum Deo properandi.

Tertium est, ut, si initium hujus exercitii videatur

deatur nobis difficile, propter naturæ noſtræ inſtabilitatem, & liberè evagandi conſuetudinem, non propterea animum abjiciamus, & ab incepto deſiſtamus; ſed conſtanter & fortiter conemur per aſſiduum laborem vincere difficultatem, donec conſuetudo in animo fuerit ſtabilita, & quaſi in naturam tranſierit. Ad quod plurimùm valebit, & maximè neceſſarium eſt, Gratiæ Divinæ auxilium quotidiè implorare: quia *ſuprà vires hominis eſt, ſerere cum Deo colloquium, niſi adſit vis & actus Spiritûs Sancti;* ut inquit S. Chryſoſtomus *apud Cardinalem Bonam ſuprà*; Qui etiam addit, eum, qui ex hac ſaluberrimâ exercitatione überes fructus percipere cupit, nullâ unquam die, imò nullâ horâ, ſi fieri poſſit, intermittere eam debere, juxta illud monitum Chriſti *Luc.* 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Et S. Pauli 1. *Theſſal.* 5. *Sine intermiſſione orate.* Quod intelligendum non de quolibet momento & puncto, aut ſub quâlibet occupatione; quia ſunt quædam occupationes, exigentes vehementem mentis applicationem & advertentiam, quæ non ſimul compatiuntur actualem elevationem & aſpirationem animi; cujusmodi ſunt ſtudia litterarum, & liberalium artium tractatio; undè in illis ſufficit mentem antecedenter ad Deum elevâſſe, & eandem per ſanctam intentionem ex motivo charitatis elicitam Deo univiſſe. In aliis tamen monet Granatenſis ſuprà. Nos nunquam debere eſſe totos in re aliquâ & negotio externo; ſed ſemper reſervandam

esse Deo aliquam partem animi non occupatam, ita ut semper maneat cordis particula, quæ Deum respiciat, eum cogitet, & ad eum aspiret.

284. Fontes *aspirationum*, è quibus elici possunt & hauriri, sunt plures, videlicet consideratio cœlestis Patriæ, tædium miseræ hujus vitæ, desiderium Deum videndi, magnitudo Divinæ Bonitatis & misericordiæ, Dei Sapientia, potentia cœteræq; perfectiones, dolor de peccatis, affectus gratitudinis, passio Salvatoris, amor erga Deum, amor Dei erga nos, Divinæ Providentiæ admiratio, zelus animarum, & desiderium patiendi pro Christo. Quibus accedunt Actus abnegationis, pœnitentiæ, charitatis, Humilitatis, & cœterarum virtutum. Verba autem & affectus desumi possunt vel ex Sacrâ Scripturâ, maximè ex Psalmis, qui hujusmodi affectibus abundant; vel ex Sanctis Patribus, dicendo v. g. cum S. Augustino: *Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua! &c.* Cujus Sanctissimi Patris Confessiones, Soliloquia, Manuale, Meditationes copiosissimam materiam submini strant. Vide plurimas Aspirationum formulas collectas, & in decades distributas ab illustrissimo Cardinale Bonâ *in viâ compendii ad Deum;* quæ inexpertis, vel aridis magnum subsidium conferunt.

§. 10.
De contemplatione.

285. COntemplatio opus & occupatio est *perfectorum*; ad quam pervenitur non industriâ

dustriâ & labore nostro (Dei enim gratuitum donum est) sed Spiritûs Sancti gratiâ, & mediantibus ejus donis; ita ut causa proxima contemplationis sint *donum Sapientiæ* quod confert intellectui nostro cognitionem altissimam & simplicissimâ rerum divinarũ cum quâdam mirabili suavitate, sapore & dulcedine: *Donum intellectûs*, quod nostro intellectui superaditur, ut res Fidei intimiùs penetret & sublimiùs apprehendat: *Donum scientiæ*, quod veritates Fidei manifestat rationibus capacitati nostræ accommodatis &c. Prærequiritur tamen etiam conatus noster in abnegatione, mortificatione, meditatione, exercitio præsentiæ Dei, & praxi Aspirationum; quibus ritè præmissis, ad fores Divinæ Sapientiæ cum magnâ longanimitate & constantiâ pulsare oportet, quo usq; ad ipsius contemplationem introducamur, ac tandem ad arcanam cum Deo unionem elevemur; quæ *unio* finis est contemplationis, & vitæ hujus mortalis suprema Beatitudo. Observat autem Gelenius *in praxi mysticæ Theolog.* Et ex eo Cardinalis Bona *suprà c. 9. n. 2* pium exercitatorem vix ultra annum detineri in statu Aspirationis; eoq; spatio emenso eum transire ad firmum intuitum contemplationis. Imò si quis gratiâ abundantiori â Deo præventus & illustratus fuerit, brevissimo tempore & intra duos menses ad magnam perveniet contemplationem; uti mystici nonnulli asseverant. Errant verò graviter, & seipsos decipiunt, qui parùm memores vicissitudinis humanæ, & inconstan-

tis naturæ, feruntur impatientissimo desiderio ad Deum, quasi velint omnia Divina quodammodò deglutire. Nam tales mox defatigati deficiunt, & internam serenitatem ad contemplationem adeò necessariam perdunt. Errant præterea, qui inconsultò statum Aspirationis ante tempus deserunt, & ad statum contemplationis transire volunt: quia cùm humilitate & consilio careant, præcipitio & ruinæ proximi existunt. Utrùm verò quis ab Aspiratione debeat transire ad contemplationem, colligere potest ex hoc indicio, si experientiâ ipsi constet, quod orationes jaculatoriæ solito ardore destituantur, & quod interna dispositio inclinet ad intuitus & inhæsiones spirituales, quasi ad quietem mentalem non per gustum transeuntem, sed permanentem & perseverantem.

286. Porrò definitur *contemplatio* ab Authore libri de spiritu & animâ inter opera D. Augustini, quod sit *perspicuæ veritatis jucunda admiratio.* S. Bernardus ait: *Contemplatio est verus certusq; intuitus animi de quacunq; re; sivè apprehensio veri non dubia.* Breviùs S. Thomas: *Contemplatio est Divinæ veritatis simplex intuitus.* Fusiùs alii: *contemplatio est intuitio clara & quieta Divinorum; voluntatem ad perfectum amorem inflammans.* Fusissimè denique; Jacobus Alvarez: *Contemplatio est liber, perspicax & certus intuitus Dei, & rerum cœlestium admirationem inferens, in amorem desinens, & examore procedens.* Dicitur primò *intuitus;* quia in contemplatione non discurritur ad inquirendam

dam veritatem; Sicut in meditatione facimus; sed contemplatio veritatem simpliciter & absq; discursu inspicit. Dicitur secundò *intuitus liber*, scilicet ratione hominis contemplantis, qui debet esse liber non tantùm à peccatis, sed etiam ab affectibus inordinatis, & à curis superfluis. Item ratione actûs; quia animus à rebus terrenis expeditus, quasi avis in aëre liberimo motu vagatur, quocunq; Deus illum fert. Dicitur tertiò *iutuitus perspicax*, id est, clarus, apertus, & conspicuus, non quidem in lumine gloriæ, sed in lumine fidei; quam fidem lux sapientiæ perficit & exacuit. Dicitur quartò *intuitus certus*; quia de rebus divinis eò certiores reddimur, quò clarius eas perspicimus. Dicitur quintò Dei, ac *rerum cœlestium intuitus*; ut significetur objectum contemplationis, quod est Deus in essentiâ unus, in personis trinus, infinitè perfectus, & infinitis perfectionibus excellens. Item Christus Salvator noster cum omnibus mysteriis & Beneficiis humano generi exhibitis. Deniq; Patria cœlestis & Ecclesia triumphans; verbo, omnia objecta meditationis possunt esse etiam objecta contemplationis; si talia sint, quæ ad amorem Dei corda inflamment. Dicitur Sextò *admirationem inferens*; licet enim illa, quæ contemplamur, sint nobis per fidem cognita & perspecta, nihilominus quia novo & insolito modo nobis proponuntur, stupenda nobis & mirabilia videntur. Dicitur septimò *in amorem desinens*; ut ostendatur, quis sit finis contemplationis; nempè major,

perfectior & intensior *amor Dei*, per quem Deo unimur, & intimè adhæremus, ac unus quodammodò Spititus cum Deo efficimur. Deniq; additur *ex amore procedens*: quia ex charitate Dei incitamur ad ejus contemplationem; ut eum magis & perfectius amemus. Quod verò suprà dixi, contemplationem esse *Donum perfectorum*, qui vitiis extinctis, & affectibus moderatis, eam mentis tranquillitatem possident, quâ possint mentis obtutum in Deo figere; nullatenus intelligendum est, quasi omnes *perfecti* sint contemplativi, & donum contemplationis possideant: Nam non omnes perfecti elevantur ad contemplationem, saltem perfectam: quia Deus multas alias habet vias, quibus perfectos & sanctos efficiat: cujusmodi sunt afflictiones, labores vitæ activæ, oratio, multimoda mortificatio &c. soletq; aliquando evenire, ut magnis contemplationis donis cumulati, sint charitate inferiores aliis, qui hæc dona contemplationis non experiuntur. Undè non debet fieri pusillanimis, qui contemplationis gratiam in se non sentit.

Atq; hæc de unitione cum Deo per meditationem, aspirationem, & contemplationem sufficiant. Nunc ad *unitionem voluntatis* per actualem charitatem, seu amorem transeamus.

§. 11.

De unitione voluntatis cum Deo, quæ est apex perfectionis.

287. POst unitionem intellectûs nostri cum Deo per considerationem sequitur etiam *unitio*

unitio voluntatis; quamprimùm enim intellectus Bonum aliquod cognovit; voluntas erga illud afficitur, & per amorem illi se unit; ita ut, quò perfectior est cognitio, eò major sit voluntatis erga Bonum cognitum affectus, amor, & unio. Solet autem unitio per voluntatem cum Deo præstantior multò & perfectior esse, quàm illa, quæ fit per intellectum: Imò in voluntatis unitione cum Deo summo Bono consistit tota perfectio nostra, ad quam aspirare debent omnes Religiosi, & quam actualiter jam possidere tenentur, qui ad vitæ activæ functiones applicantur; ut alios purgare, illuminare, & perficere possint. Contingit enim hæc unitio per charitatem perfectam: *communis* autem *Doctorum sententia est, quod perfectio vitæ Christianæ consistat in perfectione charitatis*; ut inquit Ludovicus Granatensis *lib. 7. memorial. vitæ Christianæ c. 1. Et pro ut illa magis aut minus est perfecta, erit etiam magis aut minus perfecta vita Christiana; adeò ut qui perfectus est in charitate, perfectus etiam sit in hac vita.* Quæ autem sit hæc perfectio charitatis, quæ nos Deo unit, & perfectos reddit, declarat idem Doctor ex S. Thomâ, adducens tres gradus & species perfectæ charitatis. Prima est, quâ Deus in tantum diligitur, in quantum est diligibilis. Et hæc perfectio in solo Deo est. Secunda est eorum, qui semper amant Deum ex totis viribus suis actualiter, & sine intermissione. Quæ perfectio competit solis Beatis, qui Deum intuitivè semper vident. Tertia charitas est viatorum; *quæ etsi non possit ascendere*

cendere ad perfectionem Beatorum; contendit tamen, quantum potest, ut quàm proximè ad illam accedat; tantoq; solet esse perfectior, quantò similior est ei, quam habent Beati in cœlo, qui actualiter sine intermissione & totis viribus ardent in amore Divino. De qua charitate Dionysius Carthusianus *in exhortat. Novitior. art.* 3. ait: *Non ita dico, Deum jugiter & constanter quærendum, quasi oporteat, sivè possibilile sit omni momento actualiter ferri in ipsum per intellectualem considerationem & virtuosam affectionem aut actionem: sed quod homo, præsertim Religiosus, debeat toto assiduoq; conatu ad hoc niti, ut quantum sibi Deo auxiliante possibile est, propinquet quotidiè indesinenti illi actuali elevationi mentis in Deum; conando ad id, ut sæpissimè in Deum feratur, & stabilis in tali elevatione actualiter permaneat; sicq; quotidiè frequentius purius atq; stabilius erigatur in Deum per ipsius Considerationem seu contemplationem affectuosam & fixam, & item per actualem ipsius dilectionem puram & stabilem.*

Undè non sufficit ad hanc perfectionem charitatis, quod quis aliquoties aut sæpius in vitâ eliciat actus charitatis, sicut homines sæculares faciunt. & facere tenentur. Neq; satis est quod in quolibet die aliquoties per amorem quis Deo se uniat. Sed necessarium est, ut quemadmodum Christus Dei Filius in terris agens, semper ac incessanter per actus charitatis fuit & mansit Deo unitus in cunctis operibus suis; ita quidem ut nullum unquam momentum

fuerit,

fuerit, quo non per actualem charitatem intensissimam sanctissima illius anima Deo adhæserit: Sic & voluntas nostra semper quasi ac omni ferè momento (quantum scilicet vitæ præsentis status & humana infirmitas permittit) Deo Summo Bono per actus charitatis intensos in omnibus operibus seu functionibus nostris conjuncta existat & unita; referendo scilicet dicta opera in principio per intentionem ex charitate procedentem, ad Dei Beneplacitum, Laudem & gloriam; gaudendo de ejus Bonis in & extrinsecis; desiderando Divini Nominis glorificationem: conformando voluntatem nostram cum Divinâ &c. ita ut omnis nostra oblectatio, omnis amor, cogitationes, ómnes, omniaq; desideria nostra sint in solo Deo; & quidem cum tantâ continuatione, ut semper aut ferè semper cor nostrum in Deo sit absorptum; ac in omni opere vel negotio maneat aliqua intellectûs & voluntatis particula libera, quæ Deo vacet per considerationem & amorem; ut inquit Ludovicus Granatensis *supràc. 2. & alibi.* Quod tamen intellige de operibus illis & functionibus, quæ simul compatiuntur actualem intellectûs advertentiam ad Deum. Nam si opus aliquod tam vehementem & intensam exigeret intellectûs applicationem, ut simul ad Deum advertere non posset (veluti sunt studia litterarum) tunc neq; charitas in voluntate *actualiter* continuari posset, propter defectum considerationis ex parte intellectûs, quem voluntas ut ducem sequitur; & quia cœca est,

cæ est, in incognitum ferri nequit: Adeoq; in ejusmodi operibus sufficiet, si quis intentionem ex motivo charitatis elicitam illis præmiserit, & virtualiter saltem continuaverit, ita ut vi ac virtute intensionis illius præviæ opus inceptum prosequatur, & ad finem usq; perducat. Media porrò ad hanc voluntatis nostræ cum Deo Summo Bono unionem, non sunt alia, quàm illa, quæ hactenus in primo & secundo gradu fusius descripsimus; Scilicet perfecta animæ purgatio à peccatis & vitiis, edomatio passionum inordinatarum; Humilitas, voluntaria paupertas, Castitas, Obedientia, sivè abnegatio propriæ voluntatis & Judicii, evacuatio memoriæ & phantasiæ à speciebus & imaginibus sæcularibus; moderatio potentiarum cognoscitivarum, Silentium, & solitudo; Quibus omnibus removentur *impedimenta*, quæ obsistunt unioni cum Deo per charitatem: Item conferentiæ & colloquia spiritualia. Lectio piorum librorum; meditatio de perfectionibus Divinis & Beneficiis à Deo acceptis, praxis Aspirationum, & contemplatio; Quæ sunt *adjumenta*, quibus anima ad Dei amorem & unionem elevatur. Quamvis contemplatio non sit ad hoc simpliciter necessaria; uti suprà dictum est ex Cardinale Bonâ.

288. Porrò ex unitione voluntatis cum Deo, sequitur adhuc alia quædam *exterior*, quæ *in similitudine circa vitam, mores, & conversationem externam* sita est, duasq; partes complectitur: prima pars in eo consistit, ut in nobis ipsis circumferamus exteriùs similitudinem & ima-

maginem Christi in terrâ conversantis, vitaq; nostra & ratio conversandi conformetur sivè assimiletur vitæ ipsius; ita, ut cum S. Paulo discere possimus: *Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus Galat. 2.* Et *non modò cogitationes affectusq; nostros internos, sed etiam actiones externas conformemus actionibus Christi Domini Nostri, haud secus, quàm si totidem Christi videremur; perfectionis enim studiosus omnes actiones suas tam internas quàm externas aptè debet conformare vitæ Christi, ut Angelorum hominumq; oculis appareat alter Christus;* ut inquit Bartholomæus Riccius *instruct. de modo rectè meditandi part. 1. c. 7.* Urdè Paulus *Roman. 13.* monet: *Jnduimini Dominum Jesum Christum.* Et 1. *Corinth. 15.* hortatur, ut *portemus* deinceps *imaginem cœlestis hominis;* Sicut hactenus *portavimus imaginem terreni.* S. Joannes autem 1. *epist. 2.* requirit, ut, si velimus in Christo manere, sicut ille ambulavit, ambulemus. Hæc enim est vehementer se invicem amantium natura & indoles, ùt sibi pro posse assimilentur in moribus, & externo conversandi modo; juxta illud tritum *apud S. Hieronymum super Michæam Prophet. Amicitia parem aut facit, aut accipit.* Sic de eo, qui nos ardenter amat, dicere solemus, quod sit *alter ego*, id est, tam per omnia mihi similis, ut in me tranformatus videatur. Qui ergò Deum vehementer diligit, ejus imagini, quam in terris monstravit, omni modo possibili se conformat & assimilat.

Altera pars hujus unionis consistit in eo, ut laboremus

boremus & conemur etiam alios homines efficere similes ac conformes Christo in vita & conversatione; ut Deus in omnibus laudetur & glorificetur. Quomodò legimus S. Paulum laborâsse, & alios ad hanc similitudinem provocâsse: *Estote imitatores Dei; sicut Filii charissimi. Ephes.* 5. Et 1. *Corinth.* 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Qui enim Deum vehementer amat, is tanto gloriæ Dei propagandæ, & salutis animarum procurandæ Zelo flagrat, ut nullos labores & difficultates, nulla pericula & detrimenta corporis, imò nec mortem ipsam horreat & pertimescat; Sicut Christus Dei Filius ex abundantissimo erga Patrem suum cœlestem amore nec famæ, nec vitæ suæ pepercit, ut Dei gloriam & animarum salutem promoveret; *ut glorificetur Pater in Filio. Joann.* 14. Verùm de hoc infrà fusius capite proximè sequenti.

Caput III.

De officio secundo, & munere eorum, qui in gradu proficientium sunt constituti.

289. Diximus suprà ex D. Thomâ 3. part. q. 40. a. 1. ad 2. quod *Christus talem vitam elegerit, secundum quam aliquis prædicando & docendo contemplata aliis tradit.* Undè qui vitam activam cum Christo profitentur, sicut omnes Canonici Regulares, maximè verò Norbertini

bertini sivè Præmonstratenses profiteri solent, non debent acquiescere, si proprium spiritum suum perfecerint; sed status illorum & professio requirit, ut etiam alios per functiones Hierarchicas vocationi suæ proprias perficiant, & salutem animarum promoveant. Ad hoc enim *charitas Christi eos urgere debet* cum Apostolo 2. *Corinth.* 5. ut se libentissimè impendant & super impendant pro animabus à Deo creatis imagine Dei insignitis, & pretiosissimo Christi sanguine, passione, ac morte redemptis. Quod si non fecerint, sed gratiam vocationis, quæ illis ad hunc finem data fuit, talenta naturæ foderint in terram; procul dubio cum servo illo pigro & otioso in tenebras exteriores projicientur. *Matth.* 25. similis enim ratio est cum illis, quæ cum Apostolo ad salutem animarum procurandam, vocato, qui de se ait: *Si Evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi est, si non evangelizavero.* Si enim juxta S. Basilium *in constitut. monast. c.* 32. *gravissimè plectentur ii, qui, quas à Deo datas sibi corporis vires habent; malitioè celant;* utiq; severius plectendi sunt illi, qui vires & talenta animæ ad salutem animarum à Deo concessa abscondunt: *Satius est delicti cujusdam particularis reum fieri, quàm talenti absconditi*; inquit S. Macarius *in disput. cum Causidic.* de quo plura suo loco. Quia autem vita activa nihil aliud est, quàm exercitium charitatis erga proximum; necessarium est, ut de hac prius agamus.

§. 1.
Quid sit charitas proximi.

290. Quod charitas proximi pertineat etiam ad perfectionem, ita ut sine ea nemo dicendus sit perfectus, colligitur ex verbis Christi *Matth.* 22. ubi, postquàm dixisset, mandatum de proximo esse simile mandato de diligendo Deo, subjungit: *In his duobus mandatis pendet universa lex & Prophetæ.* Colligitur etiam ex verbis S. Pauli *Rom.* 13. *Qui diligit proximum, legem implevit. Plenitudo legis est dilectio.* Et *Coloss.* 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Imò charitas Dei non potest subsistere in nobis absq; charitate proximi; Sicut testatur S. Joannes. 1. *epist. c.* 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum & fratrem suum oderit, mendax est. Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Et c. 3. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est; & scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Propter quod Christus tam signanter hoc mandatum de diligendo proximo nobis inculcat. *Joann.* 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, Sicut dilexi vos. Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.* Quem supremum Legislatorem secuti deindè Sacrorum Ordinum Religiosorum Fundatores, circa Regularum suarum exordia diligentissimè com-

commendârunt *charitatem proximi*; ſicut advertit Dionyſius Chartuſianus *in tract. de profeſſ. monaſt. artic. 2.* Quia *hæc Religioſos, hæc Monachos facit*; ut inquit S. Hieronymus in *Reg. c. 1. Sine charitate monaſteria ſunt tartara, & habitantes in eis ſunt Dæmones. Porrò cum charitate monaſteria ſunt paradiſus in terris, & commorantes in ipſis ſunt Angeli. Ideò quamvis longa jejunia macerent corpora, licet abjecta & vilis veſtis deformet, & longa officia perſolvantur: Si intùs deſit charitas; nondum perventum eſt ad infimum gradum Religionis. Bonum & jucundum eſt fratres habitare in Unum, hoc eſt, in vinculo dilectionis, & charitatis affectu; qui ſibi invicem in tentatione auxiliantur, & charitatis ac pietatis obſequia ſibi mutuò adminiſtrant. Ideò vobis corporaliter coadunatis ſit cor unum & anima una. Nulla vita deterior eſt, quàm ſimul degere corporibus, & non mente. Et verè infelices ſunt, quibus non eſt una, ſed diverſa voluntas. Sit itaq; vobis ſemper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una jucunditas, una triſtitia; nè, quod placet uni in Domino, diſpliceat alteri; neq; undè unus lætatur, alter triſtetur. Et ſic habere poteritis Religionis propoſitum, & virtutem, ſi unanimes in Domo Domini habitetis. Hæc verè vita Dei, non diaboli; verè monaſterium, non infernus; verè vita Religioſa, non diabolica.*

291. Porrò communis eſt Theologorum doctrina, quod unus idemq; realiter ſit Haub-

tus charitatis, *quo Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum.* Nam qui diligit hominem propter Deum, hoc ipso diligit Deum; imò magis diligit Deum, quàm hominem, juxta tritum illud axioma: *propter quod unumquodq; est tale, illud magis est tale.* Objectum igitur formale & ratio *propter quam* dilectionis proximi, debet esse ipse Deus, sivè Bonitas Dei; Sicut docet S. Gregorius *homil. 38. in Evangel.* dicens: *Charitas vera est, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ideoq; si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat.* Dicitur autem proximum amare propterea, quia est viva quædam Dei *imago*, in quâ perfectiones Dei v.g. Potentia, Sapientia, Bonitas & providentia insigniter resplendent; & quæ ipsum *Esse Dei spirituale*, intellectum, memoriam ac voluntatem vivaciter repræsentat: vel quia proximus est *Filius Dei adoptivus, Dei amicus, Dei templum* per gratiam sanctificantem; aut saltem ad Filiationem & amicitiam Dei vocatus: vel quia est pretioso *Christi sanguine redemptus*, Christo per fidem & charitatem incorporatus, ab eoq; dilectus in tantum, ut se ipsum tradere pro eo voluerit: vel quia proximus est *membrum mystici corporis Christi*, quod est Eccl.; & eorundem nobiscum Sacramentorũ particeps: vel deniq; quia hæc est *voluntas Dei*, in tot Scripturæ locis declarata, ut proximum diligamus; quia Deus sic præcipit; quia ipsi placet

placet & gratum est; quia hac ratione dilectissimum ejus filium imitamur. Absint igitur ab homine religioso motiva & rationes diligendi naturales; cujusmodi sunt divitiæ, Nobilitas, pulchritudo, dexteritas, doctrina, consanguinitas; de quibus ait S. Gregorius *homil. 27. in Evangel. Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis. Hi nimirùm & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur; quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt.*

292. Sunt autem duo generaliter actus charitatis in Sacra Scriptura expressi. Primus declaratur *Matth. 7.* illis verbis Christi: *Quæcunq; vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Alter consistit in omissione, & significatur à seniore Tobia *c. 4.* his verbis: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide nè tu aliquando facias alteri.* Dicitur verò *actus charitatis;* quia omissio damnificationis aut odii vel injuriæ, quamvis formaliter non sit actus, sed ejus privatio; non tamen contingit sine actu positivo imperante: communis enim sententia est, quod non detur pura omissio libera; et quod omnis omissio, quæ imputatur nobis, vel ad meritum, vel ad demeritum, habeat semper adjunctum actum aliquem positivum. Ex his verò duobus actibus generalibus sequuntur alii plures particulares, quorum aliqui sunt merè interni, etiam præcepti. Nam Innocentius Papa XI. inter alias scandalosas propositiones damnavit

etiam istas duas: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Et *præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Hujusmodi actus merè interni sunt. *Primò*, ut excluso omni odio & aversione sivè indignatione, benè afficiamur erga proximos nostros. Sicut enim actus vitiosus primarius & radicalis charitati oppositus est odium abominationis sivè alienatio & aversio voluntatis à proximo: ita econtrà Actus primarius & radicalis charitatis est, *benè affici* erga proximum. *Secundò*, ut proximis nostris velimus, optemus & desideremus Bona corporis & animæ, scilicet necessaria vitæ, sanitatem corporis, felicem negotiorum successum, profectum & perfectionem in spiritu, gratiam, beatitudinem, & omnia media ad ejus consecutionem proficua. Qui actus opponitur *odio inimicitiæ*, quo quis vult alteri malum inferre, aut hoc cupit ei evenire, sivè absolutè sivè conditionatè. *Tertiò*, ut de Bono proximi tùm spirituali tùm temporali v. g. de illius promotioni, laude, honore, sanitate, prospero rerum eventu &c. gaudeamus & lætemur: econtrà de ejusdem malo corporis vel animæ doleamus; Sicut Apostolus jubet *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* *Rom.* 12. Qui actus est oppositus invidiæ, quæ de prospero statu proximi tristatur; & de illius ruinâ lætatur. *Quartò*, ut nostrum sentire & velle cum judicio, sententiâ, & voluntate proximi conformemus, in quantum licet; sitq; in nobis

cor

cor unum & anima una; Sicut monet Apostolus *Rom.* 12. *Idipsum sentientes: non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Et 1. *Corinth.* 1. *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eâdem sententiâ.* Item 2. *Corinth.* 13. *Idem sapite, pacem habete; & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Deniq; *Philipp.* 2. *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, in idipsum sentientes.* Qui actus est oppositus *discordiæ*, quæ est dissensio voluntatis à voluntate proximi circa bonum honestum.

Alii sunt Actus charitatis *externi*, quibus interiorem nostram benevolentiam & amorem erga proximum foris ostendimus, non tantum linguâ & verbis, sed opere ipso comprobamus; Sicut monet S. Joannes *epist.* 1. *c.* 3. *Filioli mei, non diligamus sólùm verbo & linguâ, sed opere etiam & veritate. Nam qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas manet in eo?* Hujusmodi Actus sunt *primò*, ut ore, linguâ, & verbis proximo, quantum licet, gratificare & placere studeamus; *præsenti* non obloquamur, non contradicamus, non verbis contendamus, opinioni illius non repugnemus mordacibus eum sermonibus non pungamus, verbis duris & asperis non alloquamur; sed omnibus nos gratiosos & amicabiles exhibeamus sicut monet S. Basilius *epist. ad Chilonem. discip. Dabis operam haud segnem, nè cui sis offendiculo eorum, quibuscum tibi intercedit familiaris congressus. Magis ipse in*

se in hoc incumbito, omnibus ut sis perquàm gratiosus, fraterni sodalitii amator syncerus, suaviloquus, nulli non insinuans animi tui modestiam. Similiter ut *absentem* non vituperemus, non detrahamus, errata & excessus illius non propalemus; sed potius datâ occasione virtutes ipsius, & quæ benè ab ipso gestasunt, publicè coram aliis laudemus; famam ipsius contra detractores defendamus; facta & dicta in bonam partem interpretemur, defectus excusemus &c. *Secundò*, ut mores proximi inhumanos, agrestes, inurbanos, & asperos, omnesq; defectus tàm morales (quos corrigere in ipso non possumus) quàm naturales benignè & patienter supportemus; juxta illud Apostoli *Galat.* 6. *Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi.* Et *Ephes.* 4. *supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritûs.* Quemadmodum Christus mores discipulorum suorum & defectus patienter sustinuit; utpotè quos nactus est idiotas, rudes & ad discendum tardos, moribus incultos &c. *Tertiò* ut non solùm ordinaria & præscripta, sed insuper etiam ultronea & supererogatoria obsequia, ministeria & servitia exhibeamus proximis nostri eaq; tantâ alacritate, promptidudine & hilaritate præstemus, *ut ii, quibus ministramus, charitatem nos habere adversum ipsos intelligant*; inquit S. Basilius *serm. de Abdicat.* *Quartò* ut non solùm Amicis & Benefactoribus nostris, sed etiam ingratis, persecutoribus & inimicis nostris ea obsequia, beneficia, & ministeria supererogato-

ria

ria impendamus, juxta doctrinam & monita Christi *Matth. 5. Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe & illi alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Et juxta exemplum ejusdem, qui Judæ Iscariotæ proditori suo pedes lavit. *Joann. 13. Quintò* ut Zelo animarum flagrantes, conversionem & spiritualem profectum proximorum domi foriscq; procuremus & promoveamus per functiones statui & vocationi nostræ competentes. De quo animarum Zelo in sequentibus.

§. 2.

De Zelo Animarum falso & fucato.

293. PRiusquàm de vero & genuino Zelo animarum dicamus, necesse est, ut signa & indicia falsi & fucati Zeli, quo aliqui deluduntur, & alios deludunt, manifestemus, & aurum adulterinum à vero discernamus. Multi enim Zeli nomine passiones suas indomitas & aupiditates vendiant.

Primum itaq; signum falsi & fucati zeli est, cùm quis ad functiones vitæ Activæ vel ad lucra animarum aspirat, antequàm sufficienter præmunitus sit, & instructus virtutibus, doctrinâ, & aliis qualitatibus ad munus tam sublime necessariis; nè sibi ipsi, vel aliis plus damni

quàm emolumenti spiritualis afferat. *Animarum curam nè concupiscas*, ait S. Ephrem *de vita spirit. Cùm enim ad eum gradum nondum perveneris, ut omnibus imperes animi perturbationibus; & teipsum, & eos, qui te sequuntur, læderes.* Verus enim gloriæ Divinæ & Animarum Zelus refugit illud omne, quod cum propriæ vel alienæ salutis periculo conjunctum est; & econtrà sollicitè ad animarum salutem necessaria atq; etiam proficua & idonea media procurat; cujusmodi sunt perfectio proprii spiritûs, doctrina Theologica competens: peritia & dexteritas administrandi Sacramenta, prædicandi verbum Dei, &c. Undè S. Bernardus *serm. 18. in* Cantic. *Tu frater, cui firma salus propria nondum est, cui charitas adhuc nulla, aut adeò tenera atq; arundinea, quatenus omni flatui cedat &c. quânam dementiâ, quæso, aliena curare aut ambis, aut acquiescis? Adruinam suam illi fluenta cœlestia aliis administrant; qui ante effundere, quàm infundi volunt; loqui, quàm audire paratiores; prompti docere, quod non dedicerunt; aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Quænam autem sint illa,* quæ prius nobis infundere & acquirere debemus, antequàm possimus aliis utiliter & sine damno nostro communicare docendo, quæ hausimus, subdit: *En quanta priùs infundenda sunt, ut effundere valeamus, de plenitudine non de penuriâ largientes: primò quidem compunctio, deindè devotio, tertiò pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò orationis studium,*

dium, sextò contemplationis otium, septimò plenitudo dilectionis; quam qui nondum adeptus est, periculosissimè promovetur, quantislibet altis videatur pollere virtutibus.

Secundum falsi zeli signum est, cùm quis ita se applicat ad salutem aliorum procurandam, ut suam interim negligat; ita se proximis impendit, ut suis obliviscatur. Quomodò faciunt illi, qui quotidianam meditationem, lectionem spiritualem, examen conscientiæ, aliaq; exercitia ordinaria, ad proprii spiritûs perfectionem instituta & præscripta negligunt; ac interim componendis concionibus student. Quibus meritò occini posset illud *Matth. 16. Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quod enim talis zelus non verus sit, sed falsus, patet indè, genuinus zelus est Actus charitatis ordinatæ, quâ diligimus proximum sicut nos ipsos, non autem suprà nos ipsos. *Matth. 22, Non enim aliis ut sit remissio, vobis autem tribulatio*, inquit Apostolus 2. *Corinth. 8. sed ex æqualitate.*

Tertium signum falsi zeli est, si quis acceptor sit personarum, & inter homines, loca, ac functiones discernat, eligens magis concionari, quàm rudes catechizare; curam animarum agere in civitatibus, quàm in pagis; confessiones excipere divitum & honoratorum, quàm pauperum & plebeiorum. Nam cùm omnes animæ sint opus Dei æquale, utpotè qui omnes suâ imagine & similitudine insignivit,

om-

omnes æquali & eodem pretio redemit, pro omnibus eadem Sacramenta & salutis media indifferenter instituit; hinc verus & genuinus Zelus honoris Dei & salutis Animarum se indifferenter & sine discrimine ad omnes omninò homines, tam pauperes quàm divites, tàm rusticos quàm nobiles, tàm infimos quàm summos extendit; nec movetur cultu, specie, vel pulchritudine corporum, nec magis titulis honoratorum, nec amplis possessionibus opulentorum. Sanè in Evangelicâ Historiâ legimus, Christum pauperes & plebejos adeò non posthabuisse, ut frequentius apud eos prædicare & commorari voluerit, quàm apud optimates: undè ad discipulos Joannis ait: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis: quia pauperes evangelizantur. Luc. 7.* Et *ibidem c. 4.* de se ex Propheta Isaia c. 6. *dicit. Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Quartum signum falsi & fucati Zeli est, cum quis ægrè fert & dolet, si audiat alios vel Clericos sæculares vel Regulares in conversione animarum tantundem vel plus efficere, quàm ipse efficiat; v.g. intelligat, hunc illumvè concionatorem in movendo & persuadendo esse potentem & efficacem, aut talem confessarium habere magnum populi accursum &c. ac propterea doleat & ægrè ferat. Nam si talis veraciter & purè gloriam Dei & animarum salutem, non autem propriam suam gloriam, laudem, & commodum quæreret; tunc utiq; gauderet & animi-

tus

tus lætaretur, quod Honor & gloria Dei, proximiq; salus per alios etiam promoveretur; diceretq; cum Moyse: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum!* Neq; solùm falsus, sed etiam perniciosus est istiusmodi zelus; quia non rarò prorumpit in detractiones & infamationes, quibus aliorum concionatorum vel Confessariorum bonam existimationem apud populum diminuere, illorumq; studia & labores irritos reddere conatur; quomodò pseudo Apostoli quidam invidentes Sancto Paulo laudem & existimationem suam apud Neophytos, concionum ejus fructum detractionibus & occultis machinationibus suis impedire studebant.

Quintum falsi zeli signum est, quando is plus habet passionis, quàm justæ afflictionis, plus iracundiæ quàm misericordiæ, plus impetûs & commotionis quàm rationis, magis peccantibus succenset, quàm condolet, magisq; spirat eorum punitionem quàm correctionem. Cujusmodi est zelus quorundam cholericorum, qui statim cum Apostolis Joanne & Jacobo de cœlo in capita peccantium descendere exoptant, motusq; & impetus naturæ suæ depravatæ pallio justi Zeli contegunt. De quibus S Franciscus Salesius *lib.* 10. *de Amore Dei c.* 16. *Sermo alius non est, nisi de Zelo: & tamen nullus comparet Zelus, sed solummodò maledicentia, cholera, odia, invidiæ & inquietudines spiritus & linguæ.* Verus ergò zelus choleram non adhibet, nisi rarissimè, tunc scilicet, quando nulla spes

la ſpes affulget converſionem & emendationem peccantium aliter procurandi. *Cholera & ſervus*; iuquit idem Sanctus *lib. citat. c.* 15. qui cùm ſit fortis, animoſus, & ardens, multum operis conficit brevi tempore; ſed ſimul ita eſt vehemens, ſeditioſus, inconſideratus & impetuoſus, ut ordinariè vix boni aliquid efficiat, quin ſimul plurima mala patret. Undè ſemper conjungi debet ſcientia vel prudentia, quâ diſcernamus, qualiter zelum exerere & exercere oporteat; an ſcilicet cum lenitate & manſuetudine; an verò cum vehementiâ & indignatione: quod ultimum tamen ordinariè loquendo periculoſum, & multis turbationibus expoſitum eſſe ſolet. Illud verò ſemper cavendum eſt, nè ſub prætextu Zeli perveniamus ad tales actiones, quæ ſtatum noſtrum dedecent; cujusmodi in homine Religioſo ſunt percuſſiones, clamores &c. quæ indicant non Zelum, ſed paſſionum immortificationem.

Sextum ſignum falſi & fucati Zeli eſt, cùm quis ſub ſpeciæ & prætextu, quod velit Divinum Honorem & animarum ſalutem promovere, aut diſciplinam Eccleſiaſticam vel Regularem reſtituere, appetit munera ſeu officia honorifica & prælaturas; Superiores ſuos, quaſi in officio ſuo negligentes graviter perſtringit, turbas contra eos excitat &c. De quâ Zeli larvâ Sanctus Franciſcus Saleſius *lib.* 10. de Amore Dei, c. 16. *Multi ſunt, qui ſub nomine ſacri ignis ſinunt ſe comburi à propriis paſſionibus. Zelus animarum ſalutis facit deſiderare*

præ-

prælaturam; Si ambitioso credamus. Idem Zelus facit, ut Monachus choro destinatus huc & illuc discurrat; uti persuadere vult homo inquietus. Quin & idem Zelus facit, ut ferantur graves censuræ, excitenturq; periculosæ murmurationes contra Prælatos Ecclesiæ; uti facit arrogans. Extat fucati hujus Zeli præclarum specimen in Absolone 2. *Reg.* 15. Qui *consurgens stabat juxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad Regis judicium vocabat ad se, & dicebat: videntur mihi sermones tui boni & justi; sed non est, qui te audiat, constitutus â Rege. Quis me constituat judicem, ut adveniant omnes, qui habent negotium, & justè judicem?*

§. 3.

De zelo animarum vero & genuino.

294. DEfinitur Zelus animarum à P. Alvarez *tom. 2. lib. 3. p. 2. c. 5. §. 3.* Quod sit *intensus charitatis actus, & amantis affectus quo diligentissimè quærit honorem Dei, & proximorum salutem, ac quid quid hisce duobus contrariatur, fortiter constanterq; repellit.* Dicitur *intensus* charitatis actus, qui scilicet datâ occasione & cpportunitate juvandi proximos, in effectum prorumpit, & congrua ad hunc finem media solerter investigat. Dicitur Secundò: quo amans *quærit honorem Dei & proximorum salutem*; quia objectum zeli, circa quod occupatur

patur, est major Dei honor & gloria, proximiq; conversio, profectus in spiritu, & salus æterna. Zelosus enim Dei amator dat operam, ut infideles convertantur ad Fidem, peccatores ad pœnitentiam, & justi perducantur ad perfectionem, sivè ut peccatores & in peccatis mortui *vitam habeant*, & justi *abundantiùs habeant*. *Joann.* 10. Extenditq; se ad omnes homines, ut omnes lucrifaciat; quemadmodùm *Deus vult omnes homines salvos fieri* 1. *Timoth.* 2. & Filium suum unigentium tradidit pro omnibus in mortem *Rom.* 8. specialem tamen curam gerit eorum, quos sibi Divinâ providentiâ per Superiores novit commissos, sive pauperes sint, sivè opulenti.

295. *Effectus* zeli animarum sunt varii: *primus* est vehemens & ardentissimum votum, quo desideramus omnium hominum, maximè verò nobis commissorum salutem & perfectionem ita ut post propriam nostram justitiam & perfectionem nihil in hac vitâ possit gratius nobis accidere, quàm justitia, perfectio, & sancta conversatio aliorum.

Secundus est cogitatio seria & consideratio vel indagatio, quibus modis, viis ac mediis possimus proximis spiritualiter prodesse, ac eorum salutem ac perfectionem procurare. Qui actus vel effectus naturali quâdam consequentia fluit & dimanat ex præcedente: nam quod ardenter concupiscimus, ejus obtinendi media sollicitè inquirimus & excogitamus.

Tertius est mediorum inventorum, aut ex officio

officio & præscripto à nobis adhibendorum actualis applicatio & usus, isq; non segnis & perfunctorius, sed accuratus, sedulus, industrius, & exactus. Sunt autem ordinaria hæc media: Prædicatio, catechesis, Sacramentorum administratio, privata adhortatio, correctio fraterna &c. Quæ proindè cum exquisitâ diligentiâ obire debemus, ita quidem, ut maturè & accuratè nos ad eadem disponamus & præparemus, dispiciendo, qualiter cum fructu & utiliter ea peragere possimus; quibus terminis, quibus gestibus, & an cum vehementiâ & ardore, an verò placidè & cum lenitate conceptum sermonem proferre velimus. &c.

Quartus zeli animarum effectus est frequens & fervens ad Deum pro conversione peccatorum oratio; & Sacrificii Missæ ad eundem finem oblatio. Qui actus fuit familiaris S. Paulo in conversione gentium; Sicut patet ex illius Epistolis. *Roman.* 10. *v.* 1. *Coloss.* 1. *&* 2. *Thessal.* 1.

Quintus est compositio nostri exterioris hominis ad modestiam, & conversatio inculpabilis, exemplaris, & ædificativa proximi; qualem Tito suo præscripsit S. Paulus c. 2. dicens: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate.* Et Christus *Matth.* 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum; qui in cœlis est.*

Sextus effectus est gaudium & gratiarum actio, cùm videmus & experimur, laborum no-

ſtrum proficere ad aliorum ſalutem, quomodò legimus S. Paulum gaviſum eſſe, & Deo gratias egiſſe propter fructum ex prædicatione relatum *Philipp. 4. Fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea.* Et 1. *Theſſal. 2. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ, nonnè vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum?* Item 2. *Theſſal. 1. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, Fratres, ita ut dignum eſt: quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas unjuscujuſq; veſtrûm in invicem.* Et *Ephes. 1. Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes Sanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis &c.*

Septimus eſt triſtitia & dolor, quando videmus, labores & conatus noſtros malorum hominum improbitate fieri irritos; nec converſionem & emendationem morum ſequi. Quomodò S. Paulum legimus doluiſſe ſuper pertinaciâ Judæorum, dum ait: *Triſtitia mihi magna eſt & continuus dolor cordi meo &c. Roman. 9.* quin & fleviſſe ſe propter cœcitatem & interitum quorundam teſtatur *Philipp. 3.* dicens: *multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus &c.*

Octavus zeli actus ſivè effectus eſt compaſſio & commiſeratio erga peccatores inſenſatos. Qualem Chriſtus oſtendit, quando *videns civitatem* Hieroſolymitanam; *flevit ſuper illam, ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ*

quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Luc. 19.

Nonus est, ut omnia commoda temporalia posthabeamus, ac ipsam etiam vitam corporalem parati simus pro Dei gloriâ & Bono animarum profundere, si ita fuerit necessarium ad imitationem Christi, qui animam suam posuit pro ovibus suis. *Joann.* 10. & ad imitationem Apostoli, qui optabat *anathema esse à Christo pro fratribus. Roman.* 9. De quo S. Franciscus Salesius *lib.* 10. *de Amore Divino c.* 16. *Quemadmodùm Salvator noster fuit cæsus, condemnatus, crucifixus, ut homo destinatus & dedicatus ad portanda & sufferenda opprobria, ignominias, & pœnas debitas omnibus mundi peccatoribus; & ut esset sacrificium generale pro peccato, factus est ut anathema, separatus & derelictus à Patre æterno: ita prorsus gloriosus Apostolus Paulus desideravit impleri ignominiâ, crucifigi, separari, derelinqui, & sacrificari pro peccato Judæorum, ut pro illis esset anathema, & ferret pœnam, quam merebantur.*

§. 4.

De motivis zeli animarum.

295. CUm Zelus animarum sit actus charitatis erga Deum; non potest aliud motivum & objectum formale seu rationem formalem *propter quam* habere, quàm Bonitatem & perfectionem Dei infinitam. Nihilominus

ad eundem zelum in nobis concipiendum & fovendum, vel etiam si intepuerit, resuscitandum, inducere, permovere, impellere, & incitare nos possunt plures aliæ rationes extrinsecæ.

Prima est dignitas & pretium animarum: quam dignitatem & pretium procul dubio optimè novit is, qui omnes animas creavit ad imaginem & similitudinem suam Deus. Genes. 1. Constat autem ex Scripturâ Veteris & Novi Testamenti, quanti Deus semper animas æstimaverit, & quæ pro earum salute fecerit. Nam primò ordinavit in lege tam naturæ, quàm Mosaicâ Prophetas & prædicatores, qui suis eas exhortationibus & doctrinis ab interitu vindicarent. Secundò misit Filium suum unigenitum, qui non solùm cœlestibus eas præceptis & institutionibus informaret, sed etiam gravissimarum persecutionum, dolorum & ignominiosissimæ mortis perpessione pro peccatis earum satisfaceret. Tertiò sanctissima Sacramenta pro earum sanctificatione instituit. Quartò Apostolos & Prædicatores continuâ successione pro earum salute hactenus submisit, & ad finem usq; mundi submittet. Sanè qui probè inspexerit Evangelicam historiam, & attentiùs consideraverit, quæ & quanta unigenitus Dei Filius pro salute animarum fecerit, & pertulerit; cohibere se non poterit, quin similiter pro talento sibi concredito promptissimè se offerat, ad aliquid pro iisdem animabus Deo adeò charis præstandum, dicatq; cum Apostolo,

postolo. 2. *Corinth.* 12. *Ego libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus.*

Secundò poterunt zelum animarum in nobis accendere exempla aliorum virorum zelosorum, maximè autem exemplum S. Pauli Apostoli, qui *Actor* 20. Fideles suâ prædicatione conversos ita alloquitur: *Vos scitis, à primâ die, quâ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, & lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum; quomodò nihil subtraxerim utilium, quòminùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos. Contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium, non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Per triennium nocte & die non cessavi, cum lachrymis monens unumquemque vestrûm &c.* Quæ verò perpessus fuerit propter conversionem animarum, recensèt 2. *Corinth.* 11. narrans, quomodò fuerit *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate &c.* Undè nos ad eadem pro salute animarum perferenda exhotatur 2. *Corinth.* 6. dicens: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multâ patientiâ,*

in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis & jejuniis, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam &c.

Tertium motivum & incitamentum esse poterit, quod labor & conatus noster in conversione animarum sit Deo gratissimus, utpotè intentioni & voluntati Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 1. *Timoth.* 2. maximè consentaneus & conformis. Hic enim primarius fuit scopus & finis ipsius Filii Dei, cur in hunc mundum venerit, ut peccatores salvos faceret; Sicut ipse testatur *Luc.* 19. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat.* Et *Joann.* 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Item S. Paulus 1. *Timoth.* 1. *Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Qui ergò pro salute animarum laborant, Deo cooperantur ad finem suum; Dei sunt imitatores, & adjutores; sicut ait Apostolus 1. *Corinth. Dei sumus adjutores.* Et 2. *Corinth.* 5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Unde S. Chrysostomus *homil.* 25. *in Epist. ad Corinthios ad illa verba: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi,* ait: *Hæc perfectæ charitatis regula est, hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen, quærere, quæ communem omnium comprehendant utilitatem. Quod ipse Paulus significans addidit: Sicut & ego Christi. Nihil enim potest nos adeò imitatores Christi facere, ut pro-*

proximorum cura. Et *homil. 79. in Matth. Nulla res Deo gratior est, quàm ut universam vitam ad commune commodum conferas.* Item *Orat. de B. Philogeno*: *Si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius; publicam quærat utilitatem*; *Fratrum suorum salutì prospiciat*: *Nullum enim officium hoc Deo charius est.* Deniq; S. Gregorius Magnus *homil. 12. super Ezechiel.* ait: *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est Zelus animarum.* Atq; hinc sequitur.

Quartum motivum, scilicet valor, dignitas, meritum, ac consequenter præmium earum Actionum & functionum, quæ ex zelo animarum procedunt. Docet enim S. Chrysostomus *homil. 25. in epist. 1. ad Corinth.* quod omnes corporis mortificationes & austeritates non possint comparari cum labore & studio, quod adhibetur in conversione animarum; ejus verba sunt: *licet jejunando, humi dormiendo corpus macera-veris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris. Etenim nullum valdè magnum poterit esse officium, quando nullum in proximos lucrum conferatur; quod ostendit, qui totum reddidit talentum, & supplicio affectus est, quoniam id non auxit. Tu igitur mi Frater, quamvis fame conficiaris, quamvis humi jaceas, quamvis cinerem comedas, quamvis super lachrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.* Et *orat. 5. Contra Judæos*: *Quod neq; jejunium, neq; humi peracta cubationes, neq; pervigilia, neq; aliud quippiam potest efficere, efficit Fratris procurata salus.* S.

Bernardus zelosum in conversione animarum operarium præponit ei, qui vitæ solùm contemplativæ se addicit; illumq; comparat viro forti, hunc mulieri. Sic enim ait *serm. 12. in Cantic. Temerariè objurgat virum de prælio revertentem mulier manens in domo: dico enim, si is, qui in claustro est, eum, qui versatur in populo, interdum minus districtè minusvè circumspectè agere deprehendit, v.g. in verbo, in cibo, in somno, in risu, in irâ; non ad judicandum confestim prosiliat; sed meminerit scriptum: melior est iniquitas viri, quàm bene faciens mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans benè facis: Sed qui juvat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficis absq; aliquâ iniquitate, id est, absq; quâdam inæqualitate vitæ, & conversationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

S. Chrysostomus *homil. 78. in c. 24. Matth.* functiones zeli animarum anteponit martyrio; ait enim: *ponatur quempiam jejunare, & martyrium differre, nec differre modò, sed etiam absq; martyrio discedere: uter igitur post hanc peregrinationem major erit? non est nobis multis in hoc loco rationibus opus: cum Beatus Paulus magnâ voce sententiam jam protulerit, dicens: cupio dissolvi, & esse cum Christo; melius autem mihi in carne adhuc permanere propter vos.*

Item S. Doctor *in epist. 2. ad Corinth. c. 3.* laborem & studium convertendi animas præfert Eleemosynæ cuicunq; corporali. Verba illius sunt: *Nihil est, quod animæ possit æquiparari,*

nec

nec universus quidem mundus. Itaq; etsi immensas pecunias pauperibus eroges; plus tamen efficies, si unam converteris animam. Magnum sanè & laudabile est misereri pauperum; Sed magis errantem ab errore revocare. Et *homil. 3. in Genes. Uti anima corpore melior est: ita his, qui indigentibus pecunias & facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt hi, qui admonendo & continuè docendo, in viam rectam, supinos, & desides inducunt, monstrando eis virtutum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam.*

S. Gregorius *lib. 3. Dialog. c. 17.* Conversionem animarum præfert gratiæ miraculorum: *majus est miraculum,* inquit, *prædicationis verbo atq; orationis solatio peccatorem convertere, quàm carne mortuum resuscitare: in isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima in æternum victura.* Et Richardus Victorinus *lib. 1. de præparat. in Cantic. c. 44. Nescio, si potest homo aliquid à Deo in hac vitâ majus accipere: ignoro, an possit hac gratiâ interim majorem aliquam Deus homini conferre, quàm ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur, ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur esse, mortuos suscitare? Ergonè majus erit suscitare carnem iterùm morituram, quàm animam in æternum victuram.*

Propter quod zelosis prædicatoribus & Doctoribus in cœlo præ reliquis Sanctis quædam specialis & fulgentissima aureola à Deo præparatur; sicut colligitur ex illo *Danielis 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; &*

ti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Docetq; expressis verbis S. Thomas *in addit. ad 3. p. q. 96. a. 21.* Postquàm enim de aureolis virginum & martyrum egisset; subjungit: *Inpugnâ verò, quâ contra diabolum pugnatur, illa est præcipua victoria, cum aliquis hostem non solùm à se, sed etiam à cordibus aliorum removet; quod fit per doctrinam & prædicationem: & ideò Doctoribus & prædicatoribus tertia aureola debetur.*

§. 5.

De zelo animarum in corrigendo peccantes.

296. DIximus suprà, zelum animarum exerceri, & se exercere in corrigendo delinquentes; quod etiam Christus indicat *Matth. 18.* illis verbis: *Si peccaverit in te frater tuus; vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit; lucratus eris fratrem tuum.* Significans non tantùm superiores debere hoc zelo flagrare respectu suorum subditorum; sed etiam quemvis alium erga suum proximum & fratrem: quia Deus *mandavit unicuiq; de proximo suo.* *Eccli. 17.* Undè Proverb. 24. dicitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare nè cesses.* Et *Eccli. 19. corripe proximum; nè fortè iteret.* Ex quibus & similibus S. Scripturæ locis colligit *S.* Augustinus *serm. 16. de verbis*

bus Dom. & S. Thomas. *q.* 33. *a.* 2. *& a.* 3. cum aliis Theologis, quod non tantùm sit consilium, sed etiam grave præceptum charitatis, ut proximo erranti sivè peccanti impendamus correctionem; sivè talem sermonem, quo ipsum vel monendo, vel reprehendendo, vel rogando, vel instruendo nitamur & conemur à peccato revocare.

Et quidem de Superiorum obligatione constat ex *capite Ezechiel.* 34. Ubi Deus contra Prælatos conqueritur: *quod infirmum fuit, non consolidâstis; & quod ægrotum non sanâstis; quod confractum est, non alligâstis; & quod abjectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quæsistis &c.* Nam *inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentesq; Rectores; qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam;* inquit S. Leo magnus *epist. ad Julianum Episcop. Aquile.* Vide, quæ suprà diximus de obligatione Prælatorum ex S. Basilio.

De corrigendi verò obligatione inter æquales ait S. Chrysostomus homili 24. in Acta Apostolor. *Testificor vobis, quod judicium vobis erit ac condemnatio, si quis videns inordinatè viventem, non admonuerit nec corripuerit.* Et S. Augustinus *lib.* 1. *de civitate Dei. c.* 9. *In correctione fraternâ, quæ ad omnes pertinet, gravior est culpa Prælatorum, si eam omittant.* Item S. Basilius *in Regul. fus. interrogat.* 46. *Quidquid est, in quo peccetur, id referri ad Antistitem debet, sivè ab eo ipso, qui peccatum admisit, sivè*

ab

ab aliis, qui illius conscii sunt; si illud ipsi curare non possint, & mederi eo modo, quo præceptum est à Domino: quia vitium dissimulatum morbus est in animo obliteſcens & ſupputris; qui etiam propterea incurabilis efficitur. Peccatum occultare nihil est aliud, quàm ægrum suâ sponte ad mortem ruentem impellere, & procliviorem reddere. Nemo sit ergò, qui peccato alterius latebras quærat; nè pro amore, quem Fratri debet, exitium illi conciliet. B. Petrus Damianus *c. 25. Gomorrhiani.* ait: *Malo cum Joseph, qui accusavit Fratres apud Patrem crimine pessimo, in cisternam innocens projici, quàm cum Heli, qui filiorum mala vidit, & tacuit, divini furoris ultione mulctari: cum per os Prophetæ Divina vox terribiliter comminetur, dicens: si videris fratrem tuum iniquè agentem, & non corripueris eum, sanguinem ejus de manu tuâ requiram.* Dionyſius Carthuſianus *in lib. de modo judicandi & corripiendi, a.* 13. refert, quod doctiſſimus Theologus Guilielmus Antiſiodorenſis *in suâ summâ asserat, duo præsertim esse præcepta, ob quorum trangressionem innumerabiles condemnantur, videlicet præceptum de continentiâ, & præceptum de correptione fraternâ agendâ.*

Imò communis & certa doctrina eſt, quod inferiores etiam & ſubditi obligentur quandoq; ad corrigendos ſuos Superiores & Prælatos, quando ita neceſſarium fuerit: eſtq; hæc obligatio tantò gravior, quantò magis ſubditi teneantur ſuos ſuperiores diligere præ aliis hominibus. *Si qua unquam minus laudabilis de Antiſtite*

tiſtite orta ſuſpicio ſit ; reliquorum officium eſt, ipſum admonere ; inquit S. Baſilius *in Reg. fuſ. interrogat.* 27. ubi tamen addit, quod *hujusmodi admonitio ad eos eſt deleganda, qui cùm ætate tùm prudentiâ in ſocietate reliquis præſtent.* Vel, *qui cùm dignitatis gradu, tùm conſilii prudentiâ Antiſtiti proximi ſint ;* ut ait ibidem *interrogat.* 48. Debet etiam talis correctio ſuperiorum peragi ab inferioribus magnâ cum moderatione, reverentiâ, & modeſtiâ; juxta illud S. Pauli 1. *Timoth.* 5. *Seniorem nè increpaveris : Sed obſecra ut Patrem.* Quod ſi peccatum Prælati notorium, foret in Fide aut moribus periculoſum, nec aliter periculum vel ſcandalum poſſet impediri, tunc Superior deberet publicè redargui ; juxta exemplum S. Pauli Apoſtoli, qui publicè redarguit Petrum Apoſtolorum Principem & ſupremum Eccleſiæ Præſulem. *Galat.* 2.

297. Ut vero præceptum fraternæ correctionis obliget, plures conditiones concurrere debent. *Prima* eſt, quod delictum debeat eſſe grave & mortale, aut ſaltem tale, quod inducat periculũ incidendi in mortale. Quod intellige de correctione inter æquales, ſivè inter tales, qui non ſunt Prælati & Superiores : nam hi habent gravem obligationem corrigendi etiam leviores Regulæ trangreſſiones, & nihil per negligentiam diſſimulandi : nè ſenſim ex parvis initiis diſciplinæ evaneſcat. Quamvis enim prævaricationes aliquæ contra Regulam videantur leves, & exigui momenti ; nihilominus paulatim ad totius diſciplinæ laxationem & diſſolutionem diſponunt ;

nunt; ſicut pulchrè declarat Molanus *lib. de Canonic. c. de cæremoniis*, ſimilitudine deſumptâ à virgis vietis, quibus vaſa conſtipantur: hæ enim virgæ ſivè canthi lignei colligantur aliis minutioribus ligulis, quæ quidem ligulæ per ſe viles ac inutiles videri poſſent: Si tamen hæ diſſiliant, etiam circuli vieti diſſilient, atq; ita ob ruptas viliores ligulas totius vaſis conſtipatio reſolvetur. Sic diſciplina Regularis habet quidem quasdam minutiores (uti apparet) obſervantias; earum tamen neglectus eſt diſpoſitio ad totius diſciplinæ interitum.

Dixi verò Superiores habere obligationem nihil *per negligentiam* diſſimulandi: nam prudens & diſcreta ſivè rationabilis diſſimulatio vel conniventia quandoq; neceſſaria eſt, & utilis, ſaltem ad tempus; uti advertit S. Gregorius paſtoral. p. 2. c. 10. quia ſecta immaturè vulnera intumeſcunt ferventiùs. Sæpè autem Peccantes pro tunc immaturi ſunt ad correctionem admittendam propter iram, triſtitiam vel ſimilem paſſionem. Undè opportunior ex pectanda eſt occaſio, ut finis correctionis obtineri poſſit. Sicut ait S. Auguſtinus *ſerm. 36. de Sanctis. Solent aliquoties Doctores Eccleſiæ ab increpatione peccantium ceſſare; quia eos timent ex ipſâ caſtigatione ad majora mala prorumpere.* Et *lib. 1. de civit. c. 9. ſi propterea quisq; objurgandis & corrigendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipſis metuit, nè deteriores ex hoc efficiantur, videtur eſſe Conſilium charitatis.* Quæ tamen intellige

de

de peccatis occultis & minimè scandalosis: Nam de publicis & scandalosis aliter inferiùs loquemur.

Secunda conditio est, quod delictum debeat esse certum moraliter per indicia urgentia & violenta: Nam probabilia tantùm signa, aut solæ conjecturæ non sufficiunt ad inducendam obligationem corrigendi proximum. Neq; tenetur privatus aliquis inquirere in peccata aliorum, ut ea corrigire possit; Imò talis inquisitio illicita est; Sicut ait Scriptura *Proverb.* 24. *Ne quæras impietatem in domo justi; neq; vastes requiem ejus.* Superiori tamen & Prælato, ut maturè possit obviare malis, incumbit etiam ex probabilibus solùm conjecturis procedere ad inquisitionem, sed cautam, prudentem, & discretam; nè scilicet simulta uspicio eum reddat præcipitem, & subditis exosum, neq; tamen etiam incuria & dissimulatio multiplicationem pariat delictorum occultorum; sicut benè notavit Cajetanus *in q. 33. D. Thomæ a. 2.*

Tertia conditio est, ut ille, quem corrigere volumus, verè indigeat correctione; nam si delictum proximi jam esset emendatum, vel ipsius aut aliorum operâ speretur maturè emendandum, non teneremur nos eum corrigere. Notant tamen Doctores, quod sola peccantis prudentia, quâ posset, si vellet, seipsum emendare, non liberet ab obligatione eos, qui crimen nôrunt.

Quarta conditio est, quod correctio debeat sperari prudenter futura utilis, & finem suum obten-

obtentura, saltem, probabiliter; alioquin enim erit actus otiosus, ad quem nemo obligatur. Undè S. Augustinus *lib. 50. homiliar. homil. 41. Si scirem, non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.*

Quod si quis rationabiliter dubitet, sitnè profutura, an obfutura correctio, tunc potest eam tutò omittere. Si verò certò sciat, saltem moraliter, correctionem non obfuturam; dubitet tamen, an sit profutura, tunc lege charitatis tenetur eam proximo impendere, non secus ac medicus obligatur ad medicinam dubiam adhibendam in necessitate, quam scit non obfuturam, ambigit tamen, an sit profutura; uti docet Gregorius de Valentia *tom. 3. disput. 3. q. 10. punct. 2.* similiter non liberamur ab obligatione corrigendi, si ex correctione nullum aliud damnum ex parte proximi secuturum credatur præter solam tristitiam; vel exasperationem aliquandiu duraturam: Dummodò ille se posteâ seriò emendaturus videatur. *Etsi contristavi vos in epistolâ; non me pœnitet*; inquit Apostolus *2. Corinth. 7. sed gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Aliud foret, si ex correctione damnum tale prudenter timeremus, quod bono spirituali proximi per correctionem procurando præponderaret. Propter quod S. Thomas q. 32. a. 12. ad. 3. ait. plerumq; non nisi veniali-ter peccare eos, qui, cùm Superiores non sint, ex passione timoris aut verecundiâ, vel pusillanimitate non existimant, se tam strictè obligari;

gari; aut se minus idoneos reputant ad correctionem faciendam.

298. Porrò quod *modum correctionis* concernit, observandus est inprimis ordo præscriptus in Evangelio à Christo *Matth.* 18. Qui talis est: *si peccaverit in te frater tuus; vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Primò igitur peccans debet moneri *privatim* & absq; testibus: quamdiu enim admonitio privatim facta creditur profutura, nunquam ad testes est perveniendum. *Si solus nôsti, & vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor*; inquit S. Augustinus *serm. 16. de verbis Apostoli.* Secundò si admonitio privatim facta non profuerit; tunc in secundâ admonitione adhibendus est unus testis aut duo; ut qui coram uno & solo correctore non erubuit salubriter ad emendationem, saltem nunc erubescat coram pluribus. Notat tamen cum aliis S. Thomas *q. 32. a. 8. ad 4.* posse etiam delictum post primam admonitionem secretò & privatim, sed inutiliter factam, immediatè & proximè deferri ad Superiorem tanquam personam non publicam, sed privatam, & majori dexteritate ad utiliter corrigendum præditam. Quæ etiam videtur fuisse mens Divi Augustini *in Regulâ*, dum ait: *sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si negaverit, prius Præposito debet ostendi; si admonitus neglexerit corrigi: nè fortè possit secretius correptus non innotescere cæteris.*

Tertiò si admonitio secunda coram uno vel duobus testibus facta etiam non profuerit, tunc delictum debet ad Superiorem tanquam ad personam publicam & criminum vindicem deferri; utpotè qui caput est Ecclesiæ seu congregationis.

Advertunt tamen Doctores, præceptum hoc Christi circa *modum* corrigendi, cùm sit affirmativum, non obligare semper & pro semper, sed solùm pro tunc, quando is modus & ordo est necessarius vel utilis ad finem correctionis consequendum. Undè S. Augustinus *serm.* 16. *de verbis Domini discernere debemus, aliquando istud, aliquando illud esse faciendum; aliquando corripiendo fratrem inter te & ipsum solum, aliquando coram omnibus.* Casûs autem, in quibus ordo correctionis præscriptus non est necessariò observandus, assignantur tres sequentes: primus est, si peccatum proximi sit notorium & scandalosum: tunc enim non amplius necessarium est parcere famæ proximi, sed potest is ac debet statim coram aliis, qui nôrunt, argui; juxta Apostolum 1. *Timoth* 5. *Peccantes coram omnibus argue; ut & cæteri timorem habeant.* In quem locum S. Chrysostomus: *Quid? nonnè majus scandalum facit coram omnibus arguere? minimè id quidem. Magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes, nullum inferri videant cruciatum: sicut enim si impunè peccatur, plurimi delinquunt, ita si peccata puniantur, complures virtuti studeant.* Et S. Gregorius *in Regist. manifesta peccata non*

sunt

sunt occultâ correctione purganda; sed palàm sunt arguendi, qui palàm nocent. Secundus casus est, si præscriptus ordo fiat inutilis secundùm aliquam sui partem, puta, cùm prudenter & rationabiliter judico, nihil me effecturum, sivè corrigam sine testibus, sivè cum illis: tunc enim possum immediatè crimen deferre ad Superiorem, etiam quà talem, & quatenùs est persona publica ac vindex, ut delinquentem pœnis coerceat.

Tertius casus est, quando ipsemet delinquens renunciavit juri suo, ita ut contentus sit, si peccatum suum statim deferatur ad Superiorem, non solùm correctionis fraternæ, sed etiam punitionis gratiâ.

299. Præterà ad correctionis *modum* pertinet, ut ea fiat cum charitate, mansuetudine & lenitate; ita ut correctus sentiat, admonitionem vel reprehensionem procedere non ex odio, passione iræ, aut animi elatione & fastu, sed ex amore & compassione erga ipsum. *Servum Domini non oportet litigare,* inquit Apostolus 2. *Timoth. 2. sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestiâ corripientem.* Et *Galat. 6. Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* S. Chrysostomus *homil. 3. ad Popul. Antiochen.* ait: *Vis fratrem corrigere? lachrymare, ora Deum ex corde, apprehensum admone, consule, exhortare. Sic Paulus faciebat. Demonstra charitatem erga peccatorem.* Et *homil. 7. in Acta Apostolorum.*

Si volueris quempiam, qui injustè egit, corripere; magnâ cum mansuetudine illum alloquere. Causam & rationem dat S. Ambrosius *lib. 8. in Lucam c. 27. Plus perficit amica correptio, quàm accusatio turbulenta: illa pudorem incutit; hæc indignationem movet.* Et alibi, *non semper in eos, qui peccaverunt, vindicandum: quia nonnunquam amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, lapso ad correctionem.* Et S. Gregorius *lib. 9. Registri. c. 4. In correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personas diligas, & vitia persequaris: nè, si aliter agere volueris, transeat in crudelitatem correctio; & perdas, quos emendare desideras.* Quod tamen potissimùm intellige de iis, qui peccârunt non ex malitiâ, sed ex ignorantiâ, aut fragilitate, vel passione iræ, tristitiæ &c. abrepti. De quibus idem S. Gregorius *part. 2. pastor. c. 10. Nonnulla sunt leniter corrigenda: nam cùm non malitiâ, sed solâ ignorantiâ vel infirmitate delinquitur, profectò necesse est, ut magno moderamine ipsa correptio temperetur.* Quod si verò delictum procedat ex malitiâ, tunc severitas & rigor aliquis admisceri debet; juxta illud Apostoli *ad Tit. 1. Increpa eos durè, ut sani sint. &c. Quemadmodùm enim eorum culpa, qui per ignorantiam deliquerunt, quadantenùs, toleranda est; sic eorum, qui scienter peccaverunt, fortiter est castiganda;* Inquit S. Gregorius *in Registro lib. 17. c. 7.* Similiter duriùs sunt increpandi, qui publicè & cum aliorum scandalo delinquunt; ut idem docet S. Gregorius

lib.

lib. 7. epist. 1. explicans illud Pauli: *Seniorem nè increpaveris.* ait enim: *Hæc Regula tunc servanda est, cùm culpa Senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem Senior ad interitum juvenibus exemplum præbet, ibi districtâ increpatione feriendus est.* Dixi, severitatem & rigorem esse *admiscendum* scilicet lenitati & clementiæ: quia nunquam correctio aliqua fieri debet sine misericordiâ & charitate admixtâ: *Cogitemus, cùm aliquem reprehendere nos necessitas cogit, utrùm tale sit vitium, quod nunquam habuimus; & tunc cogitemus, nos homines esse, & habere potuisse: vel tale, quod aliquando habuimus, jam non habemus; & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat;* inquit S. Augustinus *lib. 2. de serm. Dom. in monte. c.* 20. Et S. Gregorius Nazianz. *in orat. de moderat. in disput. Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idq; leniter & humanè, non ut hostis, neq; ut durus & rigidus medicus, neq; ut sectionibus tantùm & cauteriis adversùs morbum sciens grassari; partim te ipsum accuses, infirmitatisq; tuæ conscius sis.*

Deniq; zelus animarum non contentus est monuisse semel; sed instat, urget, & sollicitat constanter; sicut ait idem S. Gregorius *ibidem:* Si *primùm obluctetur; leniter expecta:* Si *Secundò; nè animum despondeas: nondum enim curationis tempus effluxit:* Si *Tertiò benignum illum & humanitate præditum agricolam*

lam imitare; Dominum adhuc deprecare; ne infructuosam ficum excidat. Et Apostolus 2. *Timoth.* 4. *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia.* Ad eum scilicet modum, quem ipse in admonendo & exhortando tenuit *Actor.* 20. Quando *per triennium nocte & die non cessavit, cum lachrymis monens unumquemq;*.

§. 6.

De zelo animarum in prædicando verbum Dei.

300 Quia *prædicatio verbi Dei* plurimùm valet ad salutem & perfectionem animarum promovendam; ideò illi, qui zelo & igne Divini Amoris flagrant, nullum laborem & cònatum in suis concionibus prætermittunt; sed toti in eo sunt, ut juxta exemplum Prophetarum, Joannis Baptistæ, Christi, & Apostolorum ejus per prædicationem infideles perducant ad Fidem; hæreticos ad gremium Ecclesiæ Catholicæ, peccatores ad pœnitentiam, justos ad incrementum justitiæ, universos autem ad cœlestem Beatitudinem.

Atq; hinc *primò* non ambiunt cathedras sublimes, nominatas & honorificas in urbibus; non quærunt auditorium virorum & fœminarum nobilium; sed parati sunt cum Apostolis juxta præceptum Christi prædicare Evangelium *omni creaturæ*, sine acceptione personarum, & absq; discrimine locorum; sequentes in hoc

suum

ſuum Magiſtrum, qui cœpit prædicare non Hieroſolymis in templo coram principibus viris & optimatibus, ſed in Galilæâ coram populo, *qui ambulabat in tenebris & in regione umbræ mortis. Matth.* 3. Habuitq; ſermonem & concionem illam de octo Beatitudinibus, quæ totius Chriſtianiſmi eſt Fundamentum & baſis, imò tota perfectio, non in celebri quâdam urbe vel oppido, ſed in monte; uti ſignanter exprimit idem Matthæus c. 5. Quamvis autem aliquoties etiam Jeroſolymis prædicaverit, ſæpiùs tamen & frequentiùs in oppidulis, caſtellis, vicis & villis, atq; etiam ruri, in deſerto, & aliquando juxta mare in littore docuit; Sicut videre eſt apud Marcum *c. 6. & alibi.* Undè *Luc.* 4. ait: *Spiritus Domini ſuper me; evangelizare pauperibus miſit me.* Et *Luc.* 7. ad diſcipulos Joannis inquit: *Pauperes evangelizantur.*

Secundò qui zelum animarum habent, non ſunt ſolliciti de inveniendis materiis altioribus aut excogitandis conceptibus ſubtilioribus, ut eos pro concione tractent, & nomen ac famam viri docti per hoc obtineant; ſed id ſolum & unicum curant, ut materiam utilem & captui Auditorum accommodatam proponant, per quam hi erudiantur in Fide, erigantur & confortentur in ſpe, accendantur & inflammentur in charitate, diſcant declinare vitia, exercere virtutes, ac tandem ſalvi fiant. Sicut monet Tridentinum *ſeſſ. 5. de reformat. c. 2.* præſcribens, ut concinatores *plebes commiſſas pro ſuâ & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt*

ad salutem, annuntiandoq; eis vitia; quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Propter quod zelosus concionator non solet conciones impressas & formatas ex libris indiscriminatim desumere, & ex cathedrâ deblaterare; Sicut quidam faciunt, parùm curantes, an ea materia suis auditoribus conveniat, nec ne: sed ante omnia sollicitè prius inquirit, quæ vitia in populo prædominentur, qui abusus & malæ consuetudinis vigeant, & quæ sit spiritualis indigentia vel necessitas auditorum. Quibus probè compertis apud se deliberat, quid ex præsenti Evangelio utiliter & fructuosè tractare & inculcare possit, ut suæ obligationi, & Auditorum necessitati satisfaciat. Non enim quærit prædicare seipsum: Sed *Jesum Christum, & hunc crucifixum*; Sicut ait Apostolus 2. *Corinth.* 4.

Tertiò zelus Animarum efficit, ut concionator materiam inventam taliter ordinet & disponat, talemq; in proponendo formam, modum & rationem observet, qualem prudenter judicat esse capacitati auditorum convenientiorem, magisq; ad eos instruendos & movendos accommodatam: Sicut requirit Tridentinum suprà dicens: *plebes pascant salutaribus verbis, cum brevitate & facilitate sermonis &c.* Undè Apostolus 1. *Corinth.* 2. de se & concionibus suis ait: *Ego cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientia. Non enim judicavi me aliquid scire inter vos,*

nisi

nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum: & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. Pulchrè S. Hieronymus *epist. ad Nepotianum Clericum: Docente te in Ecclesiâ, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lachrymæ auditorum laudes tuæ sint. Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulumq; sine rationæ, sed mysteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est &c.* Refert Joannes Bisselius *in Phœnomenis Historicis exemplo* 4. ex Joanne Nadasi, quod Franciscus de Loredo concionator in totâ Hispaniâ celeberrimus post quinquaginta à morte suâ annos apparuerit cuidam Patri Augustiniano, eiq; narraverit, qualiter multo tempore in igne purgatorio graves pœnas luere debuerit, eò quod juvenis adhuc concionator, per elegantiam & ornatum verborum magis quæsierit propriam laudem, quàm auditorum spiritualem utilitatem. Propter quod jussit eundem Augustinianum adire Superiorem Ordinis sui, & eidem significare, ut concionatores suæ Congregationis caveant, verborum & sententiarum elegantiâ suam eloquentiam populo ostendere; magisq; laborent, plebem solidis Fidei ac morum doctrinis informare, & propositione tùm pœnarum ad cœlum perducere.

§. 7.

De zelo animarum in catechizando.

301 NOmine *catechizationis* intelligitur instructio & informatio rudium in Fide, & principiis vitæ Christianæ. Quæ instructio quò magis est necessaria ad salutem, eò libentiùs & ferventiùs, & accuratiùs peragitur à zelosis operariis; ita ut eam præferant concionibus. Sanè Concilium Tridentinum sess. 24. *de Reform. c. 4.* Episcopis Catechesin tanquàm rem valdè necessariam, etiam per censuras Ecclesiasticas urgendam commendat, dicens: *Episcopi, saltem Dominicis & aliis festis diebus pueros in singulis Parochiis Fidei Rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent.* Quæ etiam causa fuit, cur idem Sacro-Sanctum Concilium mandaverit conscribi catechismum (quem vulgò *Catechismum Romanum* vocamus) eumq; Pius V. Papa in lucem edi jusserit; Sicut decretum fuit *in eâdem sess. c. 7.* his verbis: *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentiâ atq; animi devotione accedat, præcipit Sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum, cùm hæc per seipsos erunt administranda, priùs illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent; sed etiam id à singulis Parochis piè prudenterq;, etiam linguâ vernaculâ, si opus sit, & commodè fieri poterit, servari*

servari studeant, iuxta formam à Sancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam; quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atq; à Parochis omnibus populo exponi curabunt. &c.

Concilium Tridentinum præceſſerunt plures SS. Patres & Eccleſiæ Doctores, qui Catecheſes, libros & Homilias pro inſtructione rudium conſcripſerunt. Sic D. Auguſtinus quatuor libros in Symbolum Apoſtolorum reliquit, qui nihil aliud quàm breves ſermones ad catechumenos, pueros, & rudes adultos continent. Alium verò ſcripſit de Catechizandis rudibus; & rurſus alium de Fide & Symbolo. S. Ambroſii quinq; libri de Sacramentis, in quibus etiam orationem Dominicam c. 4. explicat, quid aliud ſunt, quàm catecheſes & inſtructiones rudium? S. Chryſoſtomus homiliam ſcripſit de Oratione Dominicâ, duas in Symbolum Apoſtolorum; ac alias duas ad Neophytos & baptizandos. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus plures catecheſes in ſuâ Myſtagogia complectitur; & S. Gregorius Nyſſenus in Oratione illâ, quæ vocatur *magna & catechetica*.

302. Neq; ſolùm calamo, ſed etiam opere & facto ſtrenuos & zeloſos Catechiſtas ſe exhibuerunt Sancti viri. Primus & Anteſignanus fuit Sanctus Sanctorum Chriſtus Dei Filius, qui non ſolùm parvulos juſſit venire ad ſe *Matth.* 19. & *Marc.* 10. ſed adultos quoq; inſtruxit ac docuit orare. *Matth.* 6. Explicavit illis Decalogi præcepta. *Matth.* 5. Expoſuit Articulos Fidei

circa

circa Deum Trinum & unum, resurrectionem à mortuis, diem Judicii, remunerationem Bonorum &c. Undè Sancti Evangelistæ de eo referunt, quod *vidit turbam multam, & misertus est eis; & excepit eos; quia erant sicut oves non habentes pastorem; & cœpit eos docere multa, & loquebatur de Regno Dei. Et iter faciebat per civitates, & castella seu vicos, prædicans Regnum Dei*; ut inquit S. Lucas c. 8. In quem locum Theophylactus: *Ille, qui de cœlo descendit, ut exemplum & formam vitæ nobis daret, operibus nos docuit in charitatis officiis non negligentes, nec remissos, sed valdè diligentes esse; neq; tantum in civitatibus catechizabat, & verbum Dei prædicabat, sed multò magis in castellis; nè magnas civitates quæramus, sed viles & contemptas villas adeamus, ad docendas animas, & trahendas ad Deum.* Christum cum aliis Apostolis secutus fuit S. Paulus, qui de suâ catechesi ait 1. *Corinth.* 3. *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Et *Hebr.* 5. *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo; & indigetis, ut doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei.* Item 1. *Thessal.* 2. de se & aliis Apostolis ait: *facti sumus veluti parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Apostolis successerunt alii viri Apostolici, imprimis autem S. Augustinus, qui sermones illos catecheticos in Symbolum Apostolorum habuit & dixit ad Catechumenos pueros, & adultos. S. Hieronymus *epist. ad Lætam* ait: *Magistrum me & nutricem spon-*

deo;

deo; gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo &c. Eusebius *lib. 5. Histor. c. 10. & lib. 6. c. 10.* scribit, SS. Clementem Alexandrinum, Pantenum, & Heraclam, initio in Scholis suis aliud non habuisse quàm lectiones catecheticas, quibus catechumeni & rudes instruebantur. S. Norbertus quondam Sanctensis Canonicus, posteà Ordinis candidi Præmonstratensis Institutor, & Magdeburgensium Archiepiscopus, cùm tantus esset concionator, ut D. Bernardus eum *fistulam auream Divini verbi* nominaret, neglectis urbibus elegit potiùs catechizare in vicis & pagis; uti *de* eo refert Gedeon Forster Archidecanus, & Consistorii Ratisbonensis Consiliarius *in suâ epist. Paranet. §. 5.* De S. Cutberto Lindisfarnensi Episcopo legitur in ejus vitâ, quod frequenter ad villas montanas, & loca solitaria, quo non veniebant alii concionatores, cursitaverit, ibidemq; multis diebus catechizando perseveraverit. S. Carolus Borromæus, Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, & gravissimorum negotiorum perpetuâ mole gravatus, sæpè alpes nivibus tectas & ferè inaccessas reptando superabat, non sine cruentis vestigiis, ut ibidem habitantes feros & rudes homines catechizaret; uti habetur in vita illius *lib. 6. c. 4. & 5.* Deniq; ut alios innumeros taceam, Joannes Gerson Parisiensis Academiæ Cancellarius, sui temporis facilè Doctissimus, in catechizandis pueris & rudibus fuit assiduus & indefessus; scripsitq; peculiarem tractatum *de rudibus & pueris*

pueris ad Christum trahendis. Ubi inter cætera ait: *Adeò jam indignum videtur apud multos, si quis ex Theologis, aut famosius in literis, vel Ecclesiasticâ dignitate præditus ad hoc se opus inclinaverit, præsertim circa rudes & parvulos, quod mihi in fabulam & improperium cesserit. Convincit autem illos exemplum Christi, qui, sinite, inquit, parvulos ad me venire, talium est enim Regnum cœlorum. O piissime Jesu! quis ultrà post te verecundabitur esse humilis ad rudes & parvulos; quando tu, qui es Deus, usq; ad castissimos puerorum amplexus brachia mansuetus inclinas, atq; circumligas? Da mihi aliquem, qui spiritualis est, qui quærat non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; quem totum repleverit charitas, Humilitas, zelus, pietas & nullum in eo locum inveniat vanitas, & cupiditas; cujus conversatio in cœlis sit; qui tanquam unus ex Angelis Dei, nec benedictione nec maledictione moveatur; qui nullis stimuletur aut alliciatur formis corporum, sed abstractus in sublimi arce rationis in solâ animarum perspicaci qualitate versetur; & hæc intelliget. Sed dicunt, occupationem meam in majoribus esse debere. Nescio prorsus, si quicquam majus esse potest, quàm animas ab ipsis inferni portis eripere. Sed asserunt, me in prædicationibus publicis ista magnificentiùs operaturum: id quidem fortè pomposius, sed meo judicio non efficacius, neq; fructuosius. Venite ergò ad me parvuli & rudes: ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis; Sic Angelos nostros vicissim lætificabimus.* §. 8.

§. 8.

De zelo animarum in administratione Sacramentorum.

303. PEr Sacramenta, ait Concilium Tridentinum *sess. 7. in proœmio, omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Hæc enim instituta sunt, *tanquam remedia, atq; Evangelici Samaritani medicamenta, ad animarum sanitatem vel recuperandam, vel tuendam: quia virtutem, quæ ex passione Christi manat, hoc est, gratiam, quam ille nobis in arâ crucis meruit, per Sacramenta quasi per alveum quendam in nos ipsos derivare oportet: aliter verò nemini ulla salutis spes reliqua esse poterit*; Uti dicitur in Catechismo Romano *de Sacrament. in genere.* Undè inter reliqua media, quibus animarum salus & profectus procuratur, non ultimum locum tenet Sacramentorum administratio; imò *in Ecclesiâ Dei nihil sanctus, aut utilius, nihilq; excellentius aut magis divinum habetur, quàm Sacramenta ad humani generis salutem à Christo Domino instituta*; ut inquit Paulus Papa V. in Rituali Romano *de administr. Sacram. in genere*, qui etiam accuratè & nervosè tradit, quâ ratione & modo quodlibet Sacramentorum cum ædificatione & fructu administrari possit ac debeat.

Porrò solet Animarum zelus circa Sacramentorum dispensationem se exerere in sequentibus: primò quia in Ministro maximè Sacramenti

menti Pœnitentiæ requiritur *maxima scientia*; ut inquit Idem Pontifex ; quâ *rectè judicare queat , discernens inter lepram & lepram , & tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare , & apta cuiusq; remedia applicare sciat* : Hinc is, qui statum vitæ mixtæ amplexus est, tempore illo, quod inter professionem & sacerdotii susceptionem mediat , toto conatu & omnibus viribus in hoc incumbit, ut per assiduum studium Theologiæ maximam hanc scientiam ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem adeò necessariam acquirat. Nam post adeptum Sacerdotium, quando actualiter quis in officio confessarii est constitutus, velle modo studere & laborare pro notitia Theologicâ comparandâ , nimis temerarium est , & plurium gravissimorum errorum periculo expositum. Undè Tridentinum *sess. 23. de Reform. c. 14.* requirit, ut presbyterandi sivè ad Sacerdotium promovendi , *diligenti examini præcedente ad administranda Sacramenta idonei comprobentur.* Nec minus à confessario exigi potest; cùm etiam à chirurgis & Medicis corporum, antequàm ad praxin admittantur, prævio examine rigoroso requiratur scientia officio suo congrua & sufficiens. Quanquàm & post susceptum officium tàm confessarius, & medicus Animarum quàm corporum non debeat cessare à studiis & lectione librorum; ut notitia antecedenter acquisita non solùm non deperdatur rursùm, sed insuper augeatur;

geatur : quia communis ſententia eſt, vix à confeſſario totâ vitâ ſuâ comparari poſſe tantam ſcientiam, quâ omnes omninò difficultates, in ſacro Tribunali occurrentes diſſolvere queat.

Secundò quia Sacramenta *gratiam, quam continent, non ponentibus obicem conferunt;* ut inquit Tridentinum *ſeſſ. 7. can.* 6. Zeloſus operarius & diſpenſator fidelis, omni, quâ poteſt, ratione ſuſcipientes adjuvat, ut ea dignè & ſine obice accipiant, atq; etiam ulterius laborat, ut cum majori præparatione & meliori diſpoſitione accedentes uberiorem gratiam percipiant. Propter quod juxta monitum Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de reform. c. 7. Prius Sacramentorum vim & uſum pro ſuſcipientium captu explicat; ut fidelis populus majori cum reverentia atq; animi devotione accedat.* Sub ipſâ verò actuali perceptione Sacramenti Pœnitentiæ ad vehementem animi de peccatis dolorem & perfectam contritionem excitandam verbis convenientibus pœnitentes adjuvat, & inducit.

Tertiò zelus animarum efficit, ut nullum laborem, moleſtiam, difficultatem, quæ frequenter in diſpenſatione Sacramentorum, maximè pœnitentiæ occurrit, & in excipiendis rudium confeſſionibus toleranda eſt, horreamus & declinemus; imò nec ipſius vitæ diſcrimen adire fugiamus, ſi ita neceſſitas acquirat; quomodò tempore peſtis & contagioſæ luis requirit. Qui zeli effectus maximè ſe prodidit in S. Carolo Borromæo Mediolanenſi Archiepiſcopo, & Cardi-

nali, qui graſſante in civitate Mediolanenſi peſtiferâ lue, infectis & ad mortem properantibus non ſolùm neceſſaria Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, verùm etiam Unctionem Extremam ſuis manibus adminiſtravit; uti habetur in ejus vitâ.

Quintò zelus Animarum efficit, ut in diſpenſatione Sacramentorum, maximè autem in audiendis confeſſionibus, nullum diſcrimen aut differentiam faciamus; nullam perſonarum acceptionem aut reſpectum habeamus; ſed ſicut Sacramenta pro omnibus tàm pauperibus & infimis, quàm divitibus & ſummis à Chriſto ſunt inſtituta, ita ut omnibus ea petentibus indifferenter adminiſtremus. *Omnes animæ meæ ſunt*; inquit Deus *Ezechielis 18. ut anima, patris, ita & anima filii mea eſt.* Nec apud Deum pretioſior eſt anima viri Nobilis, quàm Ruſtici aut opilionis. Undè S. Jacobus c. 2. *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Nonnè Deus pauperes elegit in hoc mundo?*

§. 9.

De zelo animarum Ordini Canonico Præmonſtratenſi proprio & peculiari.

504. SAcer Ordo Canonicus Præmonſtratenſis non tantùm functiones vitæ Activæ obit, ſicut alii Clerici Regulares; ſed inſuper curam animarum exercet, & parochias adminiſtrat

niſtrat, vi profeſſionis & ex fine ſuo. *Ordo Præmonſtratenſium ex inſtituto ſuo adminiſtrationem Parochiarum exercet;* inquit Henricus Wagnereck *in c. 1. de Capell. Monach. notat.* Et Jacobus Vitriacus, qui primò fuit Epiſcopus Acconenſis in Syriâ, poſteà Tuſculanus. Et S. R. E. Cardinalis, ac Sedis Apoſtolicæ per Germaniam, Galliam & demùm Syriam Legatus, quiq; Omnem Ordinis Præmonſtratenſis in Orientali & Occidentali Eccleſiâ conſtitutionem & praxin perſpectam habuit, de illius Profeſſoribus ſic ſcribit *in Hiſtor. Occident. c. 22. Parochiales Eccleſias & Animarum ſæcularium curas in propriis perſonis ſuſcipiunt.* Mortuus autem eſt Jacobus Vitriacus Anno Chriſti 1244. Qui fuit poſt mortem S. Norberti Centeſimus Decimus; Adeoq; à ſuis incunabulis & primævâ Inſtitutione hoc habet Ordo Præmonſtratenſis, quod Parochias ſæculares adminiſtret. *Equidem Princeps Inſtituti Norbertus Canonicum ac Monaſticum vitæ genus conjungens, contemplatricis & practicæ exercitationis ſtudiis Alumnos ſuos informabat, quò in omnem partem Eccleſiæ divinis laudibus ardentiſſimâ charitate promovendis, prædicatione verbi Dei & paræciarum ſollicitâ adminiſtratione, fructibus præclaris redundantibus, citò mutatis in melius moribus alia Eccleſiarum facies ubiq; reſplenderet. Malo igitur ſocordiæ parochorum latè graſſanti, & in Orbem infeliciter diffuſo Deipara per S. Norbertum atq; Ordinem ſuum candidum ſuccurrit;* Uti teſtatur Joannes Antonius à

Gurnez, Congreg. Orator. presbyter *in suâ Lacâ parthenicâ c.* 43. Id quod etiam summi Pontifices ultrò fatentur & confirmant. Nam Urbanus Papa IV. in Motu proprio. *Quia igitur*, Anno 1262. ait: *Canonici vestri ex nostrâ speciali indulgentiâ possunt Ecclesias parochiales habentes curam animarum impetrare, & impetratas per vestram officiare licentiam.* Sixtus Papa IV. in Diplomate Præmonstratensibus Anno 1474. concesso inter cœtera sic habet: *prospicientes, quod Præmonstratensis Ordo non propriæ tantùm, sed & alienæ salutis curam gerit, virisq; proindè literatis plurimùm indigere dignoscitur. &c.* Clemens Papa III. in literis, quæ incipiunt: *Religiosam vitam* &c. Anno 1188. Ordini Præmonstratensi concessis, circa finem ait: *In parochialibus Ecclesiis, quas habetis, licet vobis quatuor vel tres de Canonicis vestris ponere, quorum unum Diœcesano Episcopo præsentetis; qui ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus, & de Ordinis observantiâ debeat respondere.* Deniq; ut alia summorum Pontificum testimonia taceam, in ipsâ Diœcesi nostrâ Herbipolensi plures parochiæ cœnobio Cellæ Dei Superioris per sedem Apostolicam sunt incorporatæ, cum hac expressâ conditione, ut eæ parochiæ semper per aliquem Canonicum Regularem & Sacerdotem in memorato Cœnobio Cellæ Dei professum administrentur; uti videre est in ipso incorporationis instrumento.

Quod autem Ordo Præmonstratensis nunquam ab hoc suo fine, instituto, & zelo defecerit

cerit, sed â principio suæ fundationis ad hodiernum usq; diem unâ continuâ & nunquam interruptâ serie in diversis Christiani Orbis partibus munus Parochiale cum magno Reipublicæ Christianæ bono & fructu administraverit, & adhuc administret, testantur Acta Martyrum Gorcomiensum Brilæ Anno 1572. ab Hæreticis interemptorum; qui Anno 1674. declarati, sunt *Beati*. Inter quos duo, nempe B.B. Adrianus & Jacobus curam animarum gesserunt & pastores fuerunt ex Ordine Præmonstratensi; atq; ex parochiâ suâ per milites abducti sunt in carcerem, & ex carcere ad mortem. Testantur Archiva Reverendissimorum Episcoporum, in quorum Diœcesibus Canonici Præmonstratensis Ordinis hactenus parochias obtinuerunt. Testatur Aubertus Miræus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis Decanus, & â diversis doctissimisq; scriptis celebratus; qui *in præfat. Chronici Præmonst.* inter alia sic ait: *Habent ferè singula hujus instituti Monasteria paræcias sibi adnexas plurimas, quibus præfecti seu pastores è numero Religiosorum dari solent. Quod uti huic Ordini inter cæteros penè est proximum; sic & afflictæ Dei Ecclesiæ in hac tantâ bonorum pastorum inopia quàm maximè commodum. Jure itaq; Norbertina Monasteria fœcunda Parochorum, sivè pastorum seminaria quis nuncupare valeat?*

Testatur etiam Nicolaus Crusenius Ordinis Eremitar. S. Augustini, Theologiæ Doctor, per Bohemiam, Austriam & Styriam Apostolicâ

authoritate Visitator generalis, ac Ferdinandi Imperatoris II. Consilliarius. Qui *in suo Monastico Augustinianop. 2. c.* 20. ita scribit: *Habet hic Ordo Præmonstratensis peculiare; quod in omnibus ferè Orbis partibus Pastoratibus deserviat, maximo certè animarum fructu; dum ex Monasteriis tanquàm ex scientiarum ac benè vivendi seminariis, probatiores ad præpasturas & pastoratus dimittuntur, in iisq; Religiosè, castissimè sub Obedientiâ Prælati, ac sine proprio vivunt cum socio; singulis annis fortunæ ac vitæ rationem exponentes Prælato cum omni sinceritate; prout didici ipse experientiâ, cum Anno 1613. in partibus Rhenanis Nomine Sedis Apostolicæ eâdem fultus authoritate, pleraq; Monasteria visitarem; in quibus plura inveni, quæ imitarer, quàm quæ corrigerem.*

Testatur deniq; Reverendissimus Episcopus Buscoducensis Michaël Ophovius, qui publico instrumento die 27. Martii Anno 1627. fatetur, *in Monasterio Tungerloensi Præmonstratensis Ordinis*, in quo *ad centum usq; simul educantur* Religiosi *in omni pietate & doctrinâ, ipsam Religiosorum medietatem ad Evangelicas pastoralesq; missiones destinari, & mirificè fructificare in Ecclesiâ & districtu Buscoducensi.*

Neq; Concilium Tridentinum huic Canonicorum Præmonstratensium fini & intentioni circa parochiarum sæcularium administrationem ullatenus contrariatur; nam S. Congregatio Concilii Tridentini expressè declaravit 1575. *die 27. Octobris*, quod Concilium non prohi-

prohibuerit, quin Canonici Regulares possint uti jure veteri in c. *Quod Dei timorem*, & habere parochias sæculares; nisi quando sunt translati; uti habetur *sess.* 14. *c.* 11. Quod etiam resolverunt Auditores Rotæ Romanæ Anno 1598. die 6. Martii; & novissimè declaratum est à Congregatione Concilii anno 1602. sub Clemente Papâ VIII. his verbis: *Congregatio Concilii censuit, decretis ejusdem Concilii Canonicum Regularem non prohiberi obtinere Beneficia curata sæcularia; nisi fuerint ex iis translatis, de quibus habetur in Decreto sess.* 14. *c.* 11. Videatur Gonz. *ad Regul.* 8. *gloss.* 7. Item Vivian. *in Praxi Juris patr. in append. ad c.* 2. *lib.* 6.

305. Præterea habet zelus animarum in Ordine Præmonstratensi hoc peculiare, quod communiter & utplurimum occupetur ruri & in pagis ac villis circa animas hominum plebejorum, rusticanorum, & pauperculorum convertendas, illuminandas ac perficiendas. Sicut testatur Reverendissimus D. Augustinus Wichman *in sua Brabantia Marianâ lib.* 3. *c.* 30. his verbis: *Quemadmodùm unaquæq; Religio, suum spiritum, finem suum ac scopum, suum certum vitæ genus, atq; objectum habet, in quod per congrua media tendat, & charitatis exercitationem operetur: ita Canonicum nostrum institutum per vitæ Clericalis & pastoralis opera, rudium, simplicium, ac rusticorum maximè instructionem, curam salutemq; intendit. Etsi enim urbibus quoq; sua talenta expendat, ac politioribus etiam viam ad cœlum præmonstret: majori tamen ex parte*

ruri commorantes, rus curamus, ac rusticanas animas ad Christum adducere, cœlo̅q̅ lucrari, impensè laboramus. Et certè hæc simplicium rudium̅q̅ instructio hæreditario jure tanquam unicum Præmonstratensium Patrimonium à Sanctissimo Patre nostro ad nos devolutum est &c. Nec sine singulari Divinæ Providentiæ nutu id ita dispositum, ut sicut civitatibus multiplices Religiosorum Ordinum copias Deus submisit, qui in urbibus fixâ habitatione earum salutem promoverent; Sic etiam ruri de gentibus suam provideret, minimam scilicet D. Norberti Candidam Societatem, qui cum ipsis pariter habitantes, omnem laborem pro ipsorum salute susciperent, id̅q̅ minori periculo, quod magis in urbibus reperitur; at majori cum onere, suiq̅ victoriâ, utpotè apud Rudes & simplices, rerum sublimium minus capaces, absq̅ spe lucri alicujus terreni, quod apud rusticos aut nullum aut exiguum esse potest, majori deniq̅ cum præmio in cœlis. Habeant igitur alii Ordines in confessionali Reges, Principes Magnates, urbium & Aularum inquilinos; sufficit, & ex justo patrimonio humilibus Divi Norberti filiis volupe esse debet, inter rudes simplicesq̅ inglorium reputari, illis se totos impendere, illorum saluti procurandæ omnem laborem & molestiam subire. Hæc enim sparta nobis obtigit, quam quò impensiùs curaverimus, hoc propius finem nostrum adsequemur, & paratam huic muneri à Deo aureolam consequemur.

Ad hoc enim invitamur verbis illis *Cantic. 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis; id est*

id est, in iis, qui sunt villani, hoc est, rudes & tardi ad percipienda dogmata Christi; uti explicat Hugo de S. Victore *in libello de claustro animæ c. 7. docet siquidem hic Spiritus Sanctus, rusticos, viles, & plebejos non esse negligendos; sed catechistas & concionatores debere tam iis, quàm civibus aut Nobilibus prædicare verbum Dei; imò iis utpotè rudioribus erudiendis diutius oportere immorari, donec doctrinam & præcepta vitæ Christianæ capiant & imbibant. Hoc significat Tò commoremur. Sic Christus dum viveret, obibat vicos & castella, evangelizans Regnum Dei*; inquit Cornelius à Lapide in dictum locum ex Theodoreto & aliis.

§. 10.

Quàm difficile & periculosum sit officium pastorale.

306. NE verò quis per immatura vota ad munus parochiale aspiret, antequam scilicet proprium suum spiritum perfecerit, in perfectione se solidaverit, necessariam scientiam ac prudentiam acquisiverit, & à Deo per Superiores tanquam alter Aaron legitimè vocatus fuerit; aut etiam nè vocatus, in eo officio se negligenter habeat; sciendum est, quod officium pastorale sit onus ipsis Angelicis humeris formidandum; in quo millenæ sunt occasiones incurrendi æternam damnationem, tùm ratione officii respectu aliorum negligenter vel timidè administrati, tùm ratione

periculorum respectu propriæ personæ. *O pastor*, inquit S. Thomas *in c.* 13. *ad Hebr. obligâsti te Deo, ut pro grege tuo impendas manum & os tuum; ut quidquid ore potes proloqui, & quidquid manu potes operari, hoc ex sponsione tuâ tenearis præstare; nimirum pascere gregem tuum omni virtutis exemplo, & perenni doctrinæ eloquio. Christus in die judicii de singulis subditorum animabus interrogabit Rectores; ab eisdem singulorum salutem reposcet, dicendo illud Jeremiæ* 13. *Ubi est grex, qui datus est tibi?* S. Chrysostomus *homil.* 34. ait: *Miror, si potest aliquis Rectorum salvari.* Et *homil.* 3. *in c.* 1. *Actor. Apostol. Non temerè loquor, sed ut affectus sum, & sentio: non arbitror, inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant.* Refert Reverendissimus Abbas Augustinus Wichman in Brabantiâ Mariana *lib.* 3. *c.* 30. quod Joannes Clarius, profundissimus & celeberrimus Theologiæ in Academia Lovanienſi Doctor, quandoq; è cathedra doctorali auditus fuerit dicere: *aut Deus valdè misericors est; aut multi pastores damnabuntur.* M. Joannes Avila, vir illuminatissimus, quem à Sanctitate & doctrinâ universa celebrabat Hispania, de officio Parochorum ait *apud Gedeonem Forsterum in præfat. Epist. paranet. Tot tantæq; sunt pastorum obligationes, ut qui vel tertiam earum partem reipsa impleret, Sanctus ab hominibus æstimaretur; cùm tamen eo solo contentus, gehennam non sit evasurus.*

Quod igitur de Episcopis ait S. Gregorius

lib.

lib. 6. in libri. 1. Reg. c. ult. Rectus est Ordo, ut quærantur homines ad Episcopatum, non ut quærant homines Episcopatum. Et S. Bernardus *lib. 2. considerat. c. 5. Qui pro se rogat, jam iudicatus est. Cunctantes & renuentes coge & compelle intrare.* Item Leo Imperator. *l. 3. 1. C. de Episcopis, & Clericis: Non pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat: profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Id, inquam, suo modo etiam dici potest de pastoribus & parochis, qui sunt Episcoporum coadjutores, & in eodem cum illis statu perfectionis esse debēt. Qui enim vel apertè vel occultè satagit apud Superiores procurare, ut ad officium pastorale promoveatur, hoc ipso indignissimus est tali promotione; eò quod manifestè prodat, se nondum scire & intelligere, quæ & quanta sit pastoris animarum obligatio; Si enim eam intelligeret, officium tam arduum non ambiret, sed refugeret. Sanè D. Chrysostomus post adeptam omnem Monasticam Perfectionem fugit omni conatu possibili Officium Sacerdotis Curati & curam Animarum; sicut constat ex sex ejus libris de dignitate Sacerdotali, maximè verò ex *c. 12. lib. 6.* ubi ad Basilium ait: *Ex illo die, ex quo id in dolore percussus, stratus jacebam in terrâ, & nec audire aliquid poteram, nec videre: tantus me terror & tanta invasit defectio. Cùm verò me stupor ille reliquisset, suscipiebat me fletus; & post lachrymarum satietatem ingrediebatur*

diebatur denuò timor, concutiens pectus meum, atq; conturbans &c. Item exc. 3. *lib.* 1. *Insonuerat, quod assumendi essemus ad sacerdotii dignitatem. Ego ergò ut primò ad aures meas sermo est allatus, ejusmodi timore simul & stupore sum completus. Timore quidem, nè fortè caperer etiam invitus &c.* Ubi etiam refert, quâ ratione auffugerit clam & inscio Amico suo Basilio; nè cum illo ad sacerdotium promoveretur. Cùm verò propterea increparetur; causas fugæ suæ reddit & probat per sex libros, videlicet, quia *sapientissimum esse oportet & perspicacem in omnibus sacerdotem, & mille (ut dicitur) ex omni parte oculos habentem; quippè qui non solùm sibi, sed etiam populo vivat. lib. 3. c. 12. Neq; enim solùm mundum esse oportet, qui ministerium tale sortitur; sed etiam valdè prudentem & omnium rerum peritissimum; ut cuncta quidem noverit, quæ ad conversationem spectant hominum, non minùs quàm hi, qui conversantur in medio: ab omnibus autem sit liber, magis quàm Monachi montium habitatores. lib. 6. c. 5. Ipsis itaq; radiis solis splendidiorem oportet esse animam Sacerdotis; ut nunquam à Spiritu Sancto deseratur. lib. 6. c. 1. Multò quippè majore indiget vitæ nitore, quàm Monachi. Pluribus tamen necessitatibus, quàm illi, subditur, quæ eum facere possint ex magnâ parte sordescere; Misi curâ continuâ & intentione plurimâ impenetrabilem se semper exhibeat. Qui verò secessit in eremum, is est omnibus occasionibus liberatus. lib. 6. c. 3. Multa sunt, quibus abundare debet bonis Sacerdos. lib. 3.*

c. 10.

c. 10. *Multo consilio opus est, prudentiaq; Pastoris, & mille (ut dicitur) oculis. lib. 2. c. 4. Intelligo enim illius Ministerii Magnitudinem, grandisq; negotii difficultatem: quod in multis peccare cogatur, qui in medium adducitur; nisi fortissimi fuerit animi atq; diligentis. lib. 3. c. 6. Ego neq; illum qui multum in se documentum Religionis deait, idoneum esse pronuncio, nisi cum Religione plurima abundaverit quoq; prudentia. Novi quippè non paucos idoneos suimet fuisse Rectores, multum in abstinentia & jejunio laborantes; quibus quamdiu licuit esse privatos, & nihil aliud curare quàm propria, & Deo placebant, & indies non modica Philosophiæ talis incrementa capiebant. At ubi in populum prodierunt; aliqui nè inter exordia tantum potuerunt sustinere pondus officii. Qui verò tolerari coacti sunt; perdentes constantiam & veritatem priorem, & sibi intulerunt magna dispendia, & nihil aliis profuerunt lib. 3. c. 15. Cùm igitur quæritur, qui Eccl. proponatur adducantur in medium, qui tantùm spiritûs virtute reliquis appareant altiores, quantùm ab omni populo Hebræorum Saulis eminuerat longitudo, imò amplius. Quanta irrationabilium & ratione utentium differentia est, tantum interesse debet inter Rectorem Ecclesiæ, & cæteros, qui reguntur. Namcui creduntur homines, Grex Christi rationalis, non pecuniæ sed Animæ propriæ damna perpetitur pro talium ovium perditione. lib. 2. c. 2. Reddere causas sacerdos cogitur pro omnibus, quos gubernat. Ideo enim dictum est: Obedite præpositis vestris: Ipsi enim vigilant, pro animabus vestris rationem reddit ur.*

Me-

Metu ac timor istius comminationis animum meum jugiter quatit. Nam si ei, qui unum scandalizaverit & minimum, expedit, ut mola asinaria suspendatur in collo, & demergatur in mare: qui non solùm unum, neq; duos, neq; tres, sed tantam multitudinem perdunt, quale judicium arbitraris excipere? Neq; enim imperitiam causari poterunt, neq; ad ignorantiam convolare, neq; necessitatem afferre de aliorum coactu. lib. 6. c. 1. Cuncta debet timere supplicia is, cui non solùm pro erroribus propriis necesse est rationem reddere, sed etiam pro alienis delictis ad ultimum discrimen adduci. Nam si, qui de propriis vitiis tantùm causas reddituri sumus, tremimus; quid putamus illi faciendum, qui rationem pro tot reproscetur animabus? lib. 3. c. 18. Undè summoperè miratur eos S. Doctor, qui Officium Curatum seu curam animarum ipsi quærunt & ambiunt; ait enim *homil. 34. in c. 13. Epist ad Hebræos. Quid dicamus infelicibus illis & miseris, qui semetipsos ad alios regendos præcipitant, & se in tantorum suppliciorum abyssum jactant? Omnium, quos regis, mulierum, puerorum atq; virorum tu rationem redditurus es. Miror, si potest salvari aliquis Rectorum. Post tantam comminationem video aliquos etiam concurrere, & præcipitare semetipsos tantæ moli ac tantæ difficultati regiminis. Si enim, qui necessitate compelluntur, nullum poterunt habere refugium, neq; ullam excusationem reperient, quando negligenter administrationem gesserint suam (Nam & Aaron necessitate com-*

compulsus est, & tamen in periculum venit; sed & Moyses pericula sæpius sustinui, qui regimen illud sæpè recupaverat) quantò ergò amplius, qui cum studio & ambitione petunt, & semetipsos præcipitant, severiùs puniuntur? Oportet ergò timere ac tremere & propter conscientiam; propter molem, ac Magnitudinem Curæ. Et *lib. 3. de dignitat. sacerdotali c. 10. præcipuè id considerare debet, nè aliquâ ipsius officii cupiditate teneatur. Pernicioſa est aviditas illius honoris.* Item *c. 11. Quocirca oportet undiq; diligenter inspicere, & penitus perscrutari, nè scintilla aliqua cupiditatis hujus honoris in animo asservata celetur.* Rationem addit: *Qui enim potestatem illam non concupiscit adipisci; nec ereptionem ejus veretur. Nam qui metuunt, & nè deponantur, tremunt, amaram sustinent servitutem, & quæ malis redundet innumeris, & qua tam Deum quàm homines frequenter cogunt offendere. Hanc ergò cupiditatem omni labore, omni curâ oportet ab animo segregare, & nec acceptum jam honorem cum amoris passione retinere.* Nam juxta Bedam *in proverb. c. 17. v. 18. stultus est, qui cùm animam Fratris suscipit regendam, de suis gloriatur Actibus; & non potius ei humili compassione, quidquid potest, auxilii salutaris impendit.* Talis enim *stultus homo plaudit manibus suis, cum spoponderit pro amico suo*; ut inquit Sapiens *eit. c. 17. v. 18.* Ubi Cornelius à Lapide: *sic hodie lætantur multi, cum opimos Pastoratus, vel Episcopatus aut Abbatias obtinent; cùm potius gemere deberent sub tanto*

tanto onere, quod tot animarum curam in se suscipiant, pro iisq; animam suam & æternam saltem Deo oppignorent. Et *in c. 13. Hebræor. v. 17. vide quantum sit onnus pastorum & Rectorum, ut non sine causâ dixerit Chrysostomus: Miror, si potest aliquis Rectorum salvari. Ipse enim onus & curam omnium & singulorum subditorum suorum gerere debet, pro eisq; æternæ mortis periculo se exponere: singulorum enim probitas & salus ab eo exigetur in die Judicii.* Item *in c. 11. Zachariæ Prop. S. Antiochus homil. 3. censet, pastorem totum debere esse oculum & mentem; quippè qui certò sciat, se pro animabus à Deo creditis aditurum esse animæ propriæ periculum.* Deniq; *in c. 1. Aggæi. Rarò prælatus liber est à culpa subditorum; eò quod vel illi consentiat, vel dissimulet, & cum possit, non coërceat.* Et *in c. 14. Isaiæ. Cogitent illud S. Chrysostomi homil. 34. in epist. ad Hebr. Mirabile est, si salventur multi Prælatorum. Plures enim damnantur; sciantq; multos damnari in dignitate positos, qui salvarentur, si viverent privati. Cogitent exemplum Christi, qui quæsitus ad regnum, fugit, & privatam egit vitam. Sancti fugerunt dignitates; & dum coacti illas subierunt, quasi sub gravi onere ingemuerunt. S. Martinus, teste Sulpitio, ne diaconatum quidem suscipere voluit, nisi coactus. &c.*

307. Qui tamen post collocatum diligens in comparandis necessariis scientiis & virtutibus studium judicatus fuerit à Superioribus tanto muneri idoneus; non debet ex pusillanimitate volun-

voluntati eorum resistere; sed potest, ac tenetur eorum judicio ac dispositioni se humiliter submittere, maximè in Ordine Præmonstratensi; si ipsum voluerint ad munus pastorale destinare: nè per indiscretam humilitatem, aut damnabilem timorem in aliud extremum incidat, & talenti absconditi reus effectus, cum servo pigro in tenebras exteriores ejiciatur. *Matth.* 25. de quo S. Chrysostomus *homil.* 25. *in* 1. *Epist. ad Corinth. Totum reddidit talentum & suppjicio affectus est; quoniam id non auxit.* Et Cornelius à Lapide *in citatum c.* 25. *Matth. Notent hoc, qui ingenio, doctrinâ, prudentiâ, aliis dotibus sibi à Deo datis non utuntur ad suam aliorumq; salutem ob desidiam, vel metum peccandi, aliave simili de causâ: ab his enim rationem exactam reposcet Christus in die judicii.* Præclarè etiam S. Prosper *lib.* 3. *vitæ contemplat. c.* 28. *Dignitas Ecclesiastica nec ambienda est, nec vitanda. Qui verò præesse ac prodesse populis possunt, si quæsiti non fuerint, justè se ipsos percipiendæ Sapientiæ studiis seu vitæ contemplativæ tradunt.* Verùm *ubi requirit necessitas, vel Ecclesiæ utilitas, vel etiam Superioris præceptum laborantibus opem ferre nolle, cùm possis, & communi Bono posthabito otiosâ quieti frui velle, sibi vivere, nec suas utilitates in commune conferre, nihil habet æquitatis. Sed & contra justitiam faciunt hi, qui merito suæ conversationis vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt; &, cùm possint laboranti Ecclesiæ subvenire, operosa ad-*

Sæ administrationis laborem refugiunt; Ut inquit idem Prosper *suprà c.* 22. Quæ etiam sententia fuit S. Gregorii 3. *part. pastoral. admonit.* 26. dicentis: *Admonendi sunt, qui, cum prædicare utiliter possunt, immoderatâ tamen humilitate refugiunt: ut ex minori consideratione colligant, quantum in rebus majoribus elinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas habent pecunias absconderent; adjutores procul dubio calamitatis existerent: quo ergò reatu constringantur, aspiciant, qui, dum peccantibus Fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, auctores procul dubio mortis existerent: quâ itaq; plectendi sunt pœnâ, considerent, qui, cùm fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Undè & benè per Salomonem dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Frumenta quippè abscondere est prædicationis sanctæ verba apud sè retinere. In populis autem talis quisq; maledicitur; quia in solius culpâ silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur.* Et S. Bernardus *serm.* 18. *super Cantic. Rem profectò proximi retines tibi, si plenus virtutibus cùm sis, foriscq; nihilo minùs donis scientiæ & eloquentiæ adornatus, metu fortè aut segnitie, aut minus discretâ humilitate: verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imò damnabili ligas silentio: Certè maledictus, quod frumenta abscondis populis.* Breviter S. Chrysostomus *homil.*

mil. 34, in c. 13. ad Hebr. *Neq; dum quis ad principatum trahitur, recusare; neq; dum non trahitur, quisq; semetipsum præcipitare debet: Sed considerantes tantæ dignitatis amplitudinem, oportet effugere; comprehensos autem obsequium & reverentiam oportet ostendere.* Quisquis ergò Superiorum (quibus subditorum suorum tàm interiora, quàm exteriora debent esse perspecta) judicio idoneus fuerit habitus, ad officium pastorale; hoc sine ullâ repugnantiâ & contradictione suscipiat, ac cum metu & tremore administret; non dubitans, quin à Deo ad illud vocatus sit. Dixi: *quibus subditorum suorum tàm interiora quàm exteriora debent esse perspecta*: Nam si Religiosus aliquis non manifestâsset candidè & fideliter suo Superiori defectus, vitia, inclinationes, passiones, & naturæ suæ propensiones; is posteà sibi imputet, si per Superiorem talium ignarum promoveatur ad tale officium & locum, in quo forsan de salute suâ periclitabitur. Quod periculum tunc est eò majus & gravius, cùm quis vitiosas suas inclinationes & defectus celat Superiorem studiosè, de industriâ, & eâ intentione, nè propter eos impediatur à promotione ad officium v. g. Parochi, Provisoris, Cellarii &c. Quia tunc & Naturam & Deum sibi habet adversantem; Naturam quidem per vitiosas propensiones ad malum, Deum verò per subtractionem & denegationem gratiæ sivè auxiliorum ad tale officium ritè administrandum necessariorum.

308. Quod si verò quis ritè ad parochiale munus fuerit vocatus & promotus; posteà autem successu temporis experiatur, se per omnem suum laborem & studium nihil, aut parum efficere in populo sibi commisso; talis solari se potest doctrinâ illâ, quam S. Bernardus tradit Eugenio Papæ *lib. 4. considerat.* dicens: *Noli diffidere; curam exigeris, non curationem. Audisti: caram illius habe; & non: cura vel sana illum. Verum dixit quidam; Non est in medico, semper relevetur ut æger. Paulus loquitur: plus omnibus laboravi; non ait: plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi; aliàs autem noverat; quia unusquisq; secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum. Ita quæso fac tu, quod tuum est: nam Deus quod suum est, satis absq; tuâ sollicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam; & tuas expleviſti partes. Incrementum ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi fortè noluerit; tibi deperit nihil; dicente Scripturâ: Reddit Deus mercedem laborum Sanctorum suorum. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus.* Quod solatium etiam tradit Bonifacio Zacharias Papa in tribus diversis epistolis, his verbis: *Si non fuerint conversi, tuæ prædicationis merces non peribit. Si conversi fuerint, salvâsti animas eorum: Si verò in malitia permanserint; mercedes laboris tui non perdes; opportunè importunè prædica.*

§. 11.

§. 11.

De mediis ad obtinendam & exercendam charitatem proximi necessariis.

309. IMprimis valent & necessaria sunt pro charitate proximi, quæ suprà attulimus pro obtinendâ Charitate Dei, scilicet virtus *Humilitatis*: nam *inter superbos semper jurgia sunt. Proverb.* 13. Item virtus *Paupertatis*: quia *meum & tuum, frigidum illud verbum, quidquid est malorum, in vitam nostram invehit innumeraq; gignit bella*; ut inquit S. Chrysostomus *orat. de S. Philogonio tom.* 3. Tertiò mortificatio passionum Tristitiæ & Iræ: nam tristitia hominem reddit suspicionosum, morosum, impatientem difficilem & molestum. Ira verò & indignatio lites suscitat & contentiones. *Vir iracundus suscitat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. Proverb.* 15. Quartò necessaria est, mortificatio & abdicatio proprii judicii; ut non pertinaciter adhæreamus propriæ sententiæ, quasi nobiscum solis habitet sapientia; Sed aliis lubentes cedamus, etiam totam litem & causam, si contentiosiùs nobiscum digladiari velint; uti benè monet Lanspergius *in speculo Christianæperfect. c.* 5. Excipe, nisi cessio nostra præjudicaret Divino honori aut proximo scandalum generaret. Quod si verò contendere nobis placuerit cum aliis, id non faciendum est verbis, sed religiosis operibus: *Elaborate potius, ut inter vos contentione laudabili ac meliore æ-*

mulatione certetis, quis vestrûm in opere Dei promptior, quis in oratione fervention, in lectione sollicitior, in castitate purior, in sobrietate parcior, in corpore honestior, in corde sincerior, in irâ mitior, in mansuetudine moderatior, in risu rarior, in gravitate fundatior, in charitate sit jucundior; inquit Eusebius Emissenus *homil.* 9. *ad Monachos.* Hæc enim contentio pia Angelos lætificat, & proximos ædificat. Quintò mortificandus est amor proprius. Quia cùm is non aliud quærat, quàm utilitatem propriam, commoditatem & interesse, nequit stare cum charitate proximi, quæ *non quærit, quæ sua sunt* 1. *Corinth.* 13.

Sextò corrigenda in nobis sunt ea omnia, quæ meritò aliis possunt displicere, & conversationem nostram illis reddere odiosam, difficilem, & molestam; cujusmodi sunt mores inurbani & agrestes. *In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum;* inquit Regula *c.* 6. Et statuta *distinct.* 1. *c.* 20. *Sint in communi conversatione benigni, atq; modesti, in animi relaxatione cum Religiosâ moderatione & gravitate læti.* Item *c.* 22. *facies sit serena, & hilaritatem potiùs exhibeat, quàm tristitiam. Omnes mores suos accuratè componant, ut nihil sit torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum.* Imprimis autem ad mutuam charitatem excitandam & fovendam juvant verba suavia & placida; *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos;* inquit Ecclesiasticus c. 6. Et

6. Et *favus mellis, composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossium. Proverb.* 16. Undè *Eccli.* 20. dicitur: *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit,* Et Apostolus hortatur *Coloss.* 4. *Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus.* Quemadmodùm de Christo legitur *Luc.* 4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.*

Septimò charitatem proximi mutuam promovet exterior significatio benevolentiæ per actiones tales, quibus aliis ostendimus & declaramus, quod eos magnifaciamus: cujusmodi signa externa & indicia benevolentiæ præscribit Apostolus *Roman.* 12, dicens: *Charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et *Philipp.* 2. *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes; unanimes, id ipsum sentientes; nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam; sed in humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes; non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.* Qui enim honore alterum prævenit; eo ipso significat, quod illum honore dignum æstimet, & benè erga ipsum sit affectus in animo; adeoq; alter in seipso similiter accenditur amore erga se amantem; juxta illud tritum S. Chrysostomi *homil.* 13. *ad popul. Vis amari ama.* Eundem effectum habet laudatio & commendatio proximi absentis in eo, in quo est laude dignus; & honorifica de ipso sermocinatio, famæq; illius contra obtrectatores

defensio; Sicut ait ibidem Chrysostomus: *vis laudari? lauda alium.*

Octavò ad charitatem proximi conservandam necessarium est, ut è congregatione tanquam pestis eliminentur verba illa; *talis hoc de te dixit*, sivè ut abstineamus à garrulitate illâ, quâ alteri etiam sine malâ intensione manifestamus, quæ tertius contra eum dixit. *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te; fidens, quoniam non te dirumpet*; inquit Ecclesiasticus *c. 19.* Nam *lingua tertia multos commovit.* Et *susurro multos turbabit pacem habentes c. 28.* Vide plura superius *de conversat. charitativâ.*

310. Nonò ad salutem proximorum promovendam efficax remedium est modestia externa, & vita exemplaris; sicut testatur Concilium Tridentinum *sess. 22. de Reform. c. 1. Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum qui se Divino ministerio dedicârunt. Quapropter sic decet omninò Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresq; suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisq; omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta (quæ in ipsis maxima essent) effugiant: ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Undè S. Paulus *2. Corinth. 6.* monet, *ut in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in castitate, in suavitate, in charitate non fictâ, in verbo veritatis; nemini dantes ullam offensionem;*

nem; ut non vituperetur ministerium nostrum. Et *Philipp.* 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; Sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, hæc agite.* Sic de S. Ephrem refert Gregorius Nyssenus in ejus vita; *Nullus erat tam impudens, qui non intuens eum rubore perfunderetur, seq; ipso melior & modestior fieret.* De S. Luciano etiam martyre scribitur in ejus vitâ, quod solâ oris modestiâ homines feros & paganos perduxerit ad cultum veræ Religionis. Tunc ergò fructuosa erit concio & exhortatio presbyteri, si prius ipse fecerit, & exemplo suo factibile demonstraverit, quod populum docuerit. Sicut de Christo ait Lucas *Actor.* 1. *Cæpit Jesus facere & docere.* Neq; ad officium prædicationis admitti debet, qui non priùs se ita perfecit, ut vitam suam Auditoribus tanquam exemplar perfectionis proponere possit, & cum Apostolo dicere: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi* 1. *Corinth.* 11.

311. Decimò ad salutem animarum procurandam prærequiritur *virtus studiositatis*, quâ excussâ omni negligentiâ & torpore incumbamus totis viribus in hoc, ut notitiâ acquiramus sufficientem, & competentem scientiam rerum Theologicarum, tam pro instructione aliorum, & exhortatione ad perfectionem pro cujuslibet statu & conditione, quàm pro administratione Sanctissimorum Sacramentorum. Et quidem de scientiâ necessaria ad instructionem & præ-

dicationem intelligitur illud *Malach. 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam; & legem requirent ex ore ejus.* Sacerdotes enim in prædicando & docendo vices agunt Episcopi; à quo requirit Apostolus *ad Titum. 1. Ut potens sit exhortari in* doctrinâ *sanâ, & eos, qui contradicunt arguere. Undè in Sacerdotis pectore Rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctum esse debere*; ait S. Hieronymus *in Malach.* Et *Epist. ad Nepotianum. Divinas Scripturas sæpius lege. Imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce, quod doceas. Obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut possis exhortari in doctrinâ sanâ. Nam quomodò excusari posset insciti à in eo, qui se magistrum infantium & insipientium profitetur? ignorans utiq; ignorabitur, imò & multos ignorare faciet, & ignorari;* ait S. Bernardus *in declamat. super ecce nos reliquimus omnia.* De scientiâ verò ad Sacramentorum administrationem necessariâ, satis etiam constat, quod debeat esse *maxima*; si enim ignorantia damnanda est & detestabilis, ac summoperè noxia in judice sæculari; quanto magis in judice spirituali exitialis erit? *meminerit confessarius, se Judicis pariter ac medici personam sustinere, ac divinæ Justitiæ simul & misericordiæ ministrum à Deo constitutum esse; ut tanquam arbiter inter Deum & homines, honori Divino & animarum saluti consulat. Ut ergò rectè judicare queat, discernens inter lepram & lepram, &*

tan-

tanquàm peritus' medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuiq; remedia applicare sciat; quantam potest maximam ad id scientiam studeat sibi comparare. Sciat casus & censuras sedi Apostolicæ, & Ordinario suo reservatas. Deniq; hujus Sacramenti doctrinam omnem rectè nosse studebit, & alia ad ejus rectam administrationem necessaria; inquit summus Pontifex *in Ritu Romano Tit. de Sacrament. Pœnit.* Cùm igitur hæc tanta scientia non possit à Religioso vitam activam professo acquiri intra spacium tam breve, quod intet professionem & Ordinis Sacerdotalis susceptionem mediat, nisi totum se studiis Theologicis impendat; sequitur evidenter, quod non modò otium & inertiam fugere, sed etiam omnes alias inutiles, & ad finem impertinentes occupationes seponere debeat, quæ tempus adeò pretiosum suffurari, & animum ad vana distrahere solent. Undè noster Laurentius Landtmeter *Commentar. in Regul. S. Augustini c. 4.* ait: *Sanè in Religione, quæ instituta est ad prædicandum, audiendas Confessiones, curam pastoralem Animarum, certum mihi videtur, non satisfacere Religiosum suæ vocationi, si seriò se ad studium sacrum non applicet. Ratio est, quia tenetur quilibet pro capacitate suâ ac viribus idoneum se facere ad ea Munia, quæ propria sunt statui illi aut Instituto, quod assumpsit. Et habet ea doctrina peculiarem causam in iis, qui ex Instituto suo addicuntur Beneficiis curatis. Quia (uti dixit S. Gregorius) ab imperitis pa-*

tis pastoribus Officium pastorale suscipitur in magnâ temeritate.

312. Undecimò, ad profectum in conversione animarum faciendum necessaria est *virtus prudentia*, quæ est *recta agibilum ratio*, juxta Aristotelem 6. *Ethicor. 5.* sivè virtus moralis, consulens, judicans, & imperans, quid in singulis circumstantiis pro obtinendo fine nostro fieri debeat. Quamvis enim universim sit verissimum, quod *sublatâ prudentiâ, virtus jam non virtus, sed vitium sit;* ut inquit S. Bernardus *serm. 49 in Cantic.* hoc tamen vel maximè locum habet in actionibus & functionibus vitæ activæ; v.g. in catechizatione rudium, prædicatione verbi divini, correctione peccantium, administratione Sacramenti pœnitentiæ. &c. ita ut non immeritò summus Pontifex *in Rituali Romano* dicat, sacerdotem debere, *quantam potest maximam prudentiam sibi comparare.* Quia *quasi inter bruta animalia petra salus esse debet Sacerdos in populis; curare namq; sacerdoti necesse est, quæ singulis dicat, unumquemq; qualiter admoneat*; ut inquit S. Gregorius *homil. 17. in Luc. c. 10.*

Porrò media ad prudentiæ virtutem acquirendam valent sequentia: *Primum* est, ut passiones & motus nostri Appetitus tàm concupiscibilis quàm irascibilis perfectè edomemus, & edomitas sub rationis fræno teneamus; nè intellectum, qui est animæ nostræ oculus, excœcantes, vel obfuscantes, impellant nos ad aliquid inconsideratè, præcipitanter & sine præ-

cipi-

cipitanter & sine prævia deliberatione consilioq; aggrediendum.

Secundum est, ut semper in fine cujuslibet magni momenti negotii nos reflectamus ad illius successum; & examinemus, an, quarè & quâ ratione in eo â recto tramite aberraverimus, ac qualiter deinceps errorem corrigere, vel præcavere possimus. v.g correxit quis proximum errantem & delinquentem, sed absq; fructu & illius emendatione; quia tempus aptum non expectavit; hic si post discussionem & examinationem super facto suo deprehendat errorem commissum, & causam successûs minùs felicis; deinceps cautior in corrigendo existet, & occasionem magis opportunam expectabit. Undè S. Franciscus Xaverius in missione Indicâ suos instruebat, ut semper post finitam concionem, Sacramenti pœnitentiæ administrationem, & alias functiones spirituales hujusmodi reflexionem & discussionem instituerent; uti videre est in variis illius epistolis & instructionibus. Hac enim ratione *consilium futuri venit expræterito;* uti notat Seneca *lib. 12. epist. 48.* Nam etiam *pecora vitare nôrunt, quæ se læsisse cognoscunt; itinera illa non repetunt, ubi in foveam corruerunt; tenaces laqueos avis capta declinat;* inquit Isidorus *lib. 4. Epistolar.*

Tertium est, ut ad aliorum etiam actiones, & successus earundem respiciamus, atq; ex iis discamus, qualiter nos in simili negotio gerere debeamus. *Felix, quem faciunt aliena pericula*

cula cautum! canit Poëta. Et *Bonum est in alieno malo fugienda intueri*; ut ait Seneca *in Proverb.* Nam *ruina præcedentium docet posteros; & cautio est semper in reliquum lapsus anterior: ex vitio enim alterius sapiens emendat suum; & ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus. Scopulus ille vitandus est, ubi alter offendit;* inquit Isidorus *suprà.*

Quartum est, ut in rebus magni momenti petamus consilium à viris prudentibus & expertis; Sicut monet Scriptura *Tob. 4, Consilium semper à Sapiente perquire.* Nam *qui sapiens est, aut esse vult, audit consilia. Proverb.* 12. Quinam verò sint illi sapientes, à quibus flagitandum est consilium, declarat *Job. c.* 12. dicens: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Quod si tales non adsint, melius est etiam alios junjores consulere, quàm sine omni consilio procedere; quia *sæpè vilis quispiam & abjectus invenit, quod magnum & sapientem præterit;* ut inquit S. Chrysostomus *homil. 9. de Laudibus S. Pauli.* Et ut habet proverbium: *Quandoq; olitor est opportuna locutus.*

Quintum est, ut frequenter cum viris prudentibus agamus & conversemur; juxta illud monitum *Eccli. 6. Si videris sensatum, evigila ad eum; & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Nam *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Proverb.* 13. Et *Eccli.* 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientum, & in*

pro-

proverbiis eorum conversare; ab ipsis enim disces sapientiam.

Sextum est, ut semper maturè ante quodlibet magni momenti negotium præmeditemur, an & quid indè utilitatis sequi possit; & quâ ratione pertractandum sit, ut ad felicem exitum perducatur; quæ difficultates & gravamina accidere, & ejus expectatum successum impedire possint &c. Ita enim monet Ecclesiasticus *c. 32. Fili, sine consilio nihil facias; & post factum non pœnitebis.* Nam *qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ. Proverb. 13.* Et *astutus omnia agit cum consilio*; uti dicitur *ibidem*; ubi per consilium intelligitur deliberatio, præmeditatio, & consultatio, quam quis secum adhibet ante operis inceptionem: nè quid non provisum accidat; & illum stultorum vocem extorqueat: *non putabam.*

Septimum est, ut probè noscamus indolem, naturalem complexionem, aut diuturno usu introductam inclinationem nostram, vires, talenta, & facultates tùm corporis, tùm animi: nè plus oneris nobis imponamus, quàm ferre possimus; aut nè talia munia affectemus aut suscipiamus, quibus obeundis vires & talenta non suppetunt; aut in tali loco, occasione, vel societate commoremur, in quâ propter vehementem naturæ nostræ inclinationem periclitari sit necesse. Undè priscum illud Philosophorum adagium: *Nosce te ipsum;* metire & experire vires tuas; num oneri ferendo sint pares. Qui enim plenam sui ipsius cognitionem habet, facilius

cilius dispicit, quæ ipsi media ad finem suum obtinendum conveniant,& quæ disconveniant.

Octavum est, ut prudentiam à Deo Bonorum omnium datore instanter & enixè postulemus; sicut monet S. Jacobus *in epistolâ suâ canon. c.1.* dicens: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter; & non improperat; & dabitur ei.* Undè *Sapient. 7.* dicitur: *Invocavi, & venit in me spiritus Sapientiæ.* Et *Psalm. 118.* ait David ad Deum: *Super inimicos meos prudentem me fecisti.*

Atq; hæc de *perfectione*, quæ est charitas erga Deum & proximum, deq; mediis ad eam pertingendi sufficiant. Qui enim in his impigrum se exhibuerit, & Divinæ gratiæ conperatus fuerit, is procul dubio crescet *in virum perfectum.*


Collegii Soc. Jesu Paderb

FINIS.

1697.

Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & Gloria in Sæcula Sæculorum. Amen. 1. Timoth. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


P.
Herlet
de
Perfectione
cap
44